



254
5 D
12



TRACTATUS
DE EPISCOPO
UBI ET DE SYNODO DIOECESANA

AUCTORE

D. BOUIX

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE.

TOMUS PRIMUS



PARISIIS·
APUD JACOBUM LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS
VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI

IN

VARIOS TRACTATUS DIVISÆ.

VENIT :

ROMÆ. . . . . apud	MERLE.
—	BONIFAZIO.
MEDIOLANI	DUMOLARD.
—	BONARDI POGLIANI.
TAURINI	Hyac. MARIETTI.
FLORENTIÆ	P. DUCCI.
GENUÆ.	BETTOLO ANTONIO.
NEAPOLI	G. GURA.
CAMBERII.	PUTHOD.
GENEVÆ	BERTHIER GUERS.
—	Marcum MEHLING.
FRIBURGI.	P. MEYLL.
MADRITI	Carolum MONNIER.
LONDINI	BURNS et LAMBERT.
BRUXELLIS	DEWAGENEER.
TORNACI	J. CASTERMAN et filios.
SILVÆ DUCIS.	VANHOEVEN.
WURTZBURGI	STAHEL.
COLONIÆ	HEBERLE.
LIPSIÆ.	Alph. DURR.
CRACOVIÆ	Val. WIELOGLOWSKI.
PETROPOLI	ISAKOFF.

Atrebati, ex typis ROUSSEAU-LEROY.

TRACTATUS
DE EPISCOPO


UBI ET DE SYNODO DIOECESANA.

AUCTORE

D. BOUIX,

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE.

TOMUS PRIMUS.





PARISIIS,

APUD JACOBUM LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS,

VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29.

1859

AUTORISATION

DE MONSEIGNEUR L'ÉVÊQUE D'ARRAS, DE BOULOGNE ET DE SAINT-OMER.

M. l'abbé D. Bouix Nous ayant demandé l'autorisation de faire imprimer dans notre ville épiscopale un traité intitulé : *De Episcopo,* Nous avons fait examiner cet écrit, et, sur le rapport qui nous a été fait, Nous en avons permis l'impression.

Donné à Arras, le 19 février 1859.

† P.-L. PARISIS,

Évêque d'Arras, de Boulogne et de Saint-Omer.

PROŒMIUM.

Prompto me animo emendaturum quæcumque minus recte hisce institutionibus tradita intellexero, alias jam, lector benevole, haud semel præmonui. Quas quidem retractationes pleniori elencho, absolutis iisdem institutionibus, licebit subnectere, quando et mea ipse scripta diligentius recognovero, et alii quid moderandum sentiant significaverint. Interea tamen nonnulla, quæ correctione aut declaratione aliqua indigere jam perspexi, hic adnotare visum est, videlicet :

I. *Emendatur opinio qua dixi, posse probabilius regularem assumi in vicarium generalem Episcopi, absque Pontificia dispensatione.* — Quæstionem illam expendendo in tractatu *de Judiciis* (tomo **1**, pagina **391** et seq.) retuli primum quid tenuerit, *mero jure inspecto,* Cardinalis Petra : « Concluden- « dum itaque est, inquit, omnes religiosos, etiam ex

« mendicantium ordinibus (exceptis his qui ad non « mendicantes transierunt, et minoritis), assumi « posse ad officium vicarii Episcopi. » Tum subjeci quid idem auctor tenendum concludat ob Sacrarum Congregationum declarationes et praxim : « Hæc « quidem, ait, mero jure inspecto, docent doctores; « verum si praxim et Sacrarum Congregationum « sensum, ut decet, attendere velimus, regulariter « improbatam esse hujusmodi regularium deputa- « tionem in vicarios generales dicendum est. »

Ad testandum autem ejusmodi Sacrarum Congregationum sensum allegatas dumtaxat reperiebam Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium declarationes; quæ, an genuinæ et ad rem essent, meis ipse oculis perspicere non potui, eo quod illius Congregationis decisiones nunquam publici juris factæ sint. Hinc in eam opinionem inductus sum, posse *probabilius* absque Indulto Pontificio ab Episcopis assumi regulares in vicarios generales. Id tamen minus considerate dictum nunc existimo. Dum enim scriptores fide digni testantur sibi compertam esse alicujus Sacræ Congregationis sententiam et praxim, et tanquam e regestis authenticis desumptas declarationes allegant, non est cur fides eis non sit adhibenda. Quapropter de eadem quæ-

stione postmodum agens in tractatu *de Jure regularium* (tomo 2, pagina 57) dictam meam opinionem moderans, ita scripsi : « Ob sensum et praxim Con« gregationum Romanarum, requiri *videtur* facul« tas Pontificia. » Nunc autem, re diligentius perspecta, iis auctoribus assentio qui tanquam certum tradunt, necessariam esse Pontificiam dispensationem, ut possit religiosus assumi in vicarium generalem Episcopi. Proinde pro deletis habendas moneo sexdecim lineas, quæ in tractatu *de Judiciis* (tomo 1, pagina 393), a verbis *duo ego subjiciam*, usque ad finem quæstionis reperiuntur.

II. *Supprimitur nota quæ habetur in tractatu* de Parocho, *pagina* 583. — Ibi nempe prorsus erravi in assignanda ratione cur declaratio quædam Sacræ Congregationis Concilii in *Thesauro resolutionum* non reperiatur. Ideo siquidem inserta non est dicta declaratio, quod causa illa *per summaria precum* expedita fuerit; nec soleant ejusmodi causæ in *Thesauro* reponi. Ad quod non attendens, aliam omissionis rationem erronee excogitavi; et ex illo meo errore nonnulla redundat erga scriptorem, de quo in eadem nota agitur, injustitia. Quapropter locum hunc (a verbis *ast frustra illam*, usque ad finem) prorsus retraho, et pro expuncto habendum moneo.

III. *Qua de causa traditam in tractatu* de Parocho *circa succursales doctrinam postmodum in tractatu* de Jure regularium *nonnihil mutandam duxerim.* — Dum meum *de Parocho* tractatum exscriberem, tanquam certum supponebam, vi Concordati anni **1801**, suppressas fuisse parochias omnes tunc temporis existentes, ac proinde illas etiam quæ postea *succursales* dictæ sunt; nisi forte excipiendæ forent, quæ regularium conventibus antea erant annexæ: quam quæstionem in dicto tractatu intactam reliqui (vide tractatum *de Parocho*, pagina **234** et sequentibus).

Postmodum vero, varia decreta, dicti Concordati executionem respicientia, diligentius perpendens, adverti succursalium institutionem cum ejusmodi decretorum textu nequaquam cohærere. Nimirum, ad terminos Concordati et secutorum decretorum, non debuissent existere nisi parochiæ stricte dictæ. At de facto, præter istas, inductæ sunt etiam *succursales* (vide tractatum *de Jure regularium*, tomo **2**, pagina **253** et seq.).

Hinc gravis enascebatur quæstio, num parochiarum antiquarum suppressio, attigerit etiam eas parochias, quæ non erectæ sunt in novas parochias stricte dictas, sed tantum in *succursales* transmutatæ sunt? Equidem antiquarum parochiarum *omnium*

suppressionem expressis terminis decrevit Pontificia auctoritate Cardinalis Caprara : ast ita decrevit in hypothesi quod ipsarum loco erigerentur parochiæ *stricte dictæ*. Cum ergo ejusmodi hypothesis verificata non fuerit quoad eas parochias quæ in *succursales* postea mutatæ sunt, inferendum videtur parochias illas non fuisse suppressas. Quam opinionem in tractatu *de Jure regularium* amplectandam duxi; proindeque recessi a contraria doctrina, in meo tractatu *de Parocho* exposita. Semel autem admissa dicta opinione, jam non valet ratio, ob quam in eodem tractatu *de Parocho* dixi, succursalium parocho esse ad nutum revocabiles. Ideo nempe in isto tractatu revocabiles eos existimavi, quod parochiæ in succursales mutatæ, suppressæ primum fuerint, et postea tanquam *manualia* beneficia erectæ. At si suppressæ non fuerint, dictorum parochorum revocabilitas inde deduci nequit. Pro certa nihilominus admittenda erit ex hoc saltem capite quod parochos in iis succursalibus Episcopi constituerint *ad beneplacitum*, non autem tanquam perpetuos, et hanc inductam agendi rationem Gregorius XVI, retinendam sanxerit, quandiu aliter Sedes Apostolica non decreverit.

Cæterum an hæc mea posterior circa succursales opinio solidis revera nitatur rationibus, ac priori

anteponenda sit, doctioribus expendendum relinquo. Lubens enim in hac ardua quæstione iis assentiam, qui feliciori indagine difficultatem prorsus enodaverint.

IV. *Adnotatur omnino certam evasisse doctrinam a me expositam, circa parochorum obligationem offerendi pro populo, in festis etiam per Indultum Cardinalis Capraræ quoad territorium Gallicum suppressis.* — Nimirum in tractatu *de Parocho* (pagina 582 et sequentibus), hasce theses propugnavi : « Remansit dicta parochorum obligatio quoad festa per Indultum 9 aprilis 1802, in toto gallicanæ reipublicæ territorio suppressa. Quænam autem sint festa illa suppressa, determinandum est ex catologo festorum Urbani VIII. » Porro idipsum litteris suis encyclicis nuper edixit Pius Papa IX feliciter regnans. Unde id jam nequit licite controverti; sed est omnino certum atque tenendum.

Dum autem doctrinam illam in dicto tractatu firmarem, solvenda occurrit (pagina 584) objectio, quæ deduci poterat ex quadam Sacræ Congregationis Rituum responsione ad Namurcensem Episcopum directa. Pro qua solutione nonnulla transcripsi ex opere *Nouveau Traité des saints mystères*, auctore Richaudeau. Cum autem integram Reveren-

dissimi Namurcensis Episcopi consultationem præ manibus non habeam, haud mihi liquet an vera sint quæ in dicta citatione asseruntur. Proinde nec satis considerate, ante cognita integra documenta, citationis hujusce verba inserui meaque feci. Quapropter lineas illas in quibus de dicta responsione ad Namurcensem Episcopum agitur, pro expunctis etiam habendas moneo. Eo vel magis quod inutilis jam sit, post memoratas Pii IX encyclicas litteras, præfatæ objectionis confutatio.

Citata pagina 584 tractatus *de Parocho*, irrepsit mendum typographicum, in assignando anno constitutionis *universa per orbem* Urbani VIII, ex qua desumendum diximus festorum de præcepto catalogum. Edita dicitur *idibus septembris* **1432** : legendum est, *idibus septembris* **1642**.

V. ***Dicta in tractatu*** de Parocho *(pagina* **104)** ***de quæstione, an Episcopi jurisdictionem habeant a Deo, an vero a Papa, intelligenda esse juxta tradita de eadem quæstione sub initium hujus voluminis.*** — Citato nempe loco tractatus *de Parocho*, dicitur « non humanæ sed divinæ institutionis esse » jurisdictionem illam quam habent Episcopi in Concilio œcumenico, non quatenus singuli, sed quatenus corpus episcopale suo unitum capiti constituentes. Id

quidem verum est, dummodo non intelligatur potestatem illam Episcopis tunc conferri *immediate* a Deo, et non *per* Papam. Alias enim recideret in systema Bolgenii, quod sub initium hujus voluminis impugnamus. Nimirum, etsi divinæ institutioni adscribendum sit, quod Episcopi, in unum corpus cum suo capite Romano Pontifice adunati, fidem definiendi et leges ferendi potestatem quoad universalem Ecclesiam habeant, inde tamen non sequitur potestatem hanc eis a Deo conferri *immediate.* Quodque eam ipsis *mediate per* Romanum Pontificem Deus conferat, infra in præsenti volumine propugnatur.

VI. Hæc in præsentiarum, lector benevole, emendanda et adnotanda duxi. Cæterum, quod toties alias professus sum, scripta mea omnia ac opiniones quaslibet, Romani Pontificis, et aliorum quos ipse mihi judices dederit, judicio, emendationi, ac correctioni, sincera promptissimaque voluntate prorsus subjicio.

TRACTATUS

DE EPISCOPO

UBI

ET DE SYNODO DIŒCESANA.

TOTIUS TRACTATUS DISTRIBUTIO.

Pars *prima* erit de natura episcopatus : *secunda*, de norma legitima Episcopos constituendi : *tertia*, de norma legitima eosdem removendi : *quarta*, de Episcoporum officio et potestate : *quinta*, de episcopalibus gradibus et Episcoporum varietate : *sexta*, de celebranda diœcesana synodo.

PARS PRIMA

DE

EPISCOPATUS NATURA.



Patefaciendæ genuinæ de episcopatu notioni, ac confutandis variis circa fundamentalem illam quæstionem erroribus, visum est ab ipso tractationis exordio diligenter incumbendum; ne scilicet, dubia remanente ipsiusmet fundamenti firmitate, totam nutare super exstructam fabricam nonnulli contenderent, ac deducendas in decursu operis quamplures conclusiones rejiciendi ansam inde arriperent. Eo vel magis quod omnes fere, quæ hodie adhuc supersunt e gallicano systemate absonæ ac deviæ opinationes, non aliunde, quam ex falsa, ac diu nimium in Galliis aliisque regionibus recepta, circa episcopatus institutionem, notione, suas radices trahant.

Quapropter exquiremus 1° in quo stet episcopatus essentia, seu quænam sit vera episcopatus notio ac definitio : 2° traditam ac firmatam ejusmodi notionem ac definitionem, varias quæ hac de re moveri solent quæstiones recensendo, evolvemus.

SECTIO I.

In quo stet episcopatus essentia.

Sub præsenti sectione de iis dumtaxat disceptabimus, quæ necessaria sunt ad assignandam episcopatus essentiam, determinandamque genuinam ipsius definitionem. Cætera quæ ad pleniorem de divina episcopatus institutione pertinent, ad sequentem sectionem rejicimus. Quo prænotato, sit,

CAPUT I.

DE VARIIS EPISCOPORUM NOMINIBUS : ET DE IPSO EPISCOPI VOCABULO.

I. Quibus olim nominibus vocari consueverint Episcopi, exponit Mamachius, in suo de *Originibus et antiquitatibus christianis* opere (lib. 4, parte 1, capite 4); ubi, quamplurimis adductis documentis, sequentia asserta defendit ac firmat :

« 1° Omnes Episcopi, ut est aliquibus visum, interdum « appellati *Apostoli.* » Ita docuerunt Theodoretus, et auctor commentariorum in epistolas sancti Pauli qui Ambrosiaster vocari solet. Sed hi veteres auctores opinionem suam non probant; imo et sibi aliis in locis contradicunt.

« 2° Episcopi appellati *successores et filii Apostolorum.* » Id multis documentis evincit Mamachius, et admittunt unanimiter eruditi.

« 3° *Sedis Apostolicæ* nomine Romana præcipue Sedes; tum « eæ quas fuisse ab Apostolis institutas constabat; postremo « quæque interdum cujuslibet Episcopi sedes vocata. »

« 4° Episcopi vocati *Viri apostolici*, iique præsertim qui « proxime Apostolis successerunt. »

« 5° Appellari quoque ecclesiarum Antistites *hierarchæ*, hoc « est, sacri vel sacrorum principes, consueverant. »

« 6° Et *Principes* siue adjuncto, et *Principes populi*, et *Prin-* « *cipes Ecclesiæ*. Quare episcopatus etiam dictus *principatus* et « *principatus Ecclesiæ* fuit. »

« 7° Rursum Episcopi dicti προεστῶτες (præfecti), προστάται « (præpositi), πρόεδροι (præsidentes), ἔφοροι (inspectores), et « ἡγούμενοι (duces). »

« 8° Et *Antistites*, et *Principes sacerdotum*, et *summi sacer-* « *dotes*, *Pontifices*, et (ut aliqui putant) *Pontifices maximi*. »

« 9° Episcopus quisque appellatus olim *Papa*, et *Pater*. »

« 10° Et *Pater Patrum* (nimirum relative ad presbyteros). »

« 11° Et *Judices* : episcopatus dignitas *sacerdotium* interdum « a majoribus appellabatur. »

« 12° Episcopi appellati reverendissimi, sanctissimi, bea- « tissimi; et cum ad eos scriberetur, tituli eisdem sanctitatis « et beatitudinis et venerabilitatis tributi sunt. »

« 13° Dicti quoque Episcopi *honorabiles*, et θεοφιλέστατοι « (Deo amabilissimi), et εὐλαβέστατοι (devotissimi), et θεόσε- « βέστατοι (religiosissimi), et εὐσεβέστατοι (piissimi) fuerunt. »

« 14° Et minus proprie interdum *Patriarchæ*. »

« 15° Et *Vicarii Christi*. »

« 16° Et *Angeli Ecclesiæ*. »

« 17° *Pastores* item sunt Episcopi appellati et *Præsules*. »

« 18° Episcopi cum alios Episcopos alloquerentur ad eosve « scriberent, coepiscopos, collegas, fratres, comministros, « consacerdotes vocabant. »

II. Ad nomen *Episcopi* quod attinet, sic habet idem Mamachius (citato loco, tomo 4, p. 270, edit. Romæ 1850) : « De- « scendo nunc ad nomen notionemque Episcoporum. Ac ne- « gari profecto non potest quin apud Græcos variæ significa- « tiones hujusce vocis, interque se discrepantes essent ante « ætatem Apostolorum. Fuerunt enim qui τὸν κατάσκοπον seu

« *exploratorem*, alii qui *defensorem*, alii qui certum quemdam « apud Athenienses magistratum, *episcopum* appellarent.

« Sed Apostolorum longe diversa ratio fuit. Nam eos « Episcoporum indicabant nomine, quos solemni ordinatio« ne ecclesiæ cuipiam præposuissent. Atque horum scilicet « munus esse Spiritus Sancti instinctu Christique voluntate « institutum veteres dixerunt, ut doctrina erudiant eos qui « crediti eorum fidei sunt, ut pro iisdem offerant, ut ipsos « regant, moderentur, inducantque ad colendam virtutem « et pietatem; quod si quemquam hominum christianorum, « qui in eadem ecclesia versetur, minus recte agere animad« vertant, hunc orent, obsecrent, obtestentur, ut pertinacia « desistat; renuentem parere corripiant, ac, si opus sit, iis « pœnis afficiant quibus uti Ecclesia et solet et potest; tan« demque, si nihil se proficere intelligant, exterminandum ex « ecclesiæ finibus curent, ne aliquorum culpa grex omnis Ec« clesiæ detrimentum capiat.

« Si quis autem ex me quærat quamobrem, missis cæteris « vocabulis, quibus Episcopos appellatos olim fuisse dictum « est, hæc una *(denominatio Episcopi)* in primis in Ecclesia « obtinuerit, ita ut vix aliquando reliquæ usurpentur, is sic « habeat : christianos, cum in sacris Novi Testamenti litteris « legerent, Episcopos sæpe vocari eos qui præfecti ecclesiis « fuissent, describique virtutes quibus ornati deberent esse, « aptum id vocabulum censuisse, quod unum omnium maxime « adhiberetur. »

« Hoc enim nomen Episcopi (ait Cardinalis Petra, tomo 1, « in Constitutionem unicam divi Gelasii I, n, 4) sollicitudi« nem sonat ac curam...; et idem significat ac *superintendens.* « Unde etiam apud ethnicos id nomen usurpatum reperitur: « Cicero (libro 7 *Epistolarum*, ad Atticum) : *Vult Pompeius* « *me esse, quem tota hæc Campanea et maritima ora habeant* « episcopum, *ad quem delectus et negotii summa deferatur.* »

« Sed numquid Episcopo non consecrato, etsi electo et « confirmato, nomen Episcopi competat? Affirmat Gonzalez

« (In decret., tomo 1, cap. 7, *de Rescript.*, n. 3). Et maxima « ratione : quia tunc plenam potestatem quoad jurisdictionem « habet, quamvis quoad ordinem consecratio requiratur. » (Cardinalis Petra, tomo 1, in Constitutionem unicam divi Gelasii, n. 10.) Ita etiam Barbosa (*de Potest. Episc.*, parte 1, tom. 1, c. 4, n. 7), et Garcias (*de Benef.*, parte 5, c. 4, § 2, n. 242).

CAPUT II.

CERTUM EST, ET DE FIDE, EPISCOPOS ESSE PRESBYTERIS SUPERIORES.

Prænotanda. — 1° « Presbyteros Episcopis, cum ordine « tum jurisdictione, æquales esse, si jus divinum spectetur, « protestantes acerrime propugnant. Hunc errorem a Calvino « magistro suo renovatum Salmasius, Blondellus, aliique ex « eadem secta, totis viribus, quamquam infelici conatu, editis « libris tueri sunt aggressi. Prælverant Calvino Wiclefus, « Albigenses, Waldenses, quibus præceptoribus Calviniani « Lutheranique gloriantur. Horum omnium antesignanus « Aerius, cujus inter hæretica dogmata sanctus Epiphanius « (hæresi 75) hoc recenset, quod nullum Episcopum inter et « presbyterum discrimen agnoverit. » (Natalis Alexander, in sæculum IV dissertatione 44, sub initium.)

2° Sub præsenti capite id unum probandum suscipimus, Episcopos esse presbyteris superiores : in quo autem stet illa superioritas, et eam esse institutionis *divinæ*, non autem ecclesiasticæ, aliis subsequentibus capitibus ostendemus. Quo prænotato, argumenta primum deducemus, quæ veram et de fide esse positam conclusionem evincunt ; tum adversariorum objectiones confutabimus.

§ I.

Deducuntur argumenta quibus evincitur Episcopos esse presbyteris superiores, neque posse id salva fide negari.

ARGUMENTUM I. — *Ex definitione Tridentini Concilii.*— Sic

definierunt Tridentini Patres, sessione 23, canone 7 : *Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores... anathema sit.* Et capite 4 ejusdem sessionis declaraverant Episcopos *presbyteris superiores esse.* Qui ergo negat Episcoporum supra presbyteros præstantiam, hæreticus est.

Argumentum II. — *Ex conjuncto testimonio Scripturæ sacræ et traditionis.* — Etenim 1° testatur Scriptura sacra duodecim Apostolos a Christo electos fuisse ac discipulis prælatos : eisdem Apostolis supremam in Ecclesia potestatem collatam, ac promissam super sedes duodecim, ad judicandas duodecim tribus Israel, sessionem : ne autem deficeret duodenarius ille numerus, in locum proditoris Judæ fuisse Matthiam suffectum. Aliunde autem 2° Apostolorum successores fuisse Episcopos, non vero presbyteros, testatur traditio : est nempe sententia hæc apud Patres frequens et pene unanimis.

Jam vero ex conjuncto hoc duplici testimonio plane sequitur esse Episcopos presbyteris superiores. Si enim æquales forent, absone soli Episcopi Apostolorum successores dicti fuissent, nec minus presbyteris successio hæc tribui deberet (1).

Argumentum III. — *Ex epistolis sancti Ignatii martyris.* — Fuit sanctus Ignatius sancti Joannis Apostoli auditor, et anno 107 martyrio coronatus est. Porro ipsius epistolæ plura exhibent testimonia, quibus omnino palam fit Episcopos fuisse a presbyteris distinctos, atque eisdem superiores. Ejusmodi testimonia cum aliter declinare non possent Blondellus et Salmasius, supposititias sancti Ignatii epistolas contenderunt. Ast eas genuinas esse pro explorato habent unanimiter eruditi, non tantum catholici, sed etiam e protestantium sectis, prout Buddeus (in Apparatu ad theologiam positivam, p. 748) et

(1) Simile argumentum deducit Natalis Alexander ex eo Apocalypsis loco, ubi S. Joannes monita dirigit ad septem ecclesiarum *angelos.* Istos enim angelos de Asiæ Minoris *Episcopis* tota traditio interpretata est. Aliunde autem exhibentur tanquam omnibus singularum ecclesiarum clericis et fidelibus præpositi seu superiores (vide ejus dissertationem 44 in sæculum 4, § 1).

Moshemius (in *Historia ecclesiastica*, sæculi 1, p. 220). Prorsus inanes esse quæ in contrarium adducuntur ratiunculæ, palam fecit inter alios Mamachius (*Origines christianæ*, tomo 4, a pagina 319 ad 356, editionis Romanæ 1850).

Præcipua autem S. Ignatii dicta, quæ distinctos a presbyteris, eisdemque superiores Episcopos demonstrant, sunt sequentia :

1° Ex epistola ad Smyrnæos, capite 8 : « Omnes Episcopum « sequimini, ut Jesus Christus Patrem; et presbyterium, ut « Apostolos; diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum. « *Πάντες τῷ Επισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ Πατρί· « καὶ τῷ πρεσβυτέριῳ, ὡς τοῖς Ἀποστόλοις· τοὺς δὲ διακόνους « ἐντρέπεσθε, ὡς Θεοῦ ἐντολήν.* »

2° Ex eadem epistola ad Smyrnæos, capite 12 : « Saluto Deo « dignum Episcopum, et Deo decorum presbyterium, et con- « servos meos diaconos. *Ἀσπάζομαι τὸν ἀξιόθεον Επίσκοπον, καὶ « θεοπρεπέστατον πρεσβυτέριον, καὶ τοὺς συνδούλους μου διακό- « νους.* »

3° Ex epistola ad Polycarpum, capite 6 : « Episcopo atten- « dite, ut Deus vobis. Devovear ego pro iis qui subditi sunt « Episcopo, presbyteris, diaconis; atque mihi contingat ha- « bere cum illis partem in Deo. *Τῷ Επισκόπῳ προσέχετε, ἵνα « καὶ ὁ Θεὸς ὑμῖν. Ἀντίψυχον ἐγὼ τῶν ὑποτασσομένων τῳ Επι- « σκόπῳ, πρεσβυτέροις, διακόνοις· καὶ μετ᾽αὐτῶν μοι τὸ μέρος « γένοιτο εχεῖν ἐν Θεῷ.* »

4° Ex epistola ad Ephesios, capite 2 : « Ut subjecti Episcopo « et presbyterio, per omnia sanctificati sitis. *Ἱνα ὑποτασσόμενοι « τῷ Επισκόπῳ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, κατὰ πάνται ἦτε ἡγιασμένοι.* »

5° Ex eadem epistola ad Ephesios, capite 4 : « Unde decet « vos in Episcopi sententiam concurrere ; quod et facitis. Nam « memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coa- « ptatum est Episcopo, ut cordæ citharæ. *Ὅθεν πρέπει ὑμῖν « συντρέχειν τῇ τοῦ Επισκόπου γνώμῃ, ὅπερ καὶ ποιεῖτε· τὸ γὰρ « ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον, τοῦ Θεοῦ ἄξιον, οὕτως συν- « ἡρμοσται τῷ Επισκόπῳ, ὡς χορδαὶ κιθαρᾳ.* »

6° Ex eadem epistola ad Ephesios, capite 6 : « Et quanto « quis taciturniorem viderit Episcopum, tanto magis eum « revereatur : quemcumque enim paterfamilias mittit ad « gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus, ut « illum ipsum qui mittit. Manifestum igitur est, quod Epi- « scopum respicere oportet ut ipsum Dominum. » Textum græcum hujus et sequentium citationum, brevitatis causa, omittimus.

7° Ex epistola ad Magnesianos, capite 1 et 2 : « Quoniam « itaque dignus habitus fui videre vos per Damam Episcopum « vestrum Deo dignum, et dignos presbyteros Bassum ac « Apollonium, conservumque meum Sotionem diaconum; quo « utinam fruar; quia subditus est Episcopo ut gratiæ Dei, et « presbyterio ut legi Jesu Christi. Sed et vos decet non fami- « liarius ac superbe uti ætate (1) Episcopi; sed secundum « virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam : que- « madmodum novi sanctos facere presbyteros; non respi- « cientes ad apparentem juvenilem ordinationem, sed ut pru- « dentes in Deo cedentes ipsi : non ipsi autem, sed Patri « Jesu Christi, omnium Episcopo. In honorem igitur illius « qui vult, decet vos obedire sine ulla hypocrisi : quia nequa- « quam Episcopum hunc quis fallit, qui videtur, sed illudit « invisibili. »

8° Ex eadem epistola ad Magnesianos, capite 6 : « Hortor « ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, « Episcopo præsidente Dei loco, et presbyteris loco senatus « apostolici, et diaconis mihi suavissimis quibus commissum « est ministerium Jesu Christi. »

9° Ex eadem ad Magnesianos, capite 7 : « Quemadmodum « igitur Dominus sine Patre nihil fecit, ipsi unitus.., ita neque « et vos sine Episcopo et presbyteris quidquam agite. »

10° Ex eadem ad Magnesianos, capite 13 : « Studete igitur « ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum...;

(1) Junior ordinatus fuerat Damas Magnesianorum Episcopus.

« cum dignissimo Episcopo vestro, et digne contexta spirituali « corona presbyterii vestri, et secundum Deum agentibus « diaconis. Subjecti estote Episcopo. »

11° Ex epistola ad Philadelphicos, capite 4 : « Operam detis « ut una eucharistia utamini. Una enim est caro Domini nostri « Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius : « unum altare, sicut unus Episcopus, cum presbyterio, et « diaconis conservis meis. »

12° Ex eadem epistola ad Philadelphicos, capite 7 : « Cla-« mavi, cum interessem, locutus sum magna voce : Episcopo « attendite, et presbyterio et diaconis. Quidam autem suspi-« cati sunt me, ut præscium divisionis quorumdam hæc dicere. « Testis autem mihi est is, in quo vinctus sum, quod a carne « humana non cognoverim ; sed spiritus annuntiavit, dicens « ista : sine Episcopo nihil facite.... »

13° Ex epistola ad Trallianos, capite 2 et 3 : « Cum enim « Episcopo subjecti estis ut Jesu Christo, videmini mihi, non « secundum homines, sed secundum Jesum Christum vivere... « Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine Epi-« scopo nihil agatis. Sed et presbyterio subditi sitis, ut Apo-« stolis Jesu Christi... Oportet autem et diaconos, mysterio-« rum Jesu Christi ministros, omnimodo omnibus placere. « Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ « Dei ministri... Cuncti similiter revereantur diaconos, ut « mandatum Christi : et Episcopum, ut eum qui est figura « Patris : presbyteros autem ut consessum Dei et ut conjun-« ctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur. »

14° Ex eadem ad Trallianos, capite 12 : « Decet enim sin-« gulos vestrum et præcipue presbyteros, refocillare Epi-« scopum, in honorem Patris, Jesu Christi, et Aposto-« lorum. »

15° Ex epistola ad Romanos, capite 9 : « Memores estote « in vestris precibus ecclesiæ Syriæ, quæ mei loco Deo pa-« store utitur. Solus Jesus Christus illam vice Episcopi reget, « atque vestra charitas. Ego autem erubesco ex eorum nu-

« mero dici. Neque enim dignus sum, utpote qui sim ulti« mus eorum et abortivus (1). »

Ergo, teste sancto Ignatio martyre, unicuique ecclesiæ præerat Episcopus, a presbyteris et diaconis distinctus; cujus potestati ac regimini tum ipse presbyterorum et diaconorum cœtus, tum et reliqui fideles subesse tenebantur.

ARGUMENTUM IV. — *Ex Patribus tertii sæculi.* — 1° Clemens Alexandrinus (libro 6 *Stromatum*, cap. 13, editionis Potteri) : « In Ecclesia sunt progressiones Episcoporum, presby« terorum et diaconorum. Κατὰ τὴν Εκκλησίαν προκοπαὶ Επισκό« πων, πρεσβυτέρων, διακόνων (ἐισι) » ibi vox *progressiones* (προκαπαὶ) aperte indicat gradus, quorum alii aliis superiores sint.

2° Origenes (tomo 3 ipsius operum, pag. 189, editionis Benedictinorum) : « Plus a me (*presbytero*) exigitur quam a dia« cono; plus a diacono quam a laico. Qui vero totius Eccle« siæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem. « Πλεῖον ἐγώ ἀπαιτοῦμαι παρὰ τὸν διακόνον· πλεῖον ὁ διακόνος « παρὰ τὸν λαῖκον· ὁ δὲ τῶν παντῶν ἡμῶν ἐγκεχειρισμένος ἀρχην « ἀυτην τὴν ἐκκλησιαστίκην, ἐπι πλεῖον απαιτεῖται. »

3° Sanctus Cyprianus, epistola 27 (editionis Baluzii) : « Do« minus noster, cujus præcepta et monita observare debe« mus, Episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem dispo« nens in Evangelio loquitur et dicit Petro: *Ego tibi dico quia* « *tu es Petrus*, etc. (Matth. 16). Inde per temporum et suc« cessionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio « decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et om« nis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. « Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam « audaci temeritate sic mihi scribere voluisse ut Ecclesiæ no« mine litteras facerent, quando Ecclesia in Episcopo et clero « et in omnibus stantibus sit constituta. »

(1) Habentur sancti Ignatii epistolæ tomo primo *Bibliothecæ veterum Patrum*, ex quo citatos textus deprompsimus.

Epistola 42 (editionis Baluzii) : « Unitatem a Domino et « per Apostolos nobis snccessoribus traditam quantum pos- « sumus obtinere curemus. » Iterum Episcopos snccessores Apostolorum vocat Cyprianus, epistola 75, pag. 148 (edit. Baluzii).

Ibidem, pagina 337 : « Manifesta est sententia Domini « Nostri Jesu Christi Apostòlos suos mittentis, et ipsis solis « potestatem a Patre sibi datam permittentis, quibus nos « snccessimus, eadem potestate Ecclesiam Dei gubernan- « tes et credentium fidem baptizantes. »

Epistola 11, pagina 21 (edit. Balnzii) : « Audio quosdam de « presbyteris, nec Evangelii memores, nec quid ad nos mar- « tyres scripserint cogitantes, nec Episcopo honorem sacer- « dotii sui et cathedræ reservantes, jam cum lapsis commn- « nicare cœpisse. »

Epistola 9, pag. 18 (edit. Balnzii): « Cyprianus presbyteris « et diaconibns fratribus salutem... Quod enim non pericu- « lum metuere debemus de offensa Domini, quando aliqui (1) « de presbyteris, nec Evangelii nec loci sui memores, sed « neque futurum Domini jndicinm, nec nunc sibi præposi- « tum Episcopum cogitantes, quod nunquam omnino sub an- « tecessoribus factum est, cum contumelia et contemptu « præpositi, totum sibi vindicent?... Contumeliam episcopa- « tus nostri dissimulare et ferre possem, sicut dissimulavi « semper et pertuli. Sed dissimulandi nunc locus non est. »

4° Tertullianus, libro *de Fuga in persecutione*, capite 11 : « Hoc sentire et facere omnem servum Dei oportet, etiam « minoris loci, ut majoris fieri possit, si quem gradum ex « persecutionis tolerantia ascenderit. Sed cum ipsi auctores, « id est, ipsi diaconi, presbyteri et Episcopi fuginnt, etc. »

Et libro *de Baptismo*, capite 17 : « Dandi qnidem habet jus « summus sacerdos, qui est Episcopus, de hinc presbyteri et « diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate. »

(1) Nempe ii presbyteri qui inconsulto Episcopo cum lapsis communicaverant.

Argumentum V. — *Ex eo quod novitas ab Aerio invecta, de Episcoporum et presbyterorum æqualitate, statim tanquam hæresis manifesta rejecta sit.* — Sic de illa hæresi scripsit sanctus Epiphanius (hæresi 75) : « Est autem illius dogma supra ho- « minis captum furiosum et immane. Imprimis enim : *Qua- « nam,* inquit, *in re presbytero Episcopus antecellit? Nullum « inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, « par et idem honor ac dignitas. Manus imponit Episcopus ; im- « ponit et presbyter : baptizat Episcopus; idem facit et presbyter : « divinum omnem cultum administrat Episcopus ; non minus id « facit et presbyter ; Episcopus in throno sedet ; sedet et presby- « ter.* His in vulgus jactatis, plerosque in errorem adduxit, « quorum sectæ princeps exstitit. » Refellit postea S. Epiphanius hoc erroris monstrum. Ideo vero Aerius in hunc errorem abruperat, quia episcopatus quem ambiebat honorem assequi haud potuerat.

Eodem modo sanctus Augustinus de Aerio loquitur (tomo 8, pag. 18 editionis Benedictinorum). Enarrans quippe quænam fuerit Aerii hæresis, sic habet : « Dicebat presbyterum ab « Episcopo nulla differentia debere discerni. »

Argumentum VI. — *Ex Episcoporum successionibus in singulis ecclesiis.* — A primis usque temporibus diligentissime in singulis ecclesiis contexebatur catalogus Episcoporum qui sibi invicem successerant, exordiendo ab eo Episcopo qui primus ab Apostolis, aut viris apostolicis, constitutus fuerat. Hæreticorum autem sectæ non poterant ejusmodi Episcoporum catalogum exhibere, quia primus uniuscujusque sectæ Episcopus, nec fuerat ab aliquo Apostolo aut viro apostolico constitutus, nec erat de eorum serie qui primo ab Apostolis constituto legitime successerant. Hinc frequens erat sanctis Patribus hæreticos ad ejusmodi successiones provocare, Sic inter alios Tertullianus (*de Præscriptionibus,* cap. 32) ; « Edant « ergo origines ecclesiarum suarum ; evolvant ordinem Epi- « scoporum suorum, ita per successiones ab initio decurren- « tem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel

« apostolicis viris (qui tamen cum Apostolis perseveraverit) « habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ec- « clesiæ Apostolicæ census suos deferunt : sicut Smyrnæorum « ecclesia habet Polycarpum ab Joanne collocatum : sicut « Romanorum Clementem a Petro ordinatum ibidem. Perinde « utique et ceteræ exhibent quos ab Apostolis in episcopa- « tum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. »

Idem urget S. Irenæus (l. 3, c. 3) : « Habemus numerare « eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis, et « successores eorum usque ad nos. »

Jam vero ex ejusmodi tam diligenter consignatis Episcoporum successionibus, sic argui potest : si Episcopis æquales fuissent presbyteri, non Episcoporum dumtaxat contextus fuisset catalogus, sed et omnium in unaquaque ecclesia presbyterorum : atqui Episcoporum solummodo successiones consignabantur : ergo habebantur Episcopi tanquam superiores presbyteris.

Argumentum VII. — *Ex liturgia.* — Antiquissimi rituales libri, a Martenio et Goario prolati, Episcopos inter et presbyteros distinctionem exhibent, tanquam auctore Christo constitutam.

Argumentum VIII. — *Ex variis documentis circa chorepiscopos.* — Multis scilicet documentis constat prohibitas chorepiscopis fuisse ordinationes, ac pro nullis habitas, eo quod essent simplices presbyteri (vide apud Natalem Alexandrum, dissert. 44, in sæculum 4, § 11).

Argumentum IX. — *Ex eo quod sacerdotes ordinandi potestas solis Episcopis, exclusis presbyteris, a tota antiquitate tributa fuerit.* — Id probamus proxime sequenti capite.

Argumentum X. — *Ex consensu variarum christiani nominis communionum.* — Habent quippe Episcopos tanquam a presbyteris distinctos, iisque superiores. Vide illud argumentum evolutum a Renaudot (*Perpétuité de la foi*, tomo 5, l. 5, c. 10).

Argumentum XI. — *Ex præscriptione.* — Etenim nulla assignari potest epocha, in qua noviter inducta probetur dis-

tinctio Episcopos inter et presbyteros, Salmasius contendit inductam fuisse initium inter et mediam partem secundi sæculi : Blondellus, post annum 136. Sed utrumque errasse probant citata sancti Ignatii verba, aliaque multa documenta.

Nota. — Abstinemus a deducendis aliis argumentis ac documentis quamplurimis, ne nimium excrescat tractatio. Ea reperiet lector apud Natalem Alexandrum (dissertatione 44, in sæculum 4), necnon apud Mamachium (*Origines christianæ*, libri 4, parte 1, capite 4).

§ II.

Solvuntur objectiones.

Objectio Iª.— *E Scriptura sacra.* — Apostolorum tempore nullum exstitisse Episcopos inter et presbyteros, sive nominis, sive potestatis discrimen, colligitur 1° ex epistola sancti Pauli ad Titum. Ibi enim (cap. 1, v. 5) sic loquitur Apostolus: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ ut constituas per civitates presbyteros.* Et postea describens quibus dotibus prædit esse debeant ii *presbyteri* per civitates constituendi, eos *Episcopi* nomine designat : *Oportet enim Episcopum sine crimine esse* (ibid., v. 7). Ex quo patet a S. Paulo Episcoporum et presbyterorum nomine, non diversos, sed eosdem intellectos et designatos fuisse. 2° Idem colligitur ex Actis Apostolorum (c. 20, v. 17) : *Paulus a Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu* (πρεσβυτέρους) *Ecclesiæ : qui cum venissent ad eum et simul essent, dixit eis... Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ibi pariter videmus eosdem Episcoporum et presbyterorum nomine designari. Præterea supponi nequit exstitisse tunc Ephesi turbam Episcoporum, eo sensu intellectorum quo postea intellecti sunt. Ergo illi Ephesinæ urbis Episcopi quos alloquebatur Paulus nihil aliud erant quam presbyteri. 3° Confirmatur hæc identitas ex epistola S. Pauli ad Philippenses (c. 1, v. 1) ubi episcopis

tantum et diaconis salutem dat, nulla facta mentione presbyterorum. Item ex epistola ad Timotheum, ubi exponit requisitas in Episcopis et diaconis dotes, silens omnino de presbyteris. Ergo revera episcopatum et presbyteratum non pro duplici, sed pro uno et eodem ordine et gradu habebant Apostoli. Distinctio proinde qua Episcopi presbyteris præpositi sunt, post Apostolos inducta est.

Prænotanda circa præmissam objectionem. — 1° Quoad difficilia hæc Scripturæ loca variæ fuerunt veterum etiam Patrum sententiæ. Existimat sanctus Chrysostomus (homilia 1 in epistolam ad Philipp., n. 1) Episcopi et presbyteri denominationem, Apostolorum tempore, communem fuisse primi et secundi ordinis sacerdotibus; ita ut re quidem et potestate differrent, non autem nomine. Arbitratur Theodoretus (*Comm.* in cap. 3 epistolæ 1 ad Timotheum, et in epistolam ad Philippenses) solos secundi ordinis sacerdotes Episcoporum et presbyterorum nomine tunc temporis vocatos : eos vero quos nunc Episcopos appellamus *Apostolos* dictos fuisse. S. Epiphanius (hæresi 75) contendit Episcopi nomen semper summis, nunquam secundi ordinis sacerdotibus fuisse tributum. Sanctus Irenæus citatum ex Actis Apostolorum locum sic explicat, ut S. Paulus convocaverit *Episcopos et presbyteros* qui erant Ephesi et in proximis civitatibus (*Contra hæreses*, l. 3, c. 14, n. 2) : vide textum apud Mamachium, t. 4, pag. 281, edit. Romæ 1850.

2° Sed neque recentiores in interpretandis citatis textibus plene concordant. Variæ scilicet, sive catholicorum, sive protestantium, circa eorum textuum sensum opiniones.

3° Ad plenam propositæ objectionis confutationem, satis est dari posse objectorum textuum interpretationes, quæ falsæ ab adversariis probari nequeant, et quæ optime concordent cum dogmate catholico de Episcoporum relate ad presbyteros superioritate. Cæterum inter varias illas interpretationes, quæ objectionem plene diluunt, quænam sit in se vera et potius admittenda, est quæstio diversa, cujus solutio

nequaquam necessaria est, ut confutetur objectio. Quo prænotato,

Respondetur : 1° Petavii interpretatio seu systema objectionem plene diluit. Suam hac de re sententiam profert Petavius (libri 1 *Dissert. eccles.*, cap. 2, pag. 167, edit. 1745) his verbis : « Primis illis Ecclesiæ temporibus, quæ, quod ad « formam et discipliuam attinet, quædam illius infantia dici « queunt, existimo presbyteros vel omnes vel eorum pleros« que sic ordinatos esse, ut Episcopi pariter ac presbyteri « gradum obtinerent. Id eo fieri solitum esse verisimile est, « quod, cum religio christiana professionem in dies faceret, « perque civitates et populos propagaretur, increbescente « multitudine, opus fuit paratam esse copiam Episcoporum, qui « ad urbes et provincias christiano partas nomini cum po« testate mitterentur, ut ea quæ ab solis Episcopis admini« strabantur, præstare possent ; cujusmodi sunt clericorum « ordinatio per manuum impositionem, confirmationis sacra« mentum, et alia quædam, quæ simplices presbyteri non « attingebant. Hac de causa videntur plures in eadem eccle« sia (velut Ephesina) Episcopi fuisse, qui Apostolis tanquam « majoris gradus pontificibus adeoque summis obsequeban« tur. Hoc tum simplices recens ortæ Ecclesiæ mores ferebant, « nondum ambitione et honorum cupiditate, malisque cæteris « artibus depravatis christianorum animis. Postea quam vero « pristina illa charitas et imitandi Christi amplectendæque « modestiæ et humilitatis refrixit amor, tum, quod Hierony« mus scribit, ad tollendas simultates et in schismatis reme« dium, unum aliquem e turba presbyterorum eligi placuit, « qui præesset reliquis; atque ita desiere pari non solum di« gnitate, sed etiam ordine ac potestate plures creari, trans« lata in unum tam honoris quam functionis prærogativa. « Quocirca nunquam non fuit in Ecclesia potestatum gra« duumque discrimen, hoc est, episcopatus et presbyteratus « simplicis; sed in eadem capita passim ambo conferebantur. « Hæc nostra de gravi ac perdifficili quæstione sententia eo

« plausibilior esse debet, quod et dubitationem ac contro-
« versiam præcidit omnem, et ab ipsamet Scriptura, illisque
« testimoniis quæ ansam nobis disputandi præbuerunt, pene
« in manus atque ob oculos injici videtur. Etenim presbyteros
« appellatos eosdem et Episcopos fuisse, ab Apostolis Petro
« atque Paulo, illorum ex verbis efficitur : nec minus etiam
« istud, quos presbyteros vocant, iis Episcoporum quæ sunt
« propria convenire; imprimis autem ordinationem, quæ est
« principum pastorumque præcipua quos Episcopos dici om-
« nes intelligunt. »

Juxta hanc hypothesim, quæ falsa ab adversariis non probatur, Apostolorum tempore, ii presbyteri, quibus regendus committebatur fidelium cœtus, ordinabantur simul Episcopi; et communi consilio administrabant; ac utroque Episcoporum et presbyterorum nomine designabantur; et aut nulli adhuc, aut pauci, cum sola presbyteratus potestate ac gradu ordinati fuerant. Quo semel admisso, jam nullam difficultatem exhibent objecti textus, ut patet. Simul autem verum remanet a Christo instituta duo distincta sacerdotia, primi scilicet et secundi ordinis, episcopatum et presbyteratum. Id tantum particulare hisce primo primis temporibus, quod sacerdotes secundi ordinis, seu presbyteri-non-Episcopi, nondum cœpissent ab Apostolis constitui, quia id minus urgebat. At mox singuli per singulas civitates constituti Episcopi, cum pluribus presbyteris et diaconis : et sic plene ad executionem deductum est, quod Christus instituerat.

2° Etiam abstrahendo ab hoc Petavii systemate, responderi potest cum Mamachio (*Origines christianæ*, tomo 4, pag. 293, edit. 1850) : « Sunt scriptores, et hi quidem docti ac veteres,
« qui Episcopos fuisse interdum presbyteros vocatos existi-
« ment, idque jam majorum auctoritate demonstrent, quam-
« vis Episcopos quos nunc dicimus, tum etiam cum Apostoli
« florerent, dignitate auctoritateque superiores *simplicibus*
« presbyteris fuisse arbitrentur. » Presbyterum sese vocat S. Petrus (epist. 1, c. 5, v. 1); itemque S. Joannes (epist. 2,

v. 1; et epist. 3, v. 1). Sicut autem potuerunt Apostoli sese presbyteros vocare, quamvis simplicibus presbyteris superiores procul dubio fuerint, ita et Episcopi, quamvis presbyteris superiores, potuerunt hoc nomine designari. S. Irenæus (auditor Policarpi, qui S. Joannis Apostoli discipulus exstiterat) omnino habuit Episcopos tanquam a presbyteris distinctos eisque superiores, et tamen ipsemet pluries Episcopos presbyterorum nomine designavit. Quod Episcopos habuerit tanquam a presbyteris distinctos eisque superiores, patet ex modo quo interpretatur objectum textum (ex Actis Apostolorum, cap. 20, v. 17) : « In Mileto, inquit, convocatis *Episcopis* « *et presbyteris*, qui erant ab Epheso et a reliquis proxi« mis civitatibus... » (*Contra hæreses*, libro 3, capite 14.) Idem tamen Irenæus Episcopos interdum presbyterorum appellatione designat : « Neque Polycarpus, inquit, Aniceto « persuadere potuit, ut observaret; cum Anicetus eorum « qui ante se fuerant *presbyterorum* morem sibi retinendum « esse diceret. » (Epistola ad Victorem Papam.) Ibi Romani Pontifices, Aniceti prædecessores, *presbyteri* vocantur. Et in epistola ad Florinum, agens de Polycarpo, sic Irenæus loquitur : « In conspectu Dei contestari possum, beatum illum et « apostolicum *presbyterum*... » Ergo revera non repugnat, Apostolorum tempore, eodem nomine designari solitos fuisse Episcopos et presbyteros, quamvis Episcopi essent a presbyteris distincti et ipsis superiores. Imo ita rem sese habuisse expresse tenet S. Joannes Chrysostomus (homil. in cap. 1, ad Philippenses) : « Antiquitus ipsi etiam presbyteri vocabantur « Episcopi et diaconi Christi; et Episcopi presbyteri. Quocirca « vel hodie multi Episcopi ita scribunt : *compresbytero* et *con*« *diacono*. Procedente vero tempore proprium cuique distri« butum est nomen, ut hic quidem Episcopus, ille vero pre« sbyter appelletur. »

Objectio IIª. — *Ex epistola 1 sancti Clementis ad Corinthios.* — Scripsit hanc epistolam S. Clemens « ecclesiæ Dei quæ in« colit Corinthum, » ut excitatam ibi contra presbyteros seu

Episcopos seditionem compesceret. In ea sic legere est capite 41 : « Prædicantes igitur (Apostoli) per regiones ac ur-
« bes, primitias earum spiritu cum probassent, in *Episcopos*
« *et diaconos* eorum qui credituri erant constituerunt. Neque
« hoc nove : sic enim alicubi dicit Scriptura : Constituam Epi-
« scopos eorum in justitia, et diaconos eorum in fide. »

Et capite 44 : « Et Apostoli nostri cognoverunt per Domi-
« num nostrum Jesum Christum quod futura esset contentio
« de nomine episcopatus. Ob eam ergo causam, perfectam
« præcognitionem adepti, constituerunt prædictos, et dein-
« ceps futuræ successionis regulam tradiderunt; ut cum illi
« decessissent, ministerium eorum ac munus alii viri probati
« exciperent. Constitutos itaque ab illis, vel deinceps ab aliis
« viris eximiis, consentiente universa Ecclesia, qui inculpate
« ovili Christi ministraverunt..., nos putamus officio injuste
« dejici. Neque enim leve erit nostrum peccatum, si eos qui
« citra querelam et sancta offerunt dona, *ab episcopatu* remo-
« verimus. Beati *presbyteri*, viam prius emensi, qui fructuo-
« sam perfectamque consecuti sunt dissolutionem : non enim
« verentur ne quis eos transferat de loco ipsis constituto.
« Videmus enim quod vos, nonnullos honeste viventes ex ad-
« ministratione quam inculpate ac honorifice exequebantur,
« dimovistis. » Hæc sancti Clementis verba evincunt, ipsius tempore, id est, circa annum Christi 68, eosdem fuisse Episcopos ac presbyteros, et duos tantum exstitisse ordines, diaconorum scilicet, et Episcoporum qui et presbyteri vocabantur.

Respondetur. — 1° Vim non habere hanc presbyterianorum objectionem, fuse probat Mamachius (*Origines christianæ*, libri 4, parte 1, capite 4, § 2, n. 1, pag. 311, tomi 4, edit. 1850). Ipsius autem disceptationis hæc summa est :

Primo, in eadem epistola non desunt quæ distinctionem Episcoporum a presbyteris patefaciant. Sic enim habetur capite 1 : « In Dei legibus ambulabatis, *præpositis* (ἡγουμένοις)
« vestris subditi, et *presbyteris* qui sunt inter vos debitum
« honorem tribuentes. » Ejusmodi *præpositis*, ibi et in multis



aliis antiquis documentis, designari Episcopos, non immerito existimatum est : exhibentur autem tanquam distincti a presbyteris. Capite 40, sic habet sanctus Clemens : « Summo « quippe sacerdoti sua munia tributa sunt : et sacerdotibus « locus proprius assignatus est : et levitis sua ministeria in« cumbunt : homo laïcus laïcis præceptis constringitur. » Equidem ibi alludit S. Clemens ad Vetus Testamentum; sed ita ut triplicem sacri ministerii gradum in unaquaque ecclesia constitutum, Episcopum nempe, presbyteros et diaconos aperte innuat.

Secundo, objecta S. Clementis epistola scripta fuit, non ad solos Corinthios, sed ad alias etiam circumjacentes civitates, inter quas metropolis erat Corinthus. Nec objiciatur in ipsa epistola exprimi, eam directam esse ecclesiæ *quæ incolit Corinthum* : nam græce habetur παροικοῦση Κόρινθον : porro vox illa παροικοῦση totam designat circumvicinam regionem. Loquitur ergo S. Clemens de omnium ejusmodi civitatum Episcopis et presbyteris, non autem de solo Corinthi clero. Quo semel præsupposito, nullam difficultatem exhibent citati textus. Quod enim indiscriminatim Episcoporum et presbyterorum nomine utatur, id mos fuit hujus temporis, prout superiorem objectionem confutando probavimus. Hinc, juxta eumdem morem, sub *Episcoporum* nomine, duplex sacerdotium, majus et minus, episcopatum et presbyteratum, designavit; et ideo de *Episcopis* et *diaconis* solummodo mentionem fecit.

2° Etiamsi adversariis concederetur (quod tamen probabile non est), de solo Corinthi clero agi a S. Clemente, et plures in ea urbe tunc exstitisse qui Episcopi et presbyteri dicerentur, essentque æquales, et pari consilio ecclesiam regerent, non ideo sequeretur simplicibus presbyteris superiores ex divina institutione non fuisse Episcopos. Applicari enim posset supra exposita Petavii opinio ; quod nempe temporibus apostolicis uni et eidem civitati præficerentur quandoque plures presbyteri, qui simul Episcopi ordinarentur, quique in communi fidelem populum regerent. Dici posset hanc transitoriam

formam, a Paulo Apostolo Corinthi primum institutam, adhuc perseverasse anno 68, quo suam Corinthiis epistolam S. Clemens direxit. Juxta hanc hypothesim, nondum Corinthi exstitissent *simplices* presbyteri ; sed Episcopi tantum et diaconi, quamvis Episcopi simul presbyteri dicerentur : ita scilicet ut nondum unicus Episcopus huic ecclesiæ regendæ præfectus fuisset; at plures æquali potestate et communi consilio eam regerent.

Objectio III. — *Ex sancto Hieronymo.* — Sic habet, in epistolam ad Titum : « Diligenter Apostoli verba attendamus « dicentis, *ut constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi* « *disposui ;* qui qualis presbyter debeat ordinari, in conse- « quentibus disserens, hoc ait : *Si quis est sine crimine, unius* « *uxoris vir*, etc. Postea intulit : oportet enim Episcopum sine « crimine esse, tanquam *Dei dispensatorem*. Idem est ergo « presbyter qui et Episcopus ; et antequam diaboli instinctu « studia in religione fierent, et diceretur in populis, *ego sum* « *Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ,* communi presbyterorum « consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam autem unus- « quisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi, « in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus « superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura per- « tineret, et schismatum semina tollerentur. Putat aliquis non « Scripturarum, sed nostram esse sententiam, *Episcopum* et « *presbyterum* unum esse, et aliud ætatis aliud esse nomen « officii : relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis : « *Paulus et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in* « *Christo Jesu qui sunt Philippis, cum Episcopis et diaconis, gratia* « *vobis et pax*, et reliqua. Philippi una est urbs Macedoniæ ; « et certe in una civitate plures, ut nuncupantur Episcopi « esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo tempore « quos et presbyteros appellabant, propterea indifferenter de « Episcopis, quasi de presbyteris, est locutus.... Et Petrus, « qui ex fidei firmitate nomen accepit, in epistola sua loquitur « dicens : *Presbyteros ergo in vobis obsecro compresbyter....* Hæc

« propterea ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse « presbyteros, quos et Episcopos; paulatim vero, ut dissen- « sionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitu- « dinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ec- « clesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse sub- « jectos, ita Episcopi noverint, se *magis consuetudine quam* « *dispositionis dominicæ veritate*, presbyteris esse majores, et « in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, « qui cum haberet solus præesse populo Israel, septuaginta « elegit, cum quibus populum judicaret. »

Eam doctrinam defendit etiam S. Hieronymus, in sua ad Evagrium epistola (101, alias 85) : « Audio quemdam in tantam « erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, id est Epi- « scopis, anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat « eosdem esse presbyteros et Episcopos, quis patiatur, men- « sarum et viduarum minister ut supra eos se tumidus effe- « rat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque confi- « citur?.... Quod autem postea unus electus est, qui cæteris « præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unus- « quisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam « Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam et « Dionysium Episcopos, presbyteri semper unum ex se ele- « ctum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant; « quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eli- « gant de se quem industrium noverint, et archidiaconum « vocent. Quid enim facit, *excepta ordinatione*, Episcopus, « quod presbyter non faciat.... Presbyter et Episcopus, aliud « ætatis, aliud dignitatis est nomen; unde et ad Titum et ad « Timotheum de ordinatione Episcopi et diaconi dicitur, de « presbyteris omnino reticetur, quia in Episcopo et presbyter « continetur.... Et ut sciamus traditiones apostolicas sumptas « de Veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus, atque levitæ « in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et presbyteri et diaconi « vindicent in Ecclesia. » Ex his et nonnullis aliis similibus S. Hieronymi textibus, contendunt presbyteriani, a sancto

illo Patre ipsissimam presbyterianismi doctrinam luce meridiana clarius propugnatam fuisse.

Respondetur. — 1° Episcopum superiorem presbyteris esse potestate ordinandi, luce meridiana clarius docet S. Hieronymus citatis verbis : *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat ?* Hac sola phrasi (quam frustra in alium sensum detorquere protestantes conati sunt) exploditur presbyterianismus, utpote qui omnimodam asserit Episcopum inter et presbyterum æqualitatem.

2° Non minus aperte superiores presbyteris ex jure divino Episcopos docet, dum asserit posse eos in Ecclesia, relative ad presbyteros et diaconos sibi vindicare, quod Aaron in templo, relative ad filios suos et levitas. Aaron enim de jure divino filiis et levitis potestate superior exstitit.

3° Item clare tenuit S. Hieronymus, a tempore Apostolorum atque statim ab ipsis ecclesiarum exordiis, constitutos in iis fuisse Episcopos, a cæteris presbyteris gradu distinctos, et iisdem superiores. « Nam Alexandriæ, inquit, a Marco « evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, « presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu « collocatum, Episcopum nominabant, quomodo si exerci- « tus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se quem in- « dustrium noverint, et archidiaconum vocent. » Ergo, ipsomet testante Hieronymo, *a tempore Apostolorum* Alexandrinæ ecclesiæ præfuit semper Episcopus, in *excelsiori gradu* collocatus, et Episcopus vocatus; quique cæteris erat quod imperator exercitui. Ad caput 26 Evangelii S. Matthæi, sic habet idem Hieronymus : « Quod fecerunt et Apostoli, per singu- « las provincias ordinantes *presbyteros et Episcopos.* » Non dixit *presbyteros seu Episcopos,* sed, *presbyteros* ET *Episcopos;* aperte indicans, Apostolorum tempore, exstitisse duos illos distinctos gradus, quos Episcoporum et presbyterorum nomine designamus. De ecclesia autem Antiochena sic loquitur : *Ignatius ecclesiæ Antiochenæ tertius post beatum Petrum Episcopus* (in *Catal.*). Supponit ergo, in Antiochena

ecclesia S. Petro successisse, non plures, sed unum Episcopum, qui fuerit secundus; et secundo item successisse, non plures Episcopos, sed unum, videlicet S. Ignatium, qui fuerit tertius : eos autem Episcopos fuisse cæteris presbyteris superiores, alioquin non dicendum fuisset *secundus post beatum Petrum Episcopus*, sed *unus de presbyteris seu Episcopis, qui post beatum Petrum simul et æquali potestate ecclesiam Antiochenam rexerunt*. Jam vero hac S. Hieronymi doctrina, quæ a tempore Apostolorum et statim ab initio supponit singulis ecclesiis præpositos singulos Episcopos, reliquo clero superiores, prorsus exploditur presbyterianismus, qui nonnisi *secundo sæculo* inductos contendit Episcopos, reliquis presbyteris præpositos.

4° Docuit S. Hieronymus, Episcopos Apostolis successisse, presbyteros autem designari per 70 discipulos. *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent* (epist. 41 ad Marcellam, n. 3 edit. Vallars). *Nec dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus derivatæ aquæ totius mundi siccitatem rigant. Juxta has aquas septuaginta creverunt palmæ, quos et ipsos* SECUNDI ORDINIS *sacerdotes intelligimus præceptores* (ep. 78, edit. Vallars). Ergo iterum ab Hieronymo presbyteranismus exploditur.

5° Qui tenent nullum intercedere presbyterum inter et Episcopum discrimen, hos dicit Hieronymus naufragium in portu facere : *Nihil interest, scribit, inter presbyterum et Episcopum : eadem dignitas mittentis (Episcopi) et missi (presbyteri) ; hoc satis imperite; in portu, ut dicitur, naufragium* (adversus Joannem Hierosolymitanum Episcopum, t. 2 operum, col. 447, edit. Vallars).

6° Si Episcopis de jure divino æquales presbyteros dixisset S. Hieronymus, ii Patres qui Aerium tanquam hæreticum accusarunt, Hieronymum etiam pro hæretico habuissent : porro ii Patres nedum hæreseos Hieronymum insimulent, summis eum laudibus prosequuntur: ergo Hieronymi verba aliter ipsis interpretanda visa sunt, quam volunt presby-

teriani. « Epiphanius quidem, Augustinus, aliique veteres « (quos sunt cæteri qui libros de hæresibus ediderunt au- « ctores sequuti) Aerium in hæreticis numerarunt, propter- « ea quod presbyteros æquandos esse Episcopis judicas- « set; Hieronymum autem, cujus erat ipsis explorata sen- « tentia, non solum in suspicionem hæreseos non vocarunt, « sed etiam summis laudibus celebraverunt... Intellexerint « ergo Patres necesse est, errorem Aerii longe ab senten- « tia Hieronymi discrepasse. » (Mamachius, *Origines christianæ*, tomo 4, pag. 423, edit. Romæ 1850.)

Nec objiciatur, ideo Aerium hæresis accusatum fuisse, quia negavit, etiam *de jure ecclesiastico*, seu vi inductæ consuetudinis, superiores presbyteris Episcopos. Nam quo tempore scribebat Aerius, ubique Episcopi jurisdictionem in presbyteros exercebant : quæ disciplina ecclesiastica tunc adeo patens et universalis erat, ut ne in mentem quidem Aerio venire potuerit eam negare. Non ergo negavit Episcoporum superioritatem *de facto introductam;* at negavit eam divina institutione fundari, et ideo hæreticus reputatus est.

7° Supposito (non concesso) quod objecti S. Hieronymi textus non possent intelligi nisi de vera ex jure divino æqualitate Episcopos inter et presbyteros, sequeretur pro nulla habendam fore hac in re Hieronymi auctoritatem. Cum enim contrariam doctrinam non minus aperte alias tenuerit, ut ex præmissis patet, ejus asserta, utpote inter se pugnantia, nihil probarent. Absit autem ut concedamus citatos S. Hieronymi textus, nonnisi in presbyterianismi sensu intelligi posse. Nam,

8° A doctoribus catholicis il textus explicantur ut sequitur :

Primo : negavit quidem S. Hieronymus nomine distinctos initio a presbyteris fuisse Episcopos. Sed hoc presbyterianismum nihil juvat, et a catholicis admittitur. « Quantum ad « nomen, ait S. Thomas, olim non distinguebantur Episcopi « et presbyteri; sed secundum rem semper inter eos fuit « distinctio, etiam temporo Apostolorum. Postmodum tamen

« ad schisma vitandum necessarium fuit ut etiam nomina « distinguerentur, ut scilicet majores dicerentur Episcopi, « minores autem presbyteri. » (2. 2, q. 184, a. 6 ad 1.)

Secundo : quod asseruit S. Hieronymus, *communi presbyterorum consilio ecclesias primum gubernatas fuisse; postea vero toto orbe decretum ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret,* intelligi potest juxta Petavii systema, quod supra exposuimus. Quos nempe in quibusdam civitatibus ad regendum fidelium cœtum constituebant Apostoli, eos Episcopos simul et presbyteros ordinabant. Unde in iis civitatibus nondum erant *simplices* presbyteri, sed dumtaxat Episcopi. Hi autem Episcopi presbyterorum etiam nomine designabantur : ecclesiam gubernabant communi consilio et pari auctoritate : ac si qua forte oriretur difficultas, recurrebatur ad Apostolum qui ecclesiam fundaverat. Hæc autem forma transitoria, mox ob dissensiones sublata est. Statutum nempe est ut unicus in unaquaque ecclesia ordinaretur Episcopus; cæteri vero presbyteri, *simplici* dumtaxat presbyteratui initiarentur. Et ita inductum est ut in Episcopum eligeretur unus de presbyteris, qui aliis superponeretur, et ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret. Sic intellecta S. Hieronymi verba, nullatenus catholico dogmati adversantur, ut patet.

Et sic intelligendos esse objectos Hieronymi textus existimat etiam doctissimus Wolf. « Apostolicis, inquit, temporibus « inter Episcopos et presbyteros fuisse nullum discrimen « asseverat frequenter sanctus Hieronymus. Episcopatus et « presbyteratus sunt jure divino distincti omnino ordines. « Verum primis illis Ecclesiæ exordiis nemo dumtaxat in « presbyterum, sed omnis presbyter complete in Episcopum « ordinabatur; qui mos dudum perseveravit in quibusdam « ecclesiis, præsertim Alexandrina. Hunc esse Hieronymi « sensum facile et lucide possit ostendi... » (Christ. Lupus, operum tomo 1, pag. 241, edit. Venetiis 1724.)

Tertio : abstrahendo etiam a Petavii systemate, textus isti

possunt hoc modo intelligi : existimavit quidem Hieronymus initio æquales fuisse Episcopos et presbyteros, *etiam quoad ecclesiæ administrationem;* sed eo sensu quod *de facto* in communi Episcopus et ejus presbyteri ecclesiam administrare tunc consueverint; non autem eo sensu quod jam tum Episcopus non fuerit *de jure* et ex divina institutione presbyteris superior. Distinguenda nempe jurisdictio seu potestas regendi, ab illius potestatis *exercitio*. Esto hujusce potestatis exercitium ita permissum sit simplicibus presbyteris, ut eam non minus exercuerint quam ipse Episcopus : non ideo desiit Episcopus de jure divino superior esse presbyteris, neque id ullatenus affirmat S. Hieronymus. Et de superioritate quoad potestatem ordinandi nullum esse potest dubium, cum illam expresse Hieronymus Episcopo vindicet, presbyteris expresse deneget. Unde in hoc uno tandem æquales initio Episcopos et presbyteros pronuntiavit Hieronymus, in *nomine* scilicet, et in *exercitio* potestatis administrandi : atque id unum ex *dispositione ecclesiastica* inductum existimavit, ut dictæ potestatis *exercitium*, non jam penes cunctos in communi presbyteros, ut antea, sed penes unum Episcopum staret (vide Bianchum, *Potesta e politia della Chiesa*, tomo 3, l. 1, cap. 2, § 7 et seq. — Mamachium, *Origines christianæ*, libro 4, cap. 4, § 2, pag. 416 et seq. editionis 1850).

9° Tandem etiamsi concederetur (quod absit) sanctum Hieronymum æquales de jure divino Episcopis presbyteros existimasse, quid aliud concludendum foret, quam ipsum hac in re contra communem Patrum ac Ecclesiæ doctrinam esse opinatum, atque errasse? Quod enim docet unus e sanctis Patribus, catholicam doctrinam non probat, nisi cæteri Patres et traditio idem tenuerint. Porro tanquam dogma catholicum habitam fuisse Episcoporum supra presbyteros de jure divino præstantiam, omnino constat; ita ut etiam eam negantes inter hæreticos antiquitas recensuerit.

Nota. — Plures alias objectiones, ex antiquis monumentis deductas urgere solent presbyteriani; quarum confutationem

(hic brevitatis causa omissam) reperies apud Mamachium, citato loco, necnon apud Natalem Alexandrum, ad sæculum 4, dissert. 44.

CAPUT III.

DE DUPLICI EPISCOPORUM POTESTATE, *ordinis* SCILICET ET *jurisdictionis;* ET NUM UNA SINE ALTERA STARE POSSIT.

I. Potestas *ordinis* Episcopo propria, illa est quæ ipsi confertur per consecrationem episcopalem, et vi cujus potest quædam sacramenta valide administrare, quæ simplices presbyteri valide administrare nequeunt. Potest, verbi gratia, Episcopus sacerdotium valide conferre, quod frustra facere tentaret simplex presbyter. Item valide confirmationis sacramentum administrat Episcopus, absque ulla ad id delegatione : simplex autem presbyter, nisi delegationem ab auctoritate ecclesiastica receperit, valide sacramentum illud non administrat.

Potestas hæc ordinis æqualis est in omnibus Episcopis, ita ut ipse etiam Papa majorem cæteris non habeat. Estque id extra controversiam omnem apud catholicos.

Item certum est hac ordinis potestate presbyteris superiores esse Episcopos, ut sequenti capite probamus.

Num autem episcopalis consecratio sit ordo distinctus et sacramentum distinctum a presbyteratu, celebris controversia fuit, quæ infra expenditur.

II. Potestas *jurisdictionis*, duplex distinguitur : fori *interni* seu *pœnitentialis*, et fori *externi*. Prior est potestas absolvendi a peccatis per sacramenti pœnitentiæ administrationem : posterior potestatem legislativam, coercitivam, gubernativamque complectitur, et generatim ea omnia quæ ad exterius Ecclesiæ regimen spectant.

Certum autem est jurisdictionem *fori interni*, a jurisdictione *fori externi* dependere ; ita ut non valeant sacerdotes sacra-

mentum pœnitentiæ administrare, nisi facultatem ipsis dederit ille, ad quem pertinet subditorum externum regimen, seu fori externi potestas.

Hinc in præsenti tractatu, loquendo simpliciter et sine explicatione de Episcoporum jurisdictione, intelligemus præcipuam illam *fori externi* jurisdictionem, cui et altera subjicitur.

III. Quod mente ab invicem distingui valeant potestas ordinis et potestas jurisdictionis, negat nullus. Atvero circa quæstionem, *an de facto una sine altera stare possit*, diligenter distinguendum est, quid omnino certum sit et a catholicis doctoribus unanimiter receptum, quid vero controversiæ obnoxium.

1° Stare posse jurisdictionem episcopalem absque episcopali potestate ordinis, omnino certum est inter doctores catholicos; et vel inde patet, quod electus in Episcopum et confirmatus, eam jurisdictionem habeat, licet nondum consecratus. Pariter, vacante sede, vicarius capitularis, etsi simplex presbyter, episcopalem jurisdictionem habet et exercet.

2° Nec minus certum est, eum qui episcopalem consecrationem accepit, sed cui Romanus Pontifex nondum ullam diœcesim ullosve subditos assignavit, carere omni jurisdictione, *saltem exercibili*. Est nempe certa catholicorum doctrina, talem Episcopum consecratum non posse ullam jurisdictionem *valide exercere*. Et verum id remanet, sive aliquam immediate a Christo (per ipsammet consecrationem) acceperit, sive nullam; quia etiam in opinione quæ tenet, conferri immediate a Christo jurisdictionem Episcopis dum consecrantur, admittitur simul hanc jurisdictionem remanere ligatam, nec posse valide exerceri, donec Summus Pontifex territorium seu subditos assignaverit.

3° An autem revera Episcopus, dum consecratur, recipiat immediate a Christo jurisdictionem, ita ut non possit stare potestas ordinis, quin hoc ipso habeatur jurisdictio, quamvis ligata, et non exercibilis ante subditorum assignationem, est

quæstio disputata. Pendet nempe a celebri controversia, (quam infra, capite 6 expendimus) an Episcopi jurisdictionem immediate habeant a Deo, an vero immediate a Papa. Unde circa possibilem separationem utriusque potestatis, sic distinguendum est : *primo,* jurisdictio episcopalis stare potest sine episcopali potestate ordinis, et hoc est certum : *secundo,* episcopalis potestas ordinis stare potest sine episcopali jurisdictione *exercibili,* et hoc etiam certum est : *tertio,* quod episcopalis potestas ordinis semper sibi aduexam habeat jurisdictionem, ligatam saltem, id est nonnisi post assignatos a Papa subditos *exercibilem,* nonnulli affirmant, negant alii.

IV. His prænotatis, duas sub præsenti capite conclusiones firmabimus : 1° stare posse episcopalem jurisdictionem, sine episcopali potestate ordinis : 2° stare posse episcopalem potestatem ordinis, sine ulla episcopali jurisdictione *exercibili.* Quod autem illa altera jurisdictio, quam *ligatam* vocant et *non exercibilem* nisi post assignatos a Papa subditos, episcopali consecrationi nequaquam fuerit divinitus annexa, probamus infra, capite 6.

PROPOSITIO I[a]. — *Stare potest jurisdictio episcopalis, absque episcopali potestate ordinis.* — « Certum apud omnes est, po-« testate *ordinis* nonnisi per *consecrationem* Episcopo tribui. « Igitur si Episcopis jurisdictionis potestate ante consecratio-« nem uti liceat, duas hasce potestates sejungi posse plane « consequitur. Hæc enim vero ita se habere quis neget? Ele-« ctus scilicet ac confirmatus Episcopus, ex Tridentini Con-« cilii permissione (sess. 23, c. 2 *de Ref.*), differre ad tres « menses consecrationem potest... Ex quo tamen electus et « confirmatus est, integræ jurisdictionis potestate statim pol-« let (cap. 1 et 2 *de Translatione Episcoporum;* et cap. *Tran-« smissum, de electione*); adeo ut, licet ante consecrationem « nihil eorum quæ sunt ordinis exercere possit..., alteri ta-« men Episcopo qui consecratus sit facultatem horum omnium « sua in diœcesi peragendorum committere queat... S. Tho-« mas (in 4, dist. 20, q. unica, art. 4) ad indulgentias quoque

« elargiendas Episcopi electi et confirmati, nec tamen con-« secrati, potestatem docet extendi. Quæ quidem de iis « etiam Episcopis electis ac confirmatis dicenda sunt, qui ex « negligentia consecrationem ad plures annos distulere..... « Multo autem magis ad eos electos et confirmatos Episco-« pos hæc spectant, quibus (quemadmodum a Gregorio XIII « Archiepiscopus Coloniensis anno 1573 impetravit) fuit a « Romanis Pontificibus ne consecrarentur indultum. » (Zaccaria, *Antifebronius vindicatus*, dissert. 3, cap. 1, n. 4.) Præterea, sede vacante, vicarius capitularis, etsi simplex presbyter, episcopalem jurisdictionem habet et exercet. Ergo revera jurisdictio hæc stare potest absque episcopali ordinis potestate.

PROPOSITIO IIª. — *Potest quis habere episcopalem potestatem ordinis, quin ullam valeat jurisdictionem exercere.* — 1° Patet in Episcopis qui sese episcopatu abdicant. « Cessione enim, « jurisdictio quam cedens missam facit, disjungitur ab ordi-« ne, qui nunquam amittitur. » (Zaccaria, loco cit., n. 5.)

2° Patet iterum in Episcopis depositis. « In breviario Hip-« ponensium canonum (apud Ballerinos, tomo 3 operum « S. Leonis, col. 94, can. 8) de Episcopo qui, cum *in Ecclesia « ei fuerit crimen impositum, relicto ecclesiastico judicio, publicis « judiciis purgari voluerit*, id sancitum legimus, ut *etiamsi pro « illo fuerit prolata sententia, locum suum amittat*. Nicæni au-« tem itemque Africani Patres, ad catholicam unitatem re-« deuntes a schismate (in quo episcopali jurisdictione frue-« bantur) Episcopos, in gradum simplicis presbyteri recipi « jusserunt... Chalcedonensis Concilii canone 9 et 20 statu-« tum generatim fuit : *Episcopum in presbyteri gradum dedu-« cere sacrilegium est. Quod si justa causa illum ab episcopali « actione removet, nec presbyteri locum potest obtinere...* Porro, « cum jurisdictionis potestas iis qui nondum consecrati sint « Episcopi, ante ordinis potestatem conferatur; contra pote-« stas ordinis in iis omnino perstet qui, quod aut sponte epi-« scopatui cesserint, aut ob crimina ab episcopatu fuerint

« deturbati, omni jurisdictione Ecclesiæ judicio spoliantur; « earum potestatum altera sine altera consistit. Separari ergo « possunt, ac sine noxa, cum Ecclesia id probet semper, ali- « quando etiam jubeat. » (Zaccaria, *Antifebronius vindicatus*, dissert. 3, cap. 1, n. 6 et 7.)

Objicies. — Quamvis Episcopus, qui abdicat vel deponitur, amittat jurisdictionis exercitium, non tamen amittit jurisdictionem ipsam. Etenim retinet adhuc jurisdictionem *in radice*, seu *in actu primo*, quamvis ligatam et non exercibilem, donec ei denuo subditi assignati fuerint. — *Respondeo :* Sub præsenti capite id dumtaxat probare voluimus, posse stare in Episcopo ordinis potestatem absque jurisdictione saltem *exercibili*. Alteram autem illam jurisdictionem *in radice* seu *ligatam*, quæ fingitur a Christo immediate collata dum consecratur Episcopus, merum figmentum esse probamus infra, capite 6; ubi quæstionem expendimus, an Episcopi jurisdictionem a Deo immediate habeant.

CAPUT IV.

EPISCOPI DE JURE DIVINO SUPERIORES SUNT PRESBYTERIS POTESTATE ORDINIS.

Prænotandum. — Abstrahimus hic a quæstione, infra discutienda, an episcopatus sit ordo distinctus et sacramentum distinctum a presbyteratu; an vero sit dumtaxat ordinis presbyteralis extensio quædam et complementum. In utraque hypothesi certum est et omnino tenendum, ex ordinatione episcopali exurgere potestatem, qua carent presbyteri; potestatem nempe valide conferendi sacramentum ordinis, necnon sacramentum confirmationis ex jure ordinario. Hancce potestatem, ex consecratione episcopali promanantem, qua Episcopi presbyteros superant, hic paucis demonstrandam suscipimus.

PROPOSITIO I^{a}. — *Certum est et de fide Episcopis competere potestatem ordinandi, quam non habent presbyteri.* — 1° Id ex-

presse definivit Tridentina Synodus (sess. 23, canone 7) his verbis : « Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, « vel eam quam habent illis esse cum presbyteris commu« nem... Anathema sit. »

2° Idem a sanctis Patribus et tota retro antiquitate tanquam certum habitum est. Nonnulla dumtaxat documenta proferemus.

Refert S. Athanasius atque approbat Alexandrinæ Synodi sententiam, adversus quemdam Ischyram prolatam. Is nempe ordinatus fuerat presbyter, et ordinatio ejus declarata est nulla et irrita, ex eo quod facta fuisset a Collutho, qui se quidem fingebat Episcopum, sed qui revera presbyter tantum erat. « Ischyra dicente seipsum presbyterum, qui non est « presbyter. A Collutho enim presbytero (qui episcopatum « sibi imaginarium vindicaret, et qui demum a generali Sy« nodo Osii et eorum qui cum eo erant Episcoporum jussus « erat pro presbytero esse, ut prius) ordinatus est. Et conse« quenter omnes qui a Collutho ordinati fuerant, in eumdem « locum redierunt, in quo et prius erant; quemadmodum et « Ischyras ipse laicus apparuit. » (Apud S. Athanasium, tom. 1, pag. 193, edit. Montfauconi.)

« Unde igitur presbyter Ischyras ? A quo ordinatus ? Utrum « a Collutho? Hoc enim restat. Atqui Colluthus *presbyter cum « esset* periit ; et omnis ab illo facta manuum impositio facta « est irrita : et omnes qui per ipsum in schismate ordinati « sunt, laici facti sunt, et sic congregantur. Manifestum hoc « est et nemini dubium. » (Loco cit., pag. 134.)

Supra jam adduximus S. Hieronymi dictum, *quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* Quo propriam Episcopis ordinandi potestatem aperte declarat Hieronymus (vide Mamachium, *Origines Christianæ*, tomo 4, pag. 34 editionis 1850).

Refert Eusebius (*Historia eccles.*, l. 6, c. 43) quomodo Novatus, qui Romæ Episcopus fieri volebat, conaretur a non-

nullis Episcopis obtinere, ut episcopalem ei ordinationem conferrent. Unde tunc temporis, id est, sæculo III, ipsis etiam hæreticis persuasum erat, non posse Episcopum fieri nisi ab Episcopo.

S. Epiphanius (hæresi 75), ad confutandum errorem Aerii, qui æquales Episcopis presbyteros pronuntiabat, hanc urget rationem : « Ordo siquidem Episcoporum ad gignendos *Patres* « præcipue pertinet. Hujus enim est *Patrum* in Ecclesia pro« pagatio. Alter *(presbyterorum)* cum *Patres* non possit, filios « Ecclesiæ lotionis regeneratione producit. »

S. Chrysostomus (homilia 11 in epistolam 1 ad Timotheum, n. 1) de Episcopis loquens, sic habet : *Ordinatione sola superiores sunt ; atque hinc tantum patet eos presbyteris præstare.*

Antiquissimi rituales libri Episcopum tanquam sacramenti ordinis ministrum constanter exhibent (vide Martene, *de Antiquis Eccl. Ritibus*, l. 1, parte 2, art. 11).

Et tandem orientales ecclesiæ, etsi communione divisæ, concordes sunt in attribuenda Episcopis et deneganda presbyteris potestate ordinandi sive Episcopos, sive presbyteros aut diaconos (vide *Perpétuité de la Foi*, tomo 5, libro 5, capite 8).

Objicies 1°. — In epistola 1 ad Timotheum, (4, 14) sic habetur : *Noli negligere gratiam... quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyteri.* Ergo et ipsi presbyteri ordinabant.

Respondeo. — Sensum esse, « cum impositione manuum *qua factus es presbyter* ; » et tunc presbyteri etiam nomine designabantur Episcopi. Cæterum ex secunda epistola ad eumdem Timotheum constat eum ordinatum fuisse a S. Paulo, non autem a simplicibus presbyteris.

Objicies 2°. — Concilio Carthaginensi 4 (canone 3) statutum est ut, « cum presbyter ordinatur, Episcopo eum benedicente « et manum super eum tenente, etiam omnes presbyteri qui « præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super « caput illius teneant. »

Respondeo. — Id a presbyteris præsentibus fieri præcipitur

tanquam *mera cæremonia*, concedo : tanquam necessarium ad ordinationem, nego:

Objicies 3°. — A pluribus conciliis permittitur chorepiscopis ordinare presbyteros et diaconos, si annuat Episcopus.

Respondeo. — Et hi chorepiscopi erant veri Episcopi, concedo : et erant simplices presbyteri, nego. Plures ex istis chorepiscopis veros fuisse Episcopos, plura documenta testantur. Sic, verbi gratia, habet concilium Antiochenum (apud Harduinum, t. 1, col. 597) : « Qui in vicis vel possessionibus « chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem « Episcoporum perceperint, et ut Episcopi consecrati sint, « tamen S. Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant... Nec presbyterum vero nec diaconum audeant or« dinare, præter civitatis Episcopum. »

Objicies 4°. — S. Leo (epist. 167 editionis Ballerini) ratas habuit ordinationes a *pseudo episcopis* factas.

Respondeo. — Id est, ab Episcopis illegitimis, concedo : id est, a non habentibus episcopalem characterem, nego.

Objicies 5°. — A Nicæno Concilio facta est presbyteris potestas manus imponendi προχειρίζεσθαι. (Apud Theodoretum, l. 1, c. 9.)

Respondeo. — Id est, eligendi, concedo : id est, ordinandi, nego.

Objicies 6°. — Teste Cypriano (epist. 49) Novatus presbyter sibi Felicissimum diaconum constituit.

Respondeo. — Id est ordinari diaconum procuravit, concedo : ipsemet ordinavit, nego.

Propositio IIa. — *Certum est et de fide Episcopis competere aliquam confirmandi potestatem, quam non habent presbyteri.* — 1° Id expresse definivit Tridentina Synodus, sessione 23, canone 7, his verbis : « Si quis dixerit Episcopos non esse pre« sbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi « et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presby« teris communem... Anathema sit. »

2° Ex antiquitatis documentis pariter constat confirmandi

potestatem Episcopis absolute semper attributam fuisse: presbyteris vero non nisi ex Episcoporum auctoritate et delegatione (vide apud P. Perrone, tract. *de Confirmatione*, cap. 2). Quam doctrinam sic exprimit Mamachius (*Origines Christianæ*, tomo 4, pag. 472 editionis 1850): « In fronte baptizatorum « signare Spiritumque Sanctum tradere, presbyteri, nisi con- « cedente seu committente Pontifice, non possunt: si autem « signent, non admittente Pontifice, eorum est actio inanis. » Unde confirmandi potestas, qualis est in Episcopis, non est in presbyteris; siquidem valida semper est confirmatio quam confert Episcopus; non autem semper ea quam conferunt presbyteri.

Nota. — Sequentes quinque propositiones, de potestate presbyterorum confirmationem ex legitima delegatione administrandi, ad præsentis sectionis scopum non pertinent. Eas tamen hic posuimus ob materiæ connexionem, ne pluribus in locis de eadem re sermo recurreret.

Propositio III[a]. — *De fide est solum Episcopum esse ministrum ordinarium confirmationis.* — Id siquidem fuit definitum a Concilio Constantiensi, in damnatione errorum Wiclefi; ab Eugenio IV, in decreto instructionis ad Armenos; atque a Tridentina Synodo (sess. 7, c. 3), his verbis: *Si quis dixerit, sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.*

Propositio IV[a]. — *Potest simplex sacerdos ex delegatione Pontificis confirmationis sacramentum ministrare cum chrismate quod consecraverit Episcopus.* — Omnino certa nunc atque tenenda est conclusio hæc, quamvis olim inter doctores catholicos acriter fuerit controversa. Etenim Sedis Apostolicæ praxis est, ut identidem deputet simplicem presbyterum ad confirmationem administrandam, cum chrismate per Episcopum confecto. Documenta quæ praxim illam testantur, vide apud Benedictum XIV (*de Synodo*, l. 7, c. 7, n. 7). « Quare, « ait citatus Pontifex, non videtur hodie fas esse, potestatem « de qua olim disceptabatur, Summo Pontifici abjudicare,

« Quoniam, ut ait Veracrux, *de Pontificis potestate, postquam* « *dispensavit dubitare, instar sacrilegii est : esset enim Christo* « *quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiæ suæ providisset.* »

PROPOSITIO V^a^. — *Videtur Sedes Apostolica simplici sacerdoti concedere posse, non tantum ut confirmationem ministret, sed etiam ut chrisma conficiat.*—Id a Sede Apostolica, aut nunquam aut rarissime concessum fuisse, adnotat Benedictus XIV (*de Synodo,* l. 7, c. 8, n. 1 et 2). Posse tamen concedi, valde probabile existimat, cum Suaresio, Bonacina, aliisque multis doctoribus. « Etenim, inquit, si Summus Pontifex suprema sua « auctoritate potest simplici sacerdoti munus demandare con- « ficiendi sacramentum confirmationis, de se cæteroquin an- « nexum ordini episcopali, eo magis poterit facultatem eidem « elargiri præparandi ejusdem sacramenti materiam. »

PROPOSITIO VI^a^. — *An autem posset etiam Episcopus simplicem presbyterum deputare ad confirmationis sacramentum administrandum, si facultatem hanc sibi Sedes Apostolica non reservasset, controvertitur.* — Auctoritates pro et contra vide apud Benedictum XIV (*de Synodo,* l. 7, c. 8, n. 3, editionis in 13 libros divisæ).

PROPOSITIO VII^a^. — *Saltem ob dictam reservationem, certum est non posse ab Episcopo deputari simplicem presbyterum, ad confirmationis sacramentum administrandum.* — « Omnibus in « confesso est, irritam nunc fore confirmationem a simplici « presbytero latino, ex sola Episcopi delegatione collatam, « quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit. Quam « quidem reservationem non tantum a consuetudine in tota « ecclesia latina jamdiu recepta tacite inductam arbitramur, « sicuti opinantur Jueninus..., et Tournely...; sed jam ante « IX sæculi finem expresse factam colligimus ex epistola 70 « Nicolai I ad Hincmarum et cæteros Archiepiscopos atque « Episcopos, in regno Caroli constitutos... Quamobrem Cle- « mens VI, priusquam ad catholicam communionem recipe- « ret Consolatorem, Armenorum Patriarcham, certior fieri « voluit, an cum Ecclesia Romana sentiret etiam in hisce ar-

« ticulis..., nimirum, 1° *de consecratione chrismatis, si credis,* « *quod per nullum sacerdotem, qui non est Episcopus, chrisma* « *potest rite et debite consecrari.* 2° *Si credis, quod sacramentum* « *confirmationis per alium quam per Episcopum non potest ex of-* « *ficio ordinarie ministrari.* 3° *Si credis, quod solum per Roma-* « *num Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dis-* « *pensatio sacramenti confirmationis presbyteris qui non sunt* « *Episcopi, committi.* 4° *Si credis, quod chrismati per quoscum-* « *que sacerdotes qui non sunt Episcopi, neque a Romano Pontifice* « *super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt,* « *iterum per Episcopum vel Episcopos sunt chrismandi.* Quæ « verba perpendant oportet, qui potestatem de qua disseri- « mus Episcopis attribuunt. » (Benedictus XIV, *de Synodo,* l. 7, c. 8, n. 7.)

PROPOSITIO VIII[a]. — *In ecclesia græca valet confirmatio a presbytero collata, licet is nullam a Romano Pontifice expressam delegationem obtinuerit.* — In ea enim ecclesia, ex immemorabili consuetudine, presbyteri sacramentum illud ministrare solent. Sedes autem Apostolica consuetudinem illam toleravit, et hodiedum permanere sinit: qua agendi ratione tacite ac implicite presbyteros ad id muneris, ad terminos dictæ consuetudinis, delegare censenda est. Quæ omnia vide a Benedicto XIV rationibus firmata (*de Syn.*, l. 7, c. 9 edit. in 13 libros distributæ). Estque id extendendum ad alios etiam (præter græcum) orientalis ecclesiæ ritus, pro quibus similis consuetudo viget.

Excipiendi tamen ii loci, pro quibus sese hanc facultatem dictorum rituum presbyteris denegare expresse declaravit Sedes Apostolica, id est, Italia et insulæ adjacentes, Bulgaria, atque insula Cypri. In iis proinde locis existentes dictorum rituum presbyteri nequeunt absque Pontificia delegatione confirmationem ministrare. Cæterum citatus Benedictus XIV non tantum hæc tanquam theologus tradit, sed etiam tanquam Pontifex; constitutionibus scilicet 27 et 129 tomi 1 ipsius Bullarii.

Propositio IXª. — *Dicta Episcoporum potestas ordinandi et confirmandi probat eos esse de jure divino presbyteris superiores potestate ordinis.* — Nam, ex dictis, potestas valide ordinandi Episcopis competit, ex hoc solo quod sint Episcopi ; unde quantumvis illicite ordinent, valide tamen id agunt. E contra pro irrita habetur ordinatio quæ fit a presbytero, ex hoc solo quod non sit Episcopus. Pariter valida semper est confirmatio dummodo episcopalem consecrationem acceperit qui confirmationem ministrat : irrita autem si conferatur a simplici presbytero, absque legitima delegatione. Ergo ex episcopali consecratione recipit Episcopus potestatem, qua carent simplices presbyteri. Ergo revera Episcopus *potestate ordinis* superior est presbyteris. Ejusmodi autem effectus episcopali ordinationi annecti non potuit nisi a Deo ipso, ut patet : ergo dicta potestas ordinis qua Episcopi superiores sunt presbyteris, non humanæ, sed divinæ institutioni adcensenda est (confer Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 1, c. 4).

CAPUT V.

AN ET QUATENUS EPISCOPI SINT APOSTOLORUM SUCCESSORES.

Propositio Iª. — *Certum est Episcopos in aliquo vero sensu Apostolis successisse.* — 1° Constat sessione 23, capite 4 Tridentinæ Synodi, ubi de Episcopis sic declaratur : *In Apostolorum locum successerunt.* 2° Idem asseruit Florentinum Concilium, in instructione ad Armenos. 3° Idem sancti Patres frequentissime affirmant, et tanquam omnino certum tradunt.

Propositio IIª. — *Sanctus Petrus habuit cum plenitudine sacerdotii, supremam et universalem jurisdictionem.* — Ipsi personaliter a Christo dictum fuit : « Ego dico tibi : tu es Petrus, « et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ « inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves « regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram erit

« ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram « erit solutum et in cœlis. » (Matth., c. 16, v. 18, 19.)

Post resurrectionem autem suam Christus Dominus eumdem Petrum constituit universalem Ecclesiæ pastorem, his verbis : « Pasce agnos meos... pasce oves meas. » (Joan., c. 15.)

Per hancce divinam institutionem, Petro ejusque successoribus collatam esse sacerdotii plenitudinem, necnon absolutam et universalem jurisdictionem, fuit semper in Ecclesia catholica creditum et extra controversiam omnem positum. Habuit nempe S. Petrus plenam potestatem ordinis; potuitque proinde tum cætera sacramenta conficere, tum etiam sacerdotium aliis communicare. Item jurisdictionem consecutus est, non ad certas materias et personas, certave loca restrictam, sed vere universalem ac plenam, nulla excepta persona, regione, ac materia ecclesiastica. Quod hic adnotamus tantum, in tractatu *de Papa* probaturi.

Propositio IIIª. — *Sanctus Petrus jure divino superior fuit cæteris Apostolis.* — Probatur 1° ex sacra Scriptura et traditione. Petro siquidem dicitur absque exceptione, *pasce agnos meos, pasce oves meas.* Aut de ovili Christi non fuisse Apostolos dicendum est, aut pascendos Petro et ipsos traditos. Atque idem firmat perpetua Ecclesiæ catholicæ traditio. « Primatus « et superioritas Petro (ait Bolgenus), relative ad Apostolos « ac cæteros Christi discipulos, tam aperte ac rigorose a sa- « cra Scriptura exprimitur, ut a nolente etiam non possit non « agnosci. Quam superioritatem insuper tanto consensu fir- « mat omnium Ecclesiæ sæculorum traditio, ut ne unus qui- « dem e Patribus et scriptoribus ecclesiasticis reperiri queat, « qui multiplex ac solemne de ea testimonium non exhibeat. « Frequentissime scilicet apud Patres, ubi de Petro ejusque « auctoritate loquuntur, occurrent hæc ipsi indita nomina : « *Apostolorum et Ecclesiæ coryphæus, caput, præses, pastor su-* « *premus, princeps, præpositus,* etc. » (*L'Episcopato*, parte 1, cap. 2, pag. 20, editionis 1789.) Subjicit autem ibidem Bol-

geni hosce in probationem textus : « Petrus, suprema ista « atque antiquissima summitas theologorum. » (Auctor antiquissimus operis, quod S. Dionysio Areopagitæ tribuitur, *de Divinis nominibus*, cap. 3, § 2 editionis Corderii, Antuerpiæ 1634.) « Fortissimum et maximum inter Apostolos Petrum, et « virtutis merito reliquorum omnium principem ac patro- « num. » (Eusebius, *Historia eccl.*, l. 2, cap. 14.) « Petrus « Apostolorum summus et princeps. » (S. Cyrillus Hieros., Catechesi 2, n. 19.) « Apostolorum princeps et regni cœlorum « claviger. » (Idem, Catechesi 17, n. 27.) « Apostolorum « princeps et supremus Ecclesiæ præco.» (Idem, Catechesi 11, n. 3.) « Petrus omnibus discipulis prælatus. » (S. Basilius, in proœmio *de Judicio Dei*, n. 7.) « Petrus inter Apostolos pri- « mus, solida illa Petra, supra quam est Ecclesia Dei funda- « ta. » (S. Epiphanius, in *Ancorato*, n. 9, editio Petavii Parisiis 1622.) « Princeps Apostolorum Petrus, qui solidæ Petræ « instar nobis exstitit, cui velut fundamento Domini fides « innititur. » (Idem S. Epiphanius, Hæresi 39 vel 59, n. 7.) « Apostolatus est princeps. » (S. Hilarius, Comment. in Matthæum, cap. 7, n. 6.) « Petrus Apostolorum coryphæus. » (S. Anastasius, Comment. in psalmum 15, v. 8.) S. Hieronymus S. Petrum *majorem* vocat relative ad S. Paulum; item eum vocat Apostolorum principem (inter epistolas S. Augustini, epist. 75, alias 11, n. 4). S. Augustinus item vocat Petrum *majorem*, Paulum autem *posteriorem*, *minorem* (ep. 82, alias 19, n. 22). « Eximius inter Apostolos, os Apostolorum, et cœtus « illius caput. » (S. J. Chrysostomus, Homil. 88 in Joannem, n. 1.) « Præferri omnibus Apostolis meruit. » (S. Optatus Milev., l. 1 *contra Parmen.*, c. 3.) « Petrus omnibus Aposto- « lis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponitur. » (S. Leo, Serm. 4, in anniversario Assumptionis suæ, c. 2.) « Chori Apo- « stolorum princeps est ac coryphæus. » (Theodoretus, epist. 86 editionis Parisiis 1642.) « Petrus ille sanctorum « Apostolorum princeps. » (S. Cyrillus Alex., Comment. in Joannem, c. 12, ad v. 25.) « O discipulorum coryphæe et

« Apostolorum primarius Antistes, Petre. » (Proclus, Episcopus Constantinopolitanus, Orat. in Transfiguratione Domini, edit. Riccardi 1630.) « Sanctissimus Apostolus primus hierar-« charum Christi. » (S. Germanus Constantinopolitanus, in *Bibliotheca Patrum*.) « Ecce Apostolo pœnitenti *(Petro)* suc-« curritur, qui est Episcoporum Episcopus. » (Arnobius junior, in psalm. 138.) « Prius agnos, deinde oves commisit ei; « quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum con-« stituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit « filios, pascit et matres; regit et subditos et prælatos. Om-« nium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Eccle-« sia nihil est; nihil, inquam, quod suis pastoribus Christus « commiserit. » (S. Eucherius Lugdunensis, seu auctor homiliæ in *Vigiliam S. Petri*, in *Bibliotheca V. Patrum*, tomo 6, Lugduni 1677.) « Cui, non dico Episcoporum, sed etiam « Apostolorum, sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt « oves? » (S. Bernardus, *de Consideratione*, l. 2, c. 8.) « Il-« lud ostendo, quod nullus Apostolorum pastoris nomen ac-« cepit : soli enim hujus nominis potestatem post resurrectio-« nem suam Petro pœnitenti Dominus concessit. » (Auctor epistolæ *ad Eustochium, de Vinculis Petri*, in appendice operum S. Hieronymi, tomo 5, edit. Benedictinorum.)

Probatur 2° ex variis decretis, quibus error contrarius damnatus est. Decreto 29 januarii 1647, tanquam hæreticum proscripsit Innocentius X errorem, quo æqualem Petro fuisse Paulum effutire ausus erat de Barcos, perditissimæ doctrinæ viri Duvergier (abbé de Saint-Cyran) nepos dignissimus.

Inter alias opiniones Eybeli, quas in dogmatico brevi, *super soliditate*, tanquam *damnatos errores* perstringit Pius VI, reperitur et ista : *Christum eamdem per sese Apostolis omnibus potestatem dedisse.*

A Parisiensi facultate, anno 1617, tanquam *schismatica* et *hæretica* confixa est propositio hæc Marci Antonii de Dominis: *Disparitas potestatis inter Apostolos est humanum inventum, in sacris Evangeliis et divinis Novi Testamenti scripturis minime*

subsistens : Et notetur ibi agi, non de mera honoris præcedentia, sed de jurisdictione proprie dicta, ut indicant voces illæ *disparitas potestatis*.

Probari posset 3° ex communi catholicorum doctorum sententia. Suaresium dumtaxat adducemus. Plures alios citatos reperies a Zaccaria (*Antifebronius vindicatus*, dissert. 3, cap. 3, n. 2).

« Petrus Apostolus fuit in hac jurisdictione (nempe in ju-« risdictione universali) cæteris (Apostolis) superior, in eo « præcipue quod illi soli sit data potestas ordinaria regendi « et pascendi universam Christi Ecclesiam, ut in ea ipsi per-« petuo succederetur, quod aliis Apostolis datum non est. « Hæc conclusio simpliciter est de fide. » (Suarez, *de Fide*, parte 1, disp. 10, sect. 1, n. 12.)

« Ex quibus intelligitur Petrum duplici titulo superasse, « dignitate et potestate, cæteros Apostolos : *Primo*, quia hæc « dignitas fuit in eo ut in pastore *Ordinario* totius Ecclesiæ, « cui succedendum erat : in aliis vero non ita ; sed eorum « potestas quodammodo delegata erat, et ex privilegio. *Se-« cundo*, quia jurisdictio Petri se extendebat ad ipsas personas « Apostolorum directe ; nimirum potestas illis præcipere, « atque huc vel illuc mittere. » (Suarez, *de Fide*, parte 1, disp. 10, sect. 1, n. 25.)

« Ex occasione autem resolutæ quæstionis agitari poterat, « an Apostoli, qui Petro supervixerant, fuerint vere subditi « Episcopo Romano Petri successori. De qua re nihil apud « auctores me legisse memini. Videtur tamen ex dictis sequi « inferiores exstitisse jurisdictione, atque adeo jurisdictioni « Pontificis Romani subjectos, quamvis aliis prærogativis et « excellentiis fuerint superiores. » (Ibid., n. 28.)

De superioritate Petri relative ad cæteros Apostolos, egit etiam Zaccaria (*Antifebronio*, dissert. 1, cap. 6, t. 1, p. 427 edit. Cesenæ 1770).

PROPOSITIO IVª. — *Singuli Apostoli habuerunt, cum plenitudine sacerdotii, jurisdictionem universalem, sed Petro tanquam*

superiori subjectam. — Antequam thesim probemus, nonnulla sunt prænotanda, videlicet :

« Est advertendum tria in Apostolis esse distinguenda : « ordinem sacerdotii, consecrationem episcopalem, et juris- « dictionem universalem. Quæ tria certissimum est in singulis « eorum fuisse immediate a Christo data, vel certe ex præ- « cepto ejus.

« Et de ordine quidem sacerdotii certissima fides est, « omnes illum a Christo Domino immediate accepisse sub « noctem cœnæ, verbis illis : *Hoc facite in meam commemora-* « *tionem,* ut Tridentinum definit sessione 22, capite 1.

« De potestate item jurisdictionis mihi multo probabilius « est, eam omnes a Christo immediate accepisse ; quæ est « antiquorum theologorum communior sententia...

« De potestate ordinis est adhuc major dubitatio. Nam « Turrecremata conatur probare solum Petrum fuisse a Christo « Domino ordinatum Episcopum ; ipsum vero reliquos Apo- « stolos consecrasse... Alii vero sentiunt Christum Dominum « ordinasse Episcopos, Petrum et Jacobum et Joannem... Alii « volunt omnes Apostolos immediate ab ipso Christo fuisse « Episcopos ordinatos. » (Suarez, *de Fide*, parte 1, disp. 10, sect. 1, n. 2, 3, 5, 6 et 7.) Quibus prænotatis,

Probatur conclusionis 1ª *pars.* — Id est, Apostolis collatam fuisse plenitudinem sacerdotii, seu consecrationem episcopalem. Testantur enim sacræ Scripturæ ab Apostolis ordinatos fuisse alios Episcopos, quod supponit in Apostolis plenam potestatem ordinis, seu characterem episcopalem. Idem tota traditio quamplurimis documentis confirmat. Et tandem fuit semper conclusio hæc apud catholicos extra omnem omnino controversiam. Disputarunt dumtaxat num omnes Apostoli immediate ab ipso Christo ordinati fuerint Episcopi, an vero aliqui a Christo, et alii a Petro. Ast ipsos omnes veros fuisse Episcopos, pro inconcusso semper habitum est.

Probatur 2ª *pars.* — Id est collatam singulis Apostolis fuisse universalem jurisdictionem. Id evincunt verba Christi.

Sic enim eos allocutus est : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis...* (Matth., c. 18, v. 18). *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (Joann., c. 20, v. 21). *Euntes in mundum universum, prædicate omni creaturæ* (Marc., v. 16, c. 15). *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos* (Matth., c. 28, v. 18). Hæc universalem jurisdictionem exprimunt.

Accedit communis catholicorum doctrina, quam sic testatur Suaresius : « Omnes Apostoli acceperunt a Christo Domino « jurisdictionem, et spiritualem potestatem in totam Eccle- « siam et in totum orbem. Conclusio est certa et communis. » (Suarez, *de Fide*, parte 1, disp. 10, sect. 1, n. 1.) Quod autem eam jurisdictionem a Christo acceperint *immediate*, negarunt pauci quidam ; et contenderunt, eam ipsis a Christo collatam fuisse *per Petrum*. Sed, ut vidimus, eam opinionem rejicit Suaresius, et contrariam, id est, Apostolis collatam *immediate* a Christo fuisse jurisdictionem, ex professo defendit Bellarminus (*de Romano Pontifice*, l. 4, c. 22), et eam vocat verissimam.

Probatur 3ª *pars*. — Nempe dictam universalem Apostolorum jurisdictionem, Petro tanquam superiori subordinatam fuisse. Nam, ex præcedenti propositione, Petro contulit Christus jurisdictionem ita plenam et universalem, ut ipsi etiam Apostoli ei subjecti sint, Petrumque sibi superiorem et Pastorem habuerint. Porro, hac stante Petri suprema auctoritate, repugnat Christum simul cuilibet Apostolo contulisse independentem in universa Ecclesia jurisdictionem. Si enim quilibet Apostolus potuit independenter a Petro universam Ecclesiam regere, Petrus ei superior non fuit. Præterea repugnat plures Apostolos potestatem simul habuisse Ecclesiam universam *independenter* gubernandi, ut patet.

Ergo universalem quidem jurisdictionem, et non ad certam regionem, numerumve personarum restrictam, recepit quilibet Apostolus : at dependenter a Petro exercendam.

Propositio Vª. — *Cæteri, præter Romanum Pontificem, Episcopi non sunt Apostolorum successores, eo sensu quod sedes, quam quisque eorum occupat, aliquem ex Apostolis in primum Episcopum*

habuerit. — In quodam *strictiori sensu* Episcopus alteri *succedere* dicitur, quando illi diœcesi, cujus alter Episcopus fuit, ipse postea tanquam Episcopus præficitur. Porro in hoc sensu, est quidem Pius Papa IX alicujus Apostoli, Petri scilicet, verus successor; cum primus Romæ Episcopus S. Petrus exstiterit, et hodie in eadem urbe sedem episcopalem Pius IX obtineat. Item hodiernus Hierosolymitanus Patriarcha aliquatenus dici potest alicui ex Apostolis successisse, nempe S. Jacobo Apostolo, qui Hierosolymis Episcopus constitutus est. *Aliquatenus,* inquam; diu siquidem interrupta est in ea diœcesi propriorum Episcoporum successio; diu suppressa sedes illa fuit quoad rem, etsi quoad titulum retenta. At cæteri hodierni Episcopi, in præfato sensu dici nequeunt Apostolorum successores; cum nullus eorum in sede quam occupat Apostolum prædecessorem habuerit. « Frequens recurrit assertio « (inquit Bolgeni) *esse Episcopos Apostolorum successores.* Sed, « præscindendo ab Episcopo Romæ, quorumnam Apostolorum « successores sunt Episcopi, qui in præsentiarum particulares « ecclesias gubernant?... Esse alicujus Apostoli successor, « in sensu proprio et rigoroso, idem est ac sedem episcopalem « occupare, cujus peculiaris Episcopus aliquis ex Apostolis « exstiterit. Et ita quidem, juxta totum vocis rigorem, Romæ « Episcopus Petri successorem sese dicit : item Hierosoly« mitani Episcopi sese nominabant sancti Jacobi Apostoli « successores. Atvero quisnam ex aliis omnibus catholicis « Episcopis, qui hodiernas ecclesias administrant, peremptorie « probare poterit, se alicui Apostolo, in dicto sensu succes« sisse? Nullus sane. In hoc ergo sensu verum non est Apo« stolis successisse Episcopos. » (L'*Episcopato,* p. 1, cap. 5, n. 63.)

Et vera est conclusio, non tantum de hodiernis, sed etiam de antiquis generatim Episcopis; quia, præter Petrum et Jacobum, alii Apostoli constituerunt quidem Episcopos, at non fuerunt ipsimet peculiares aliquarum ecclesiarum Episcopi. Imo antiquissimis etiam illis Episcopis, quos ipsimet Apostoli

constituerunt, applicanda est conclusio. « Non succeditur, ait « Binius, nisi præcedenti : at simul cum Apostolis fuerunt in « Ecclesia Timotheus, Titus, Evodius, aliique plures Episcopi. « Si igitur Episcopi Apostolis succedunt, cui Episcopo Titus, « cui Timotheus successit? » (Apud Labbe, tomo I, col. 526.) Vide etiam Bellarminum *de Romano Pontifice*, c. 23, 24 et 25.

PROPOSITIO VI[a]. — *Episcopi non sunt Apostolorum successores quoad universalem in Ecclesia jurisdictionem ; id est, non habet quisque Episcopus jurisdictionem in universum mundum, sicut habuerunt singuli Apostoli.* — Diximus, propositione IV[a], donatos a Christo fuisse Apostolos singulos jurisdictione *universali*. Estque id omnino certum et extra controversiam apud catholicos. Inde autem ortus error, quo singulis etiam Episcopis, de jure divino, vi nempe solius episcopalis consecrationis, jurisdictio in totum mundum tribuitur. Sic nempe arguunt illius erroris patroni : *Episcopi succedunt Apostolis, id est, potestatem recipiunt quam habuerunt Apostoli ; atqui Apostolus quilibet jurisdictionem habuit universalem ; ergo et universalem habet quilibet Episcopus.* Respondetur : Apostolis succedunt Episcopi recipiendo *aliquam* potestatem quam habuerunt Apostoli, concedo : recipiendo potestatem *universalis jurisdictionis*, cuilibet Apostolorum a Christo traditam, nego quoad omnes, præter Romanum Pontificem, Episcopos. « Centies « dictum et probatum est, ait Bolgeni, jurisdictionis pleni- « tudinem et universalitatem in totam Ecclesiam, fuisse in Apo- « stolis *extraordinariam*, ad Episcopos (excepto Petri succes- « sore) nequaquam transituram. Peremptorie id probatum « est, tum expressa conciliorum et Patrum auctoritate, tum « factis notoriis, tum ex ea ratione quod talis potestas in « singulis Episcopis esse nequeat, quin universa Christi Ec- « clesia dissensionibus et confusione pessumdetur et pereat. » (*L'Episcopato*, parte 2, cap. 1, n. 164.)

Non universalem sed restrictam Episcoporum jurisdictionem fuisse, ab ipsis etiam Ecclesiæ exordiis, sic paucis probari potest :

1° S. Jacobus Apostolus constitutus est Hierosolymis Episcopus. Peractumque id fuit ab ipso Christo Domino, ut affirmant Eusebius, S. Epiphanius et alii scriptores antiquissimi; vel ab Apostolis, ex cognita Christi voluntate, ut tradunt alii. Jam vero Hierosolymitanorum Episcoporum jurisdictio non sese extendebat nisi ad civitatem et confinia, aut ad summum ad totam Palestinam, prout testantur quamplurima antiquitatis documenta. Ideo sane quia S. Jacobus ipsemet hosce jurisdictionis suæ fines *quatenus Episcopus* agnoverat. Habemus ergo Episcopum, ab ipsomet Christo, vel saltem ab Apostolis constitutum cum limitata jurisdictione (vide apud Bolgeni, l'*Episcopato*, parte I, c. 5).

2° In Apocalypsi, recensentur septem distinctæ Asiæ Minoris ecclesiæ, quibus totidem præerant Episcopi. Hæc autem distinctio indicat unius ecclesiæ Episcopum, potestatem alias gubernandi non habuisse.

3° Episcopos sic alloquitur S. Petrus : *Pascite qui in vobis est gregem Dei*. Non dixit, pascite universam Ecclesiam; sed gregem *qui in vobis est.*

4° S. Irenæus (l. 3 *Contra hæreses*, c. 3, n. 4) sic de S. Polycarpo refert : « Polycarpus autem, non solum ab Apostolis « edoctus..., sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est « Smyrnis ecclesia constitutus Episcopus, quem et nos vidi- « mus... » Quæ verba pariter indicant non in universum mundum, sed in solam Smyrnensem ecclesiam datam esse Polycarpo jurisdictionem.

5° Magis expresse S. Cyprianus : « Singulis pastoribus por- « tio gregis adscripta est, quam regat unusquisque et guber- « net. » (Epist. 55 ad Cornelium Papam.)

6° S. Chrysostomus, verba Pauli, *reliqui te Cretæ*, commentans : « Neque enim volebat, inquit, totam insulam uni com- « mitti, sed unicuique suam curam et sollicitudinem assigna- « ri. » (Hom. 2, in cap. 1 epistolæ ad Titum.)

7° S. Thomas verba Pauli ad Corinthios, *in omni loco ipsorum et nostro*, sic explicat : « In omni loco ipsorum, id est,

« eorum jurisdictioni subjecto : et nostro, quia per hoc quod « subjiciebantur Episcopo civitatis, non eximebantur a pote- « state Apostoli. » (In Epist. 1 ad Corinthios, c. 1.)

8° S. Bernardus (l. 2 *de Consideratione*, c. 8, n. 15) : « Ha- « bent illi (*Episcopi*) sibi assignatos greges, singuli singulos... « Alii singuli singulas sortiti sunt plebes... Aliorum (Episco- « porum) potestas certis arctatur limitibus. »

9° Mos antiquissimus Episcopos civitatum aut provinciarum quibus præerant nomine designandi, vel ipse solus probaret restrictam fuisse cujusque jurisdictionem.

10° Plena sunt antiquitatis monumenta canonibus, quibus prohibentur Episcopi, ne extra propriam diœcesim jurisdictionem exerceant. Unum aut alterum subjicimus. Sic occurrit statutum in Concilio Constantinopolitano, anni 381 :

« Secundum regulas, constitutus Alexandriæ quidem Epi- « scopus, ea quæ sunt in Ægypto tantum gubernet : Orientis « autem Episcopi solius Orientis curam gerant... Sed et Asia- « næ diœcesis Episcopi ea quæ sunt in Asia et quæ ad Asia- « nam tantummodo ecclesiam pertinent, gubernent. Pontici « autem Episcopi, Ponticæ tantum diœcesis habeant curam : « Thraci vero, ipsius tantummodo Thraciæ. »

In 28 ex iis antiquissimis canonibus qui dicuntur *Apostolorum* sic decernitur : « Episcopus non audeat extra fines suos « ordinationes facere in civitatibus aut pagis ipsi non subje- « ctis. »

11° Jam a remotissima antiquitate plures Episcopi, nedum universalem in totum mundum jurisdictionem haberent, ne in sua quidem diœcesi plenam habebant, sed multimode restrictam. De quo unicum exemplum satis erit adducere. In concilio Chalcedonensi (actione 4, apud Labbe, t. 4, col. 511 et seq.), agebatur de subscribendo epistolæ dogmaticæ a S. Leone Papa ad Flavianum directæ. Porro tredecim Ægypti Episcopi hoc sibi fas non esse contenderunt, nisi prius annuisset Alexandrinus, cui subjiciebantur, Archiepiscopus: « Petimus vestram Clementiam (aiebant) exspectare præsidis

« nostri sententiam, quia eum in omnibus sequemur. Nam et « sancti Patres, qui in Nicæno congregati sunt 318, hanc re- « gulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca regio Ar- « chiepiscopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, et nihil « absque ipso agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo..,. Si « extra voluntatem præsidis nostri aliquid faciamus, sicut « præsumptores et non servantes secundum canones antiquam « consuetudinem, omnes Ægyptiacæ regiones insurgent in « nos... Occidemur in patria. » Notentur verba hæc : *Patres in Nicæno congregati hanc regulam dederunt*. Ipsa autem Nicæna Synodus *antiqua consuetudine* id statutum dicebat.

12° Ipsamet ratio palam facit non potuisse a Christo singulis Episcopis plenam et universalem in totum mundum jurisdictionem conferri. Non enim potuit Christus statuere quod Ecclesiam dissensionibus ac confusione opplesset. Porro si quilibet Episcopus jurisdictionem universalem in toto mundo haberet, id est, si quælibet civitas et quilibet christianus omnibus simul Episcopis æqualiter subjaceret, de Ecclesia dici posset, *ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat*. Hinc Zosimus Papa (apud Coustant, epist. 1, n. 4) de Galliæ Episcopis loquens : « Omnes sane admonemus, ut quique finibus « territoriisque suis contenti sint : nam barbara et impia ista « confusio est aliena præsumere. » Et sanctus Augustinus, quem quidam hortabantur ut ad alias diœceses pergeret ad confutandos Donatistas, sic respondet (Epist. ad Eusebium, 34, alias 168) : « Hoc ridiculum est dicere, quasi ad me per- « tineat cura propria, nisi Hipponensis ecclesiæ... In aliis « enim civitatibus tantum agimus quod ad ecclesiam pertinet, « quantum vel nos permittunt vel nobis imponunt earumdem « civitatum Episcopi fratres et consacerdotes nostri. »

13° Tandem ipsammet quam defendimus doctrinam *tanquam dogma catholicum* tradit Pius VI, in responsione super nunciaturis Apostolicis, cap. 3, sect. 1, p. 300 : « Dogma catholi- « cum est, Apostolos, tametsi extraordinaria præditos pote- « state, quæ data personis cum ipsis personis interiit, fuisse

« Petro subjectos, quem solum Apostolis præesse Christus « jussit : et subesse plenitudini potestatis Romani Pontificis « (quæ veluti ordinaria in Petro, ita in ejus successoribus or- « dinaria est) omnes Episcopos, qui extraordinaria potestate « Apostolorum destituuntur. »

14° Videri possunt apud Zaccariam (*Antifebronio*, tomo 2, diss. 2, cap. 7) alia documenta, quæ hic, brevitatis causa, prætermittimus.

PROPOSITIO VII[a]. — *Episcopi sunt successores Apostolorum quoad potestatem ordinis.* — « Apostolis succedunt Episcopi in « eo sensu, quod quilibet Episcopus illum ipsum *characterem* « *episcopalem* habeat, quem habuerunt Apostoli, et quo carent « simplices presbyteri. Quoad hunc characterem episcopa- « lem, sancto Petro æquales fuerunt cæteri Apostoli, et Epi- « scopi omnes Romano Pontifici æquales sunt. De hoc nulla « controversia.» (Bolgeni, l'*Episcopato*, parte 2, c. 1, n. 164.) Certum nempe est, vi solius consecrationis episcopalis conferri cuilibet Episcopo quamdam potestatem, quam non habent presbyteri, prout supra probatum est; atque id verum remanet, sive consecratio episcopalis sit ordo distinctus et sacramentum distinctum a presbyteratu, sive sit dumtaxat presbyteralis ordinis extensio quædam et complementum, de quo exstat controversia inter doctores catholicos. Hanc autem ex episcopali consecratione provenientem potestatem habuerunt Apostoli, quos dubium non est veros Episcopos fuisse. Ergo habent singuli Episcopi eamdem potestatem ordinis quam habuerunt Apostoli : ergo quoad hanc potestatem in vero sensu eis successerunt.

PROPOSITIO VIII[a]. — *Episcopi sunt successores Apostolorum, non quoad æqualitatem, sed dumtaxat quoad similitudinem jurisdictionis et dignitatis.* — Nam 1°, ex propositione IV[a], quilibet Apostolus accepit a Christo jurisdictionem universalem seu in totum mundum : e contra autem singuli Episcopi non recipiunt jurisdictionem nisi particularem, et intra aliquam aut aliquas diœceses restrictam. Ergo Episcoporum jurisdictio

æqualis non est jurisdictioni quam habuerunt Apostoli. Ergo Episcopi Apostolis non succedunt quoad jurisdictionis æqualitatem. Proinde nec succedunt quoad æqualitatem dignitatis, quia dignitas jurisdictionem sequitur : consequenter cum minor sit jurisdictio Episcoporum, minor sit et dignitas necesse est. 2° Apostolos jurisdictionem a Christo *immediate* accepisse, communis catholicorum sententia est : quod autem Episcopi eam, quam in diœceses sibi commissas jurisdictionem habent, recipiant *immediate* a Christo, nequaquam certum est; et dimanare jurisdictionem illam *immediate* a Papa, infra probamus. Unde æqualis non est Apostolorum et Episcoporum jurisdictio, quoad originem seu principium a quo dimanat. 3° Adest tamen similitudo Episcoporum inter et Apostolorum jurisdictionem et dignitatem. Nam sicut Apostoli, potestate jurisdictionis sibi a Christo traditæ, primi fuerunt post Petrum, et reliquis discipulis ac fidelibus superiores; ita Episcopi, jurisdictione in diœceses ipsorum curæ commissas, superiores sunt presbyteris et reliquis clericis ac laicis, et Ecclesiæ principes merito vocantur. Hinc, non tantum ratione æqualitatis quoad potestatem ordinis, sed etiam ratione *similitudinis* quoad jurisdictionem et dignitatem, successores Apostolorum sunt et dici possunt. 4° Tandem Apostolis successerunt Episcopi quoad jurisdictionis suæ subjectionem relative ad supremum Ecclesiæ pastorem. Sicut nempe Apostolorum jurisdictio, etsi universalis, Petro tanquam superiori subjecta fuit, ita cujuslibet Episcopi jurisdictio, quantumvis ampla, Summi Pontificis auctoritati subjacet.

CAPUT VI.

DE CELEBRI CONTROVERSIA, AN EPISCOPI JURISDICTIONIS POTESTATEM HABEANT IMMEDIATE A DEO, AN VERO IMMEDIATE A PAPA.

Exponemus primo controversiæ statum : dein probabimus

jurisdictionem quam habent singuli Episcopi totam quantam ipsis a Papa immediate conferri.

§ I.

Exponitur controversiæ status.

I. Agitur in præsenti controversia de potestate jurisdictionis quam habent *singuli* Episcopi; non autem de ea quæ ipsis competere prætendi posset, quatenus collegium seu *corpus episcopale* conflantibus. Num scilicet Episcopi quatenus *collegialiter* agentes, seu quatenus corpus episcopale conflantes, aliquam a Deo immediate jurisdictionis potestatem receperint, est quæstio a priore diversa, et quæ ab ea sejungi potest. In Tridentino Concilio totius disputationis summa circa hoc versabatur, an jurisdictio, quam in commissas sibi diœceses habent singuli Episcopi, ipsis *immediate* a Deo conferatur, an vero *immediate* a Summo Pontifice. Et pariter theologi, ubi quæstionem expendunt de immediato episcopalis jurisdictionis principio, eam restringere solent ad *singulorum* Episcoporum jurisdictionem. Nos pariter sub præsenti capite agemus dumtaxat de potestate jurisdictionis Episcoporum *quatenus singulorum*, et probabimus eam ipsis a Papa immediate conferri. An autem nihilominus Episcopi, quatenus corpus episcopale conflantes, aliquam jurisdictionem immediate a Deo habeant, infra seorsim expendimus.

II. Circa quæstionem illam, an immediate a Deo suam Episcopi singuli jurisdictionem recipiant, an vero immediate a Summo Pontifice, duplex est inter catholicos sententia :

Prima sententia tenet, Episcoporum jurisdictionem esse immediate a Christo ipso, hoc nempe sensu : voluit Christus, episcopatum in Ecclesia sua instituendo, creandis usque ad finem mundi Episcopis jurisdictionem conferre, et quidem in ipsa Episcoporum ordinatione; ast ita ut jurisdictio hæc ligata remaneat, nec ad actum reducibilis, donec Summus Pontifex,

approbato Episcopo territorium et subditos assignaverit. In hac sententia, jurisdictio tota est a Christo immediate, a Papa autem sola territorii et subditorum assignatio : qua assignatione posita, statim potest jurisdictio, in episcopali consecratione jam accepta, ad actum secundum reduci, id est, plene exerceri.

Secunda sententia concedit quidem ita institutum a Christo fuisse episcopatum, ut voluerit varias Ecclesiæ partes ab Episcopis regi ac gubernari; nec proinde contingere posse ut nulli Episcopi populos ac diœceses regant; quia, si hoc contingeret, jam Ecclesia talis non esset, qualis a Christo instituta fuit usque ad finem mundi permansura. At simul contendit jurisdictionem singulis Episcopis *immediate* conferri, non a Christo, et in ipsa consecratione, sed a Romano Pontifice, et per actum quo Romanus Pontifex eis regendas diœceses committit.

III. Ut intelligat lector quanto animorum æstu quæstio hæc in Tridentino Concilio controversa fuerit, nonnihil subjicimus ex *Actis* Concilii a Gabriele Palæotto descriptis, prout citantur a Raynaldo (ad annum 1562, n. 121 et seq.).

« *Senogalliensis dixit* : — De jurisdictione Episcoporum « duas esse opiniones : unam, quod substantia jurisdictionis « est a Deo, et exercitium a Papa : ita Henricus de Gandavo, « in quodlibetis, et Joannes Gerson, de statu Ecclesiæ : alte« ram quod immediate sit a Papa ; et hoc a multis recipi...; « sanctum Thomam idem sequi...

« *Auriensis* : — Verba illa *in partem sollicitudinis* posse in« telligi dupliciter : vel quod sint vocati, non ad *univer*« *salem* curam, sed ad *particularem* ; vel quod sint vocati ab « ipso Papa, ita ut non sint vocati a Christo, ex sententia Tur« recrematæ; et hunc esse cardinem disputationis inter nos...

« *Theanensis* : — Quod tota jurisdictio et integra est in « Papa, collata a Christo ; et ea derivatur in alios Episcopos « ab ipso Papa. Et licet Apostoli eam immediate a Christo « receperint, tamen personalis in eis fuit, et cum eis ex« tincta.

« *Danesius dixit :* — Episcopos non tantum esse institutos
« jure divino, sed etiam esse pastores. Papam esse pastorem
« universalem aliarum ecclesiarum, protectorem et specu-
« latorem, dum tenetur invigilare, an cæteri officio suo fun-
« gantur...

« *Quinque ecclesiensis :* — Quod disputatio de Episcoporum
« institutione non est hujus loci nec temporis; quodque hæc
« subtilitas est relinquenda scholis, nec his occupanda Syno-
« dus. Postea ex auctoritate sancti Hieronymi distinxit quatuor
« genera Apostolorum seu Episcoporum; subdiditque Epi-
« scopos nostros esse in secundo genere, videlicet missos a
« Deo, sed per hominem, id est, Papam, qui eos constituit,
« et cui obedire debent...

« *Gadicensis ait :* — De Episcopis vocatis in partem solli-
« citudinis præsupponitur, eos qui non sunt vocati a Papa non
« esse veros Episcopos; quod est falsum. Nam qui creatus est
« Episcopus, secundum primum et quartum canonem Apo-
« stolorum, et secundum canonem quartum Concilii Nicæni,
« et secundum Concilium Cabillonense, et secundum statuta
« ecclesiarum, illi utique sunt veri Episcopi; et tamen non
« sunt vocati a Papa. Et Archiepiscopus Salisburgensis con-
« firmat Episcopos electos a capitulo, et veri sunt Episcopi;
« et ita accidit in aliis multis.

« Tunc multi prælati hoc audientes strepitum magnum ex-
« citaverunt clamantes : *Extra, non audiatur*. Verum Cardi-
« nalis Simoneta subjunxit, quod Salisburgensis consecratur
« et confirmatur auctoritate Papæ. Interea alii prælati inge-
« minabant clamantes, *exeat :* et alii, *anathema sit*. Ad quos
« Granatensis conversus respondit, *anathema vos estis*. Gadi-
« censis vero sermonem nunquam intermisit, prosequens inter
« clamores quod inceperat...; et conclusit, clare exprimen-
« dum esse, Episcopos presbyteris superiores esse *de jure di-*
« *vino*.... Parisiensis subjecit, promulgandum canonem contra
« perturbatores concilii. Verum Cavensis junior respondit,
« occurrendum esse causæ, ne effectus sequatur : prohiben-

« dum enim esse ne blasphemetur nomen Sanctissimi, et ne « doctrina monstruosa proferatur : tuncque attentionem ma« gnam in consessu exstituram; cui et Castellanensis subscri« psit. Inde reliqui ordine res propositas sunt prosecuti.

« *Tropiensis* : — Quod omnis jurisdictio a Papa descendit.

« *Nucerinus :* — Quæstio excitata videtur non tantum offi« cere primatui sanctissimi Domini nostri, sed etiam unitati « totius Ecclesiæ. Ubi enim ponitur, jurisdictionem Episco« porum immediate pendere a Deo, procul dubio scinditur « unitas hæc, quæ non potest tot capita sustinere.

« *Acadensis ibernus.* — Ostendit tribus rationibus non posse « subsistere, quod aiunt jurisdictionem immediate esse a Deo. « 1° Quia in hierarchia essent multa capita, potiusque redde« retur anarchia, ac totum everteretur. 2° Quia ex eo magis « confirmaretur opinio hæreticorum. Nam et in Anglia rex « vocat se caput ecclesiæ Anglicæ, et creat Episcopos, qui « consecrantur a tribus Episcopis, aiuntque se veros Episco« pos, quia sunt a Deo. Nos vero id negamus, quia non sunt « a Pontifice Romano adciti; et recte dicimus, hacque tantum « ratione illos convincimus, non alia. Nam et ipsi ostendunt « se fuisse vocatos, electos, consecratos et missos. Igitur si « in canone dicatur tantum a Christo institutos, hinc inferent « electionem fieri tanquam ex nudo instrumento, quod æ« quale sit in omnibus, tam Regi quam Papæ. 3° Quia si « jurisdictio esset tota a Deo, Papa non posset illam tollere, « nec transferre in alium ; sicut non potest prohibere conse« cratum, quin ordinet et conficiat eucharistiam. Quæ sen« tentia omnibus placere maxime visa est.

« *Lotharingius.* — .... Profiteor id verbum *jure divino* me « non probare, quoniam hoc verbum magnas dissidii et con« tentionis causas in Ecclesia dedit. Dicam tamen pro con« scientia et fide mea, quid de hac materia sentiam. Non « dubito ego potestatem ordinis esse a Deo *immediate*. Primo « quia.... Sed addo etiam potestatem jurisdictionis eccle« siasticæ esse a Deo ; quia non potest tota Ecclesia facere,

« quin sit Papa, et sint Episcopi; nec potest redigi ad aristocratiam aut democratiam, cum debeat esse tantum monarchia; et hoc est omnino a Deo. Et si quis objiciat : æquas-ne ergo omnes sacerdotes Papæ? Minime :... nam licet potestas jurisdictionis sita sit in tota Ecclesia a Deo, tamen Papa solus potest hoc jus in unumquemque exercere. Quodnam igitur est vocare, assumere, deponere et mittere? Ita ut quisque assumatur et mittatur a Deo per Pontificem... Et cum audimus aliquos in provinciis remotis assumi in Episcopos et consecrari a Metropolitano, semper intelligo id fieri, aut ex statuto Apostolorum, aut ex legitimi concilii auctoritate, aut ex privilegio apostolico, ita ut in omnibus semper adsit explicite aut implicite auctoritas Sanctissimi; quoniam aliter se res habere nequit, et caput destruerctur. Jurisdictio igitur est a Deo, dum tamen exerceatur in materiam quam dat Papa, qui potest eam tollere, minuere, eximere et similia. Quod vero hæc non pendeat ab ordine, patet primo, quia sede vacante capitulum exercet jurisdictionem et excommunicat : secundo quia si esset juncta cum ordine, Episcopus non posset eam transferre in vicarium : tertio quia non posset appellari ab Episcopo ad Archiepiscopum, cum Archiepiscopi sint instituti jure positivo. Itaque hæc ministratur a Papa, qui potest pro arbitrio suo eam moderari, dum tamen in ædificationem, non in destructionem.

« *Generalis Lainez dixit.* — .... Potestatem igitur ordinis a Deo pendere, prout consecrationem, et hanc esse immutabilem. In alia, quæ jurisdictionis est, concurrere etiam potestatem hominis; ideoque variari sæpius, et auferri posse ab eodem homine, non materiam solum, sed etiam potestatem. Et quamvis jurisdictionis omnis auctor sit Deus, tamen illam in Summo Pontifice tanquam fonte collocasse, a quo alii omnes eam hauriant...

« Hic dicendis sententiis finis... Hispanos Patres multi mirabantur, adeo hac in re unanimes atque ardentes se

« ostendisse, ut jurisdictio eis divinitus tributa esse declara-
« retur, nec eam quam præ se ferebant auctoritatis Summi
« Pontificis rationem habuissent. »

IV. Certum est controversiam a Tridentino Concilio decisam non fuisse (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 1, c. 4). Post multas nempe propositas formulas, illa tandem conciliariter approbata est, quæ habetur capite 4 et canone 7 sessionis 23, et quæ intactam ac liberam in scholis controversiam reliquit. Definitum quippe est dumtaxat *Episcopos esse presbyteris superiores;* nec addita sunt verba *de jure divino*, quæ multi, ex Gallia præsertim et Hispania Episcopi inseri volebant. Porro huic definitioni non contradicitur, sive dicatur Episcoporum jurisdictionem esse immediate a Deo, sive dicatur eam esse immediate a Papa. Item declaratum est Episcopos *a Spiritu Sancto positos* regere Ecclesiam Dei : sed non fuit declaratum num a Spiritu Sancto positi sint *immediate*, an vero *mediate*, per Romanum Pontificem.

V. Controversia hæc non est mera logomachia : nequaquam scilicet in idem recidunt duæ istæ opiniones : *Episcoporum jurisdictio est immediate a Papa : Episcoporum jurisdictio est immediate a Christo, sed ita ut a Papa mutari et adimi possit.* Admissa enim posteriore, quamvis Episcoporum jurisdictionem restringere et adimere Papa possit, id tamen neque licite neque etiam *valide* poterit *sine justa causa.* Hinc in praxi, quando Papa Episcopi alicujus jurisdictionem restringet, sive per aliquam exemptionem, aut casuum causarumve reservationem, sive alio modo, aut quando Episcopum transferet aut deponet, contendere poterit Episcopus ille, non adfuisse justam causam, ac consequenter *nullam et irritam* esse jurisdictionis restrictionem aut ademptionem. Quod quantum dissentionibus et schismati faveat, nemo non videt.

E contra, si admittatur prior sententia, id est, Episcoporum jurisdictionem esse immediate a Papa, quantumvis contendat Episcopus sine justa causa ac proinde *illicite* sibi restrictam aut ademptam fuisse jurisdictionem, fateri tamen cogetur

valide id peractum fuisse; quia in hac sententia tota Episcopi jurisdictio a voluntate Summi Pontificis dependet. Equidem *illicite* aget Papa, etiam juxta illam priorem sententiam, si Episcopi alicujus jurisdictionem restringat aut adimat *absque justa causa;* quia potestas Summo Pontifici non data est in destructionem, sed in ædificationem : unde et de injustis ejusmodi actibus summo judici Christo rationem Papa reddere debebit. At de *valore* actus non poterit esse dubium : ac proinde certum erit Episcopum illa jurisdictione carere, quæ ipsi a Papa adempta fuerit. Unde si præsumat Episcopus hanc sibi ademptam jurisdictionem exercere, sub prætextu quod absque justa causa adempta sit, clarum erit Episcopum hunc schismatice ac invalide agere. Non est ergo præsens controversia disputatio de vocibus; sed versatur circa duplicem doctrinam vere diversam, et ad diversa ac magni momenti consectaria ducentem, imo et qua ipsamet intima Ecclesiæ constitutio attingitur. Quod cæteroquin in ipsis Concilii Tridentini actis adnotavit Palæottus (vide apud Raynaldum, ad annum 1562, n. 125). Hinc mirum non est, Gallicani systematis patronos strenuos adeo ac constantes fuisse in propugnanda derivatæ *immediate a Christo* Episcoporum jurisdictionis opinione. Apprime siquidem intellexerunt, erroribus suis opinionem hanc aliquatenus favere.

VI. Caveat lector ab iis quæ a Tournelio (tractatu de ordine) et similibus, tum in exponenda, tum in tractanda quæstione congeruntur : præsertim dum innuunt suam sententiam esse *communiorem.* Equidem, immediate a Christo Episcopis conferri jurisdictionem propugnarunt graves theologi, prout Franciscus a Victoria, Alphonsus de Castro, et Vasquez : sed contrariam sententiam defenderunt « præcipui omnium scholarum et regionum doctores, *i teologi piu accreditati di tutte le scuole e di tutte le nazioni,* » ait Zaccaria (*Antifebronio,* tom. 2, dissert. 2, cap. 6, n. 1). Et iterum, Febronii petulantiam, qui *novam* sententiam hanc dicere ausus erat, sic perstringit Zaccaria : « Quæ isthæc audacia est, *novam et falsam,*

« *sacræ Scripturæ et traditioni contrariam* appellare doctrinam, « quam divus Thomas, quam S. Bonaventura, quam plerique « omnium ordinum nationumque theologi tradiderunt ? » (*Antifebronius vindicatus*, dissert. 3, cap. 2, n. 6)

VII. Ii qui docent, *immediate a Papa* conferri Episcopis jurisdictionem, nequaquam negant eam jurisdictionem esse, in aliquo vero sensu, *juris divini*. Estque id diligenter animadvertendum, ad præcavendas æquivocationes. Admittunt nempe jurisdictionem esse *juris divini*; 1° ratione *originis*. Oritur siquidem a Christo, qui solus potuit hanc ecclesiastici regiminis potestatem conferre Summo Pontifici, et *per eum* cæteris. Id enim efficere nequivit ulla creatura. 2° Admittunt etiam ejusmodi jurisdictionem esse *juris divini* in eo sensu, « quod, Deo « præcipiente, Romanus Pontifex hocce divinum donum non « sibi soli servare potest, sed ad alios quoque, quos Episcopos « dicimus, prudenti quadam mensura ac modo transferre « omnino tenetur. Hinc Gerson (*de Stat. Eccl.*, titulo *de statu « Præl.*) aiebat : *Status episcopalis non ita subest statui papali, « quod illum Papa possit annullare ; sicut nec status papalis « posset humanitus destitui.* » (Zaccaria, *Antifebronius vindicatus*, dissert. 3, cap. 2, n. 2.)

« Quod negamus (subjungit ibidem Zaccaria) est : esse *im- « mediate* a Deo particularem illam jurisdictionem hujus vel « illius sedis aut personæ... Hanc enim dicimus esse a Ro- « mano Pontifice tanquam a *proxima causa* repetendam. »

§ II.

Jurisdictio quam in commissas sibi diœceses habent Episcopi, ipsis immediate a Papa confertur.

ARGUMENTUM I. — *Ex Scriptura sacra.* — 1° Sanctum Petrum exhibet Scriptura tanquam fundamentum : *Tu es Petrus et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Fundamentum ergo est etiam Romanus Pontifex, utpote qui Petro successit quoad plenam regendæ et pascendæ universalis Ecclesiæ pote-

statem. Si Papa sit fundamontum, cæteri Episcopi non possunt esse nisi columnæ, aut nonnisi fundamenta secundaria, primario innixa. Sed columnæ vim sustinendi ædificii totam habent immediate a fundamento. Ergo vim sustinendæ Ecclesiæ, idest, potestatem regendi, totam habent Episcopi immediate a Papa. — 2° Romanus Pontifex in persona Petri constitutus est supremus et universalis pastor : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Ita nempe supremus et universalis pastor constitutus est Papa, ut respectu ipsius, oves sint cæteri etiam Episcopi. Et alias a Florentino Concilio definitum est, hanc Romani Pontificis pastoralem potestatem esse *plenam*. Porro si alii exstent Pastores, qui aliunde quam a Papa potestatem habeant varias ovilis partes regendi et pascendi, falsum est Papam esse pastorem cum *plena* potestate pascendi *totum* ovile. In hypothesi autem quod Episcopi jurisdictionem in suas diœceses habeant, non a Papa sed immediate a Christo, dicendum foret potestatem pascendi totum ovile inter plures distributam fuisse : consequenter falsum esset eam potestatem in totum ovile Romano Pontifici *plene* collatam fuisse. E contra si Episcopi jurisdictionem recipiant a Summo Pontifice, intelligitur *plenam* esse et remanere supremi pastoris potestatem ; quia tunc quidquid habent pastoralis potestatis singuli Episcopi, est illa ipsa supremi pastoris plena potestas, quatenus eam, variis gradibus determinatam, inferioribus pastoribus communicat, et exercendam committit. — 3° Ecclesiam sub typo *regni* pluries sacra Scriptura designat. Stare autem nequit regnum sine rege seu monarcha. Constituta ergo fuit a Christo Ecclesia cum forma monarchica, non cum aristocratica aut democratica. Si autem provinciarum gubernatores potestatem suam aliunde recipiant quam a rege, non monarchia, sed aristocratia est. Ergo pariter si Episcopi ad regendas diœceses potestatem habeant aliunde quam a Papa, si nempe eas gubernare valeant per aliam quam Papæ potestatem, Papa non erit verus et proprie dictus monarcha ; et Ecclesia non erit monarchia proprie dicta, seu proprie dictum regnum.

ARGUMENTUM II. — *Ex variis nominibus quibus Romani Pontifices in antiquis monumentis designati reperiuntur.* — Dictus nempe est Romanus Pontifex, Episcopus Episcoporum, princeps sacerdotum, summus sacerdos, Episcopus universalis, fons et radix ecclesiarum, habens principatum, et alia hujusmodi. Porro nomina hæc indicant Episcopos suam a Romano Pontifice jurisdictionem immediate accipere. Etenim qui est Episcopus Episcoporum, est hoc ipso relative ad Episcopos singulos, quod est Episcopus relative ad presbyteros sibi subjectos : sed presbyteri immediate ab Episcopo suo jurisdictionem accipiunt ; ergo et ipsi Episcopi eam recipiunt immediate a Romano Pontifice. Et simili modo argui posset ex aliis nominibus.

ARGUMENTUM III. — *Ex Patrum doctrina.* — 1° S. Optatus Milevitanus (libro 7 contra Parmen.) : « Beatus Petrus, cui « satis erat si postquam negavit solum veniam consequeretur, « et præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœ- « lorum, *communicandas cæteris*, *solus* accepit. »

2° S. Gregorius Nyssenus, Basilii Magni frater, (adversus eos qui castigationes ægre ferunt) : « *Per Petrum* Episcopis dedit « clavem cœlestium honorum. » Non dicit *in persona Petri*, quod ambiguum foret, sed *per* Petrum. Ergo non immediate per se Episcopis jurisdictionem confert Christus, sed *per* Romanum Pontificem : διὰ Πέτρου ἔδωκε τοῖς Επισκόποις τὴν κλεῖδα τῶν ἐπουρανίων (operum tomo 2, pag. 746 edit. Parisiis 1615).

3° S. Innocentius I (epistola ad Concilium Carthaginense, apud Coustant, col. 888) : « Scientes quid Apostolicæ Sedi, « cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apo- « stolum, debeatur ; a quo *ipse episcopatus et tota auctoritas* « *nominis hujus emersit.* »

Idem Innocentius I (epist. ad Concilium Milevitanum, apud Coustant, col. 896) : « Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, « arbitror omnes fratres et Coepiscopos nostros nonnisi ad « Petrum, id est, *sui nominis et honoris auctorem*, referre de-

« bere. » Episcopatus nomen est officii; exprimit nempe officium ac potestatem pascendi atque regendi; cujus potestatis dicit Innocentius I Romanum Pontificem esse *fontem* (emersit), et *auctorem*. Quod sane idem est ac dicere, conferri Episcopis episcopalem jurisdictionem *immediate* a Papa.

4° Stephanus, Larissæ Metropolitanus, in libello suo (qui habetur inter acta Concilii Romani anni 531; apud Labbe, tomo 4, col. 1691 et 1692, edit. Parisiis 1671), Romanum Pontificem Bonifacium II sic alloquitur : « Nullus ecclesia-« sticus ordo illam vestram, quæ a Salvatore omnium et « primo Pastore vobis est collata, potest præcellere pote-« statem... Quantum vos apud Deum omnes præcellitis, tanto « vos necesse est cogitare, quia hæc est probatio Deum aman-« tium, ut (post Deum) Pater et doctor sanctæ Ecclesiæ « Petrus et vestræ et totius mundi testatur. Quia Domino « dicente tertio, *amas me? pasce oves meas*, tradidit prius vobis « mandatum ostendens, et *per vos* deinde omnibus per uni-« versum mundum sanctis ecclesiis condonavit... Unde de-« precor, judicate humilem, et pauperem (sicut scriptum est) « justificate. »

5° Sanctus Leo Magnus (sermone 4 de sua assumptione ad Summum Pontificatum, in editione Ballerinorum, col. 16) : « Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium po-« tentiæ suæ tribuit divina dignatio : et si quid cum eo com-« mune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi *per* « *ipsum* dedit quidquid aliis non negavit. »

Idem S. Leo (epist. ad Episcopum Viennensem, in edit. Ballerinorum, col. 633) : « Hujus muneris sacramentum ita « Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, « ut in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, « principaliter collocarit, et ab ipso quasi quodam capite, « dona sua velit in corpus omne manare. »

His Patrum textibus aperte exprimitur, *conferri* a Papa jurisdictionem Episcopis. Id autem nequaquam verum foret si Papa territorium et subditos tantummodo designaret, juris-

dictionem autem immediate a Christo reciperent Episcopi.

Hinc Patres Rhemensis Concilii, anni 900 (tomo 6, pag. 467, editionis Harduini), ad quosdam excommunicandos, hac formula utuntur : « In nomine Domini, et virtute Sancti Spiritus, « necnon *auctoritate Episcopis per Beatum Petrum* principem « Apostolorum *divinitus collata*, ipsos a sanctæ matris colle« gio segregamus. » Non dicunt, *divinitus collata* IMMEDIATE, sed *divinitus collata* PER BEATUM PETRUM. Qui sane loquendi modus indicat, tunc temporis nondum in Galliis excogitatum fuisse systema, de collata Episcopis jurisdictione *immediate a Deo*.

Hinc S. Thomas (*contra gentes*, l. 4, c. 7) : « Petro *soli* « promisit : *Tibi dabo claves regni cœlorum :* ut ostenderetur « potestas clavium *per eum ad alios derivanda*, ad conservan« dam Ecclesiæ unitatem. »

E contra hic loquendi modus « a Papa *solam* jurisdictionis « *materiam* Episcopis suppeditari, » novus est, ac proinde tanquam periculo haud vacans fugiendus ; prout adnotat Zaccaria (*Antifebronio*, tom. 2, pag. 132, edit. Cesenæ 1770).

ARGUMENTUM IV. — *Ex Conciliis œcumenicis.* — Concilium Lateranense IV definivit, Summo Pontifici competere, ex jure divino, principatum *ordinariæ potestatis* super omnes ecclesias. Jam vero in potestate ordinaria regendi aliquam ecclesiam, includitur potestas jurisdictionem conferendi sacerdotibus subditis. Hinc Episcopus non diceretur nec esset in sua diœcesi Ordinarius, si non posset jurisdictionem subditis sibi clericis conferre. Ergo Summus Pontifex potest in qualibet diœcesi clericis ac proinde etiam Episcopis jurisdictionem conferre. Si autem ipse jurisdictionem confert, jurisdictio ab ipso accipitur.

Concilium Constantiense (1) definivit, Summum Pontificem esse immediatum et proximum Christi vicarium. Ergo exercet

(1) Sessione 8, ubi damnatur hæresis Wiclefi dicentis, non esse Pontificem immediatum Christi vicarium.

ipsammet potestatem Christi ; et Christus ipse jurisdictionem in terris non exercet nisi per Summum Pontificem. Si enim Christus ipse immediate jurisdictionem exerceret, aut si exerceret per alios, prætermisso Summo Pontifice, non esset Summus Pontifex proximus et immediatus Christi vicarius. Ergo nulla datur a Christo regendi potestas nisi per immediatum vicarium suum Papam. Ergo Episcopi jurisdictionem suam non recipiunt immediate a Christo, sed ab ipsius in terris vicario Romano Pontifice.

ARGUMENTUM V. — *Ex verbis quæ adhibentur a Romano Pontifice, in creandis Episcopis.* — Hac enim formula utitur : « Providemus ecclesiæ N... de N..., et præficimus eum in « Patrem et pastorem ac Episcopum ejusdem ecclesiæ, « committentes ei administrationem in temporalibus et spiri- « tualibus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. » Hoc quidem argumentum V non proponimus tanquam omnino peremptorium : at saltem thesim, aliis argumentis probatam, valde suadet.

ARGUMENTUM VI. — *Ex rationibus theologicis.* — I. Vel Christus Episcopis jurisdictionem conferret quando consecrantur, vel quando Papa electos confirmat eisque simul territorium assignat. Si enim alio tempore conferret, constare non posset de collatione facta, nisi simul id Christus externo signo revelaret. Certum autem est nullas ejusmodi revelationes intervenire. Ergo nisi Christus jurisdictionem conferret quando consecrantur Episcopi, vel quando per præconisationem seu confirmationem eis assignatur territorium, nesciretur quo instanti illam conferret ; ac proinde incertum semper remaneret, an contulisset, necne. Unde qui tenent immediate a Christo conferri Episcopis jurisdictionem, necessario debent alterum ex his duobus admittere, videlicet : conferri hanc jurisdictionem, vel *in instanti episcopalis consecrationis*, vel *in instanti præconisationis seu assignationis territorii.* Atqui neutrum dici potest :

1° Falsum est jurisdictionem immediate a Christo Episcopis

conferri in eo instanti quo episcopalem consecrationem recipiunt. Sit in exemplum Episcopus qui consecratur, anteqnam ei ullum territorium ullosve subditos Papa assignaverit. Dicimus nullam ei a Christo conferri jurisdictionem in instanti consecrationis. Nam de essentia jurisdictionis est ut sit *in aliquos subditos.* Nimirum jurisdictio *in nullas personas*, idem rigorose est ac *nulla jurisdictio* : rex nullius regni, non est rex : pastor nullarum ovium, non est pastor : superior nullorum subditorum, non est superior. Requiritur insuper ad essentiam jurisdictionis, ut sit in aliqnos subditos *determinatos.* Nam jurisdictio est *relatio* : est nempe potestas unius *relative* ad alium. Nulla autem relatio esse potest sine *termino.* Superioritas, verbi gratia, requirit pro termino aliquem inferiorem ; inferioritas pro termino requirit aliquem superiorem ; æqualitas aliquem æqualem ; et sic de omnibus relationibus. De ipsarum nempe essentia est ut habeant *terminum.* Jam vero nisi terminus ille sit *determinatus*, non est terminus : nam terminus indeterminatus idem est ac terminus non terminus ; pugnat scilicet in terminis. Ergo de essentia jurisdictionis est ut habeat subditos *determinatos.* Quod etiam sic ostendi potest : jurisdictio Episcopi in aliquos fideles *indeterminatos*, seu in aliquam partem Ecclesiæ *indeterminatam*, non respicit nec attingit tanquam subditum Petrum potius quam Paulum aut quemcumque alium ; nec hanc diœcesim potius quam aliam : ergo est relatio quæ nullum terminum respicit, seu jurisdictio in nullum subditum : ac proinde non est relatio nec jurisdictio. Ergo non potest Christus Episcopis quando consecrantur jurisdictionem conferre, nisi in subditos *determinatos.*

Jam vero facile probari potest, nullam *in subditos determinatos* jurisdictionem a Christo conferri Episcopo, dum consecratur.

Nam *primo*, non ei confert jurisdictionem in omnes fideles seu in universam Ecclesiam. Alioquin enim Episcopus ille constitueretur *Episcopus universalis*, quod est contra fidem.

Secundo, nec ei confert jurisdictionem in aliqnam *determi-*

natam Ecclesiæ partem. Nam ex vi sola consecrationis non acquirit jurisdictionem in hanc potius quam in aliam diœcesim ; nec ullus in mundo fidelis tenetur ei tanquam proprio superiori obedire. Præterea sola episcopalis consecratio nihil includit per quod designetur seu determinetur diœcesis, in quam Episcopus consecratus jurisdictionem acquirat. Et aliunde, dum fit consecratio non revelatur a Christo, quænam diœcesis Episcopo consecrato subjiciatur. Ergo revera in instanti consecrationis, Episcopo nullam jurisdictionem confert Christus in *subditos determinatos*. Aliunde, nisi conferat in subditos determinatos, nullam omnino confert. Ergo falsum est Episcopis conferri a Christo jurisdictionem *in instanti consecrationis*.

2° Nec eam immediate confert Christus quando Papa, confirmando seu præconizando electum, ei territorium ac subditos assignat. Nam admitti nequit intervenire Christum per specialem actum, si actus ille sit inutilis : id enim divinæ sapientiæ repugnat. Atqui dicta collatio jurisdictionis immediate per Christum facta, inutilis foret, quod sic probatur :

Data est Summo Pontifici potestas episcopalem jurisdictionem simplicibus presbyteris conferendi. Aliquoties enim eam confert Papa presbyteris qui non sunt in Episcopos consecrandi. Et multo frequentius est, ut eam conferat iis qui consecrandi sunt, ante eorum consecrationem, ac proinde quando adhuc sunt simplices presbyteri. Eam pariter episcopalem jurisdictionem habent capitula sede vacante ; et quoad nuper erectas diœceses coloniarum Galliæ, disposuit Pius IX, ut sede vacante episcopalis jurisdictio exerceatur ab eo qui exstiterit defuncti Episcopi generalis vicarius. Jam vero nemo dixerit ejusmodi capitulis et simplicibus presbyteris competere jurisdictionem episcopalem *de jure divino*, aut eam ipsis conferri *immediate a Christo*. Ergo confertur ipsis *per Summum Pontificem* : ergo pollet revera Summus Pontifex potestate episcopalem jurisdictionem conferendi. Quod cæteroquin sequitur ex *ordinaria* et plena ipsius universalem Ecclesiam

regendi potestate. Si enim talem potestatem habet, potest hoc ipso prælatos constituere, qui varias Ecclesiæ partes tanquam Ordinarii regant et administrent. Ergo revera jam est in Summo Pontifice potestas episcopalem jurisdictionem conferendi; et potest eam conferre, sive simplicibus presbyteris ante episcopalem consecrationem, sive jam consecratis Episcopis. Ergo ad conferendam Episcopis jurisdictionem, sufficit actus quo Papa unicuique determinatam diœcesim regendam committit. Ergo actus, quo simul Christus immediate per se eamdem jurisdictionem conferret, inutilis foret. Ergo nec quando designatur a Papa territorium, nec quando Episcopi consecrantur, eis immediate jurisdictionem confert Christus : ergo nullatenus jurisdictio hæc immediate a Christo accipitur ; sed eam Episcopis Papa communicat, e plenissimo potestatis suæ fonte.

II. Contendunt fere omnes adversarii, conferri immediate a Christo jurisdictionem *in instanti consecrationis*, ligatam tamen donec a Papa assignetur territorium; et jurisdictionem fieri exercibilem, per dictam subditorum assignationem. Porro ut opinio hæc probetur falsa, duo requiruntur et sufficiunt : primo ut Papa possit presbyteris, ac etiam diaconis et subdiaconis, antequam in Episcopos consecrentur, episcopalem jurisdictionem conferre, non tantum ligatam, sed etiam exercibilem : secundo, ut admissa hac Papæ potestate, jam admitti nequeat dicta jurisdictionis collatio a Christo in instanti consecrationis facta. Atqui utrumque certum est.

1° Certum est, subdiacono (verbi gratia) postquam electus et a Papa confirmatus fuit, seu postquam fuit in consistorio promotus, competere jurisdictionem episcopalem in diœcesim ipsi assignatam; ita ut possit, ante susceptos superiores ordines, illius diœcesis possessionem capere, atque eam administrare.

2° Id stare nequit cum adversariorum hypothesi. Nam, juxta ipsorum systema, episcopalem jurisdictionem non confert immediate Christus, nisi in eo temporis articulo quo fit

episcopalis consecratio. Ergo subdiaconus in consistorio promotus, utpote nondum consecratus, non habet jurisdictionem episcopalem immediate a Christo : et tamen episcopalem jurisdictionem jam habet et exercet valide : ergo illam habet a Papa : ergo quando ille subdiaconus, recepto diaconatu et presbyteratu, consecrabitur Episcopus, non recipiet a Christo episcopalem jurisdictionem. Non enim recipitur quod jam habetur.

Quod si objicias valere id quando confertur jurisdictio a Papa nondum consecratis, non autem quando præcedit consecratio episcopalis et postea consecrato assignatur diœcesis, respondeo : *primo*, si possit Papa episcopalem jurisdictionem conferre nondum consecratis, nulla est ratio cur non possit eam conferre consecratis. *Secundo*, ratio cur Papa possit jurisdictionem episcopalem conferre nondum consecratis, est quia ipsi competit plena ac ordinaria potestas universalem Ecclesiam, ac proinde singulas ejus partes, regendi ac pascendi : qui scilicet talem potestatem habet, potest hoc ipso inferiores pastores seu rectores constituere, qui tanquam prælati Ordinarii, supremo tamen rectori subditi, varias partes regant. Porro ratio hæc tam urget quoad consecratos, quam quoad non consecratos. *Tertio* sequeretur absurdum : alii nempe Episcopi jurisdictionem haberent a Papa, alii a Christo. Qui consecrati fuissent post præconisationem eam haberent a Papa : qui vero ante, eam haberent immediate a Christo : quod prorsus absonum est, et cæteroquin adversariorum etiam systemati contrarium. De omnibus enim Episcopis indistincte sustinent adversarii, eis a Christo immediate jurisdictionem conferri.

III. Hinc recte Suaresius : « Quod Episcopi recipiant a « Christo immediate jurisdictionem, nec invenitur scriptum « aut satis insinuatum in Scriptura, nec habet necessariam « connexionem cum alia priori Christi institutione, neque ita « necessarium ad bonum Ecclesiæ regimen ; nec conveniens « erat ut omnibus et singulis tota spiritualis jurisdictio sine

« ulla limitatione daretur; et cum varietate et limitatione « non poterat immediate a Christo ipso concedi; et idcirco « convenientius fuit, ut vicario suo illam distributionem com- « mitteret. Præter quam quod ad majorem unionem et su- « bordinationem membrorum cum capite multo convenien- « tius erat, ut in hoc omnes inferiores Episcopi a Vicario « Christi penderent. » (Suarez, *Defensio fidei*, lib. 4, cap. 9, sub finem.)

IV. « Regimen ecclesiasticum est monarchicum : ergo om- « nis auctoritas est in uno, et ab illo in alios derivatur : sic « enim se habent omnes monarchiæ.— Respondent : regimen « ecclesiasticum est monarchicum, sed temperatum ex ari- « stocratia; et ideo præter monarcham esse etiam alios præ- « fectos inferiores, qui non sint vicarii summi monarchæ, sed « absoluti principes : essent autem vicarii, si ab illo recipe- « rent auctoritatem. — At contra : nam aristocratia Ecclesiæ « requirit quidem ut Episcopi sint principes, et non simpli- « ces vicarii, sed non requirit ut isti principes instituantur a « Deo, et non a Pontifice; sed solum ut Pontifex cogatur di- « vina lege in variis Ecclesiæ partibus diversos principes ec- « clesiasticos constituere : quomodo si alicubi rex teneretur « in singulis provinciis non constituere prætores aut præsides, « sed veros duces ac principes, qui provinciam *ut suam* re- « gerent, cum dependentia tamen ad Regem. » (Bellarminus, *de Romano Pontifice*, l. 4, c. 24.)

V. « Probatur ex illis quatuor similitudinibus, quibus uti- « tur Cyprianus (libro *de Unitate Ecclesiæ*), ubi sedem Petri « comparat *capiti, radici, fonti, soli.* Nam in omni corpore « virtus membrorum derivatur a capite; in omni arbore vir- « tus ramorum oritur ex radice; in omnibus rivis aqua fluit « ex fonte; omnium denique radiorum solarium lux est a « sole. » (Bellarminus, loco citato.)

VI. Certum est, neque negatur ab adversariis, posse Epi- scoporum jurisdictionem variam esse, atque a Papa mutari, restringi, et etiam adimi. Quod autem id stare possit quamvis

quilibet Episcopus jurisdictionem immediate a Christo recipiat, sic explicant : potest Papa auferre materiam subjectam Episcopo, id est, populum ejus alteri subjicere, et sic, non quidem proprie illi auferre jurisdictionem a Deo datam, sed efficere indirecte ut illam perdat. Porro hæc explicatio non valet. Nam, ut ait Bellarminus, loco citato, « cum potestas « jurisdictionis relationem significet prælati ad subditum; « ex relativis autem, uno posito vel sublato, alterum ponatur « vel tollatur; si non potest Episcopo auferri jurisdictio, non « potest fieri ut populus non sit ei subjectus. »

« Denique, ait idem Bellarminus, mirum omnino esset, si « divina providentia, quæ suaviter cuncta disponit, noluisset « per eum jurisdictionem dari, per quem augeri, minui, atque « adeo penitus tolli posse voluisset. »

VII. Juvat hic nonnulla etiam clarissimi Zaccariæ hac de re dicta subnectere.

1° De hypothesi, quod jurisdictio Episcopis immediate a Christo conferatur *in instanti consecrationis*, sic disserit: «Quæro « ex Febronio, quandonam velit Episcopos a Christo jurisdi- « ctionis potestate donari? An in consecratione? At tunc po- « testas quidem ordinis confertur, non jurisdictionis, quam « ab electis et confirmatis Episcopis, licet non consecratis, « jure exerceri posse superiore capite vidimus. Nisi forte ad- « versarii velint tributam prius jurisdictionem iterum in con- « secratione conferri; quod inane figmentum esset, ad decli- « nandam (si fieri posset) hujus vim argumenti, solummodo « excogitatum... » (*Antifebronius vindicatus*, dissert. 3, c. 2, n. 4.)

2° De hypothesi, quod jurisdictio Episcopis immediate a Christo conferatur *quando eliguntur aut confirmantur*, sic habet : « Unum id superest, ut adversarii in ipsa electione aut « confirmatione jurisdictionem deferri asseverent. Nimirum « sicuti cum eligitur Romanus Pontifex, Cardinales solum- « modo personam designant, unus autem Christus pontifi- « ciam electo potestatem tribuit, ita sunt qui opinentur, cum

« eligitur quis ac confirmatur in Episcopum, *designari* perso-
« nam cui Deus jurisdictionem, ante episcopalem consecra-
« tionem, impertiatur. At hæc opinatio viam aperit absurdis
« figmentis. Nihil enim vetat quin eodem jure dicamus om-
« nem potestatem, tum ecclesiasticam, tum laicam de jure
« divino esse, et a Deo immediate : a Deo ergo jurisdictio-
« nem *immediate* accipere, nedum Episcopos, sed etiam Pa-
« triarchas, Primates, Archiepiscopos, Legatos, Vicarios apo-
« stolicos, Abbates; imo etiam parochos, præpositos, deca-
« nos rurales, archidiaconos, œconomos : horum personas ab
« Ecclesia *designari*, jurisdictionem a Deo immediate conferri,
« quemadmodum Papæ. » (Loco cit.)

3° Defendit Zaccaria, tanquam omnino peremptorium, argumentum Bellarmini : *Si haberent Episcopi a Deo suam jurisdictionem, non posset Pontifex illam auferre aut mutare.* Objecerat Febronius : *Ablationem illam nil mutare circa id quod collatum est, sed subtrahere tantum jurisdictioni terminum correlativum nempe fideles subditos.* Inanem esse hanc objectionem probat Zaccaria, ex ipsa natura *relativorum*. Jurisdictio nempe est quid relativum, seu exprimens relationem unius ad alterum. Jam vero, « ex *relativis* uno posito vel sublato, et alterum « poni vel tolli necesse est. Non potest ergo fieri ut populus « non sit Episcopo aut presbytero subjectus, si auferri Epi- « scopo aut presbytero jurisdictio nequit. » (Loco cit., n. 5.)

Objicies 1°. — Episcopi sunt successores Apostolorum : atqui non essent successores Apostolorum, si jurisdictionem suam non acciperent immediate a Christo, sicut acceperunt Apostoli : ergo eam immediate a Christo recipiunt.

Respondeo 1° ad majorem : Episcopi successores sunt Apostolorum, *primo* quoad potestatem ordinis : sicut nempe Apostoli characterem episcopalem habuerunt, ita et illum habent Episcopi, cum potestate huic characteri annexa. *Secundo*, eo sensu quod, tum potestate ordinis, tum potestate commissas sibi diœceses regendi, ipsis tanquam pastoribus Ordinariis a Papa tradita, sint vere Ecclesiæ principes et columnæ, pre-

sbyteris cæterisque clericis superiores; ad instar Apostolorum, qui primi fuerunt post sanctum Petrum, et septuaginta duobus discipulis superiores. *Tertio*, eo sensu quod sicut Christus alios præter Petrum Apostolos constituit, ita voluit in Ecclesia alios esse præter Romanum Pontificem Episcopos, atque item voluit Episcopis tanquam Ordinariis regendas varias Ecclesiæ partes a Papa committi.

At Episcopi non sunt successores Apostolorum, *primo* quoad universalem in totum mundum jurisdictionem, quam singulis Apostolis contulit Christus. Hancce jurisdictionem fuisse in Apostolis extraordinariam, cum ipsis extinguendam, nec ad ullos successores (exceptis Petri successoribus) transfundendam, *dogma catholicum est*, ut ait Pius VI (vide supra, cap. 4, proposit. 5, sub finem). *Secundo*, Episcopi non sunt Apostolorum successores eo sensu, quod unaquæque ex hodiernis episcopalibus sedibus initio aliquem habuerit Apostolum, tanquam proprium Episcopum, cui vita functo, successerit alter; ita ut successionum seriem decurrendo deveniatur ad hodiernum ejusdem sedis Episcopum. Id hodie non verificatur nisi in Romano Pontifice. *Tertio* tandem, Episcopi non sunt successores Apostolorum quoad *principium a quo* jurisdictionem recipiunt, seu eo sensu quod sicut Apostoli immediate a Christo jurisdictionem suam receperunt, ita etiam suam recipiant Episcopi. Quod enim jurisdictionem Apostolis Christus ipse immediate contulerit, fuit privilegium; sicut etiam privilegium fuit quod universalem in totum mundum eis jurisdictionem dederit; et quod unusquisque eorum Episcopos constituere potuerit, atque eis jurisdictionem communicare, necnon miracula patrare; et quod potuerit canonica, Spiritu Sancto afflante, scripta edere; et alia ejusmodi. Quoad hæc omnia, quæ fuerunt Apostolis singulis personalia, eorum successores non sunt Episcopi.

Respondeo 2° ad minorem : « Atqui Episcopi non essent « successores Apostolorum si jurisdictionem suam non acci- « perent immediate a Christo, » distinguo : non essent suc-

cessores in triplici posteriori sensu, concedo : in triplici priori, nego. Unde argumentum illud, *Episcopi successores sunt Apostolorum, ergo immediate a Christo jurisdictionem accipiunt*, nullam omnino vim habet. Istius argumenti confutationem reperies apud Zaccariam (*Antifebronio*, tomo 2, pag. 134 et seq., edit. Ceseuæ 1770).

Objicies 2°. — Expresse in sacra Scriptura habetur, atque item expresse a duobus Conciliis œcumenicis declaratum est, *positos a Spiritu Sancto Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Ergo potestatem regendi habent, non a Papa, sed a Spiritu Sancto immediate.

Respondeo : « Episcopos esse a Spiritu Sancto constitutos, « sed per interpositam Romani Pontificis personam, a qua « proxime jurisdictionem accipiunt. Et illi Episcopi ad quos « Paulus loquebatur, erant a Spiritu positi, non autem proxi- « me, sed per ipsos Apostolos, qui ipsis jurisdictionem dede- « runt. Quod Ecclesia facit, dicit Spiritum Sanctum facere, « non proxime, sed per interpositam Ecclesiam : sicut cum « Ecclesia in concilio canones et leges condit et sancit, dicit, « *visum est Spiritui Sancto et nobis ;* et tamen non omnes ca- « nones et leges ecclesiasticæ dicuntur esse juris divini, aut « dicuntur esse proxime a Deo. Item Spiritus Sanctus pro- « mittitur a Domino docturus omnem veritatem Ecclesiam ; « quam tamen docturus erat per interpositos ejusdem Eccle- « siæ præfectos. » (Azor, *Institutiones morales*, parte 2, l. 3, c. 30, sub finem.) Vide ejusdem objectionis confutationem apud Bellarminum (*de Romano Pontifice*, l. 4, cap. 25), et apud Zaccariam (*Antifebronius vindicatus*, dissert. 3, cap. 2, n. 6).

Objicies 3°. — Episcopi non sunt vicarii Papæ, seu meri ejus adjutores : atqui tales forent, si jurisdictionem reciperent, non immediate a Deo, sed a Papa.

Respondeo : « Ex his non colligi, eos habere jurisdictionem « *proxime* a Christo ; sed habere eam a Christo quidem, sed « per Romanum Pontificem, cui commisit Christus ut Episco-

« pos crearet, et jurisdictionem ordinariam impertiret. Unde « Episcopi non sunt vicarii Romani Pontificis, qui ad nutum « ipsius revocari queant, sed sunt pastores, duces, et judices « animarum Ordinarii, a Romano Pontifice creati, tanquam « a principe et summo Christi vicario. » (Azor, *Inst. morales*, loco citato.) Ex eo quod Episcopi immediate a Papa jurisdictionem recipiant, nequaquam sequitur eos esse meros Papæ vicarios : stare enim simul possunt hæc duo : quod Christus voluerit ut a Papa singuli Episcopi suam jurisdictionem acciperent, et quod etiam voluerit ordinarie constitui a Papa Episcopos, non tanquam vicarios ad nutum revocabiles, sed tanquam pastores ac principes, qui proprio nomine commissas sibi ecclesias regerent, nec deberent nisi ex justa causa removeri. Hæc duo, inquam, nullatenus inter se pugnant, ac proinde inanis est objectio.

Objicies 4°. — Officium Episcoporum ex natura sua jurisdictionem postulat : ergo Christus episcopatum instituendo dedit procul dubio Episcopis jurisdictionem.

Respondeo 1° ad antecedens : « Officium Episcoporum ex « natura sua postulat jurisdictionem, » sive immediate a Deo, sive per Summum Pontificem conferendam, concedo : postulat jurisdictionem immediate a Christo acceptam, nego. Equidem episcopatus, qualem a Christo in Ecclesia constitutum fuisse sacra Scriptura et perpetua traditio exhibent, non est dumtaxat *plenitudo sacerdotii*, seu specialis illa ordinis potestas, huic plenitudini a Christo alligata, vi cujus a solis Episcopis possunt aliqua sacramenta valide ministrari; sed in adæquato episcopatus conceptu involvitur simul in aliquo sensu *ecclesiastici regiminis potestas*, prout infra probamus. Ast regiminis potestas seu jurisdictio non est episcopatus constitutiva, in eo sensu quod eam habeat quisque Episcopus ex vi sola episcopalis consecrationis; sed dumtaxat in eo sensu, quod Episcopos Christus instituens, *eos destinaverit* ad regendas varias Ecclesiæ partes; volueritque ac præceperit, ut diœceses ab ipsis, non tanquam *delegatis* aut vicariis, sed tan-

quam pastoribus *Ordinariis* regerentur; et ut suus in terris vicarius Romanus Pontifex, eis dicto modo regendas diœceses committeret, ipsisque jurisdictionem conferret. Unde in conceptu episcopatus iucluditur jurisdictio, in eo sensu quod, ex divina Christi institutione, *ad regendas ecclesias Episcopi destinentur,* debeatque Summus Pontifex hoc eis regimen committere; non autem eo sensu quod Christus ipse singulis Episcopis jurisdictionem, aut aliquam ecclesiam regendam committat.

Respondeo 2° ad consequens : « Ergo Christus Episcopis « jurisdictionem contulit, » distingo : eo improprio sensu quod eos destinaverit ad regendas varias Ecclesiæ partes, nec Romano Pontifici liberum sit, eas generaliter simplicibus presbyteris regendas committere, concedo : eo sensu quod Christus immediate singulis Episcopis jurisdictionem conferat, nego. Ex eo quod Christus Episcopos destinarit ad regendas varias Ecclesiæ partes, præceperitque ut eis ordinarie, et non aliis, regimen istud Summus Pontifex committeret, verum remanet *positos a Spiritu Sancto Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Unde in adæquato episcopatus conceptu iucluditur jurisdictio, non *quatenus collata*, sed *quatenus*, ex præcepto Christi et divina institutione, Episcopis *conferenda* (ut plurimum et quoad ecclesiarum generalitatem) per Romanum Pontificem. Hinc Episcopus consecratus, cui nullam Papa jurisdictionem contulit, verus Episcopus est, quia de iis est, per quos vult Christus ecclesias (quoad generalitatem) gubernari. Quæ voluntas Christi non impedit, quin hic aut ille Episcopus consecratus, per totam vitam absque ulla in aliquam diœcesim jurisdictione relinquatur, et quin hæc aut illa diœcesis per simplicem sacerdotem aut per vicarium apostolicum gubernetur.

Objicies 5°. — Apostoli Episcopos elegerunt, et deinde singulæ ecclesiæ successores sine Romano Pontifice sibi constituerunt; ergo Episcopi non habent jurisdictionem a Papa.

Respondeo. — « Quod singulæ ecclesiæ Episcopos et eorum « successores elegerint, id factum est expresso vel tacito con-

« sensu Romani Pontificis, qui electis ab Ecclesia Episcopis « jurisdictionem tacite conferebaut, dum eos expresse vel « tacite confirmabaut. » (Azor, *Institutiones morales*, parte 2, l. 3, cap. 30, sub finem.) Id fusius probatur infra, ubi de electorum Episcoporum confirmatione.

Objicies 6°. — Si cujuslibet Episcopi jurisdictio a Papa accipiatur, potest facere Papa ut nulli sint Episcopi.

Respondeo : « Non posse, quia mandatum habet a Christo « Domino, ut in partem suæ curæ Episcopos creet. Nam in « Ecclesia est divina ordinatione instituta hierarchia, quæ « constat Episcopis, presbyteris et ministris, ut docet Concilium Tridentinum, sessione 23, canone 6. » (Azor, *Institutiones morales*, parte 2, l. 3, c. 30, in fine.) Quod si ulterius objicias, posse a Papa dictum Christi præceptum non adimpleri, respondeo : Id nunquam permittet Christus, utpote constitutionis Ecclesiæ eversivum; sicut nunquam permittet a Papa, ex cathedra loquente, errorem doceri.

Objicies 7°.— Consecratio Episcopi, cui nulla plebs regenda assignatur, invalida est, prout sustinuit in Concilio Tridentino Bartholomæus de Martyribus, Bragensis Archiepiscopus.

Respondeo : Graviter in hoc errasse præfatum Archiepiscopum, si revera id sustinuerit. Nam etiam antiquitus factæ sunt Episcoporum et presbyterorum, absque ullius plebis assignatione, ordinationes, quæ nullatenus pro invalidis habitæ sunt. Teste Sozomeno (*Hist. eccles.*, l. 6, c. 34), Barses, Eulogius et Lazarus, consecrati sunt Episcopi *ad honorem*, ob præclara ipsorum merita, et quin ulla plebs ipsis regenda commissa sit. « Hibernorum olim Episcopi erant Monachi, in « claustro, ad nullam civitatem ordinati, sed ad solam mis- « sionem juxta nutum abbatis. » (Christianus Lupus, ad canonem 6 Chalcedonensis Concilii, ubi alia similia exempla adducit.)

In actis Ephesini Concilii mentio fit de Episcopis qui diœcesim non habebant, quique vocantur *extorres, otiosi, ecclesiisque carentes*... Recentioribus etiam sæculis occurrunt ejus-

modi Episcopi. Multos in Hibernia fuisse colligitur ex his sancti Anselmi Cantuariensis verbis : *Item dicitur Episcopos in terra vestra passim eligi et sine certo episcopatus loco constitui.* Quam quidem consuetudinem reprehendit sanctus Anselmus : *Episcopus namque,* ait, *nisi certam parochiam et populum cui superintendat habeat, constitui secundum Deum non potest.* At nihilominus eos ut veros Episcopos habet : *Honor quoque episcopalis non parum vilescit, dum is ad pontificatum assumitur, qui ordinatus, quo divertat vel cui per episcopale ministerium certo præsideat, nescit* (libro 3, epist. 147 ad Regem Hiberniæ, edit. Paris. 1675). Tandem eruditis explorata res est, ipsis etiam temporibus Apostolicis ordinatos fuisse Episcopos, nulli determinato loco aut populo affixos, sed qui præsto essent huc vel illuc, pro opportunitate Evangelium deferre, qui *Episcopi gentium* vocabantur. Sed etiamsi nulla occurrerent in antiquitate rei hujus exempla, sequeretur tantum, non fuisse olim separatam ordinationem a regendæ plebis assignatione; non autem invalidam futuram fuisse ordinationem episcopalem, si absque illa assignatione peracta fuisset. Quod si objicias in sexto Chalcedonensi canone expresse dici, *decrevit sancta synodus irritam haberi hujusmodi manus impositionem, et nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam,* respondetur irritationem illam intelligendam esse quoad *facultatem exercendi* receptum ordinem sacrum, prout satis indicant verba hæc *ad ordinantis injuriam.* Hinc ipse etiam Gerson (*de Stat. ecclesiast.,* considerat. 8) : « Status episcopalis, licet esse possit in ali- « quo sine plebe et sine usu vel exercitio, hoc fieri non con- « venit, quia vanum et monstruosum in Ecclesia videretur, « quia frustra est potestas, cui non subest operatio. »

Objicies 8°. — Formulæ, quæ in consecrandis Episcopis adhibentur, clare exprimunt et supponunt eis simul dari jurisdictionem in aliquem populum : talia sunt verba quæ adhibentur in tradendo baculo pastorali, annulo et libro evangeliorum.

Respondeo. — Ita reperiri vetustissimas illas famulas, quia

olim revera uno eodemque actu Episcopus consecrabatur, et confirmabatur, id est, regendæ alicui diœcesi addicebatur; et vix contingebat ordinari Episcopum, alicui certæ diœcesi non præficiendum. Formulæ autem istæ ad valorem consecrationis necessariæ non sunt.

Objicies 9°. — Si potestatem jurisdictionis Episcopi habeant immediate a Papa, Episcopi omnes, etiam in Concilio, non habebunt nisi *humanam* potestatem.

Respondeo. — Nego consequens. Jurisdictio Episcoporum, sive singulorum, sive in Concilio, divina est et a Christo, at non *immediate*, sed *per Summum Pontificem* eis collata.

Objicies 10°. — Si Episcopi potestatem immediate a Deo non habeant, non poterunt in Concilio definire, et quod definiunt non erit de fide.

Respondeo. — « Sufficere ut eam habeant a Papa. Et inde « est quod Concilium non sit legitimum nisi concurrat Papa; « et decisiones non esse a Deo, nisi quatenus sunt a Papa, « cui Sanctus Spiritus assistit. » (Zaccaria, *Antifebronio*, t. 2, pag. 146, edit. Cesenæ 1770.)

Objicies 11°. — Ergo inutile est Concilium, cum non sit plus auctoritatis in Concilio, quam in solo Papa.

Respondeo. — Utile est Concilium, 1° quia magis solemniter constat de judicio supremi pastoris, quando concurrit totius corporis episcopalis judicium. 2° Quia sic magis confunduntur hæretici. 3° Quia ad dignoscendum quæ utiliter statui valeant in universali Ecclesia, non obstante infallibilitatis privilegio, tenetur Papa adhibere humana media : inter quæ sane optimum est Episcoporum Concilium.

CAPUT VII.

VOLUIT CHRISTUS, ATQUE AD DIVINAM ECCLESIÆ CONSTITUTIONEM PERTINET, UT VARIÆ ECCLESIÆ PARTES EPISCOPIS, TANQUAM ORDINARIIS PASTORIBUS, REGENDÆ ORDINARIE COMMITTANTUR.

1° Id evincunt verba hæc Tridentinæ Synodi : « Sacrosancta

« Synodus declarat.., Episcopos... *positos,* sicut idem Aposto-
« lus ait, *regere Ecclesiam Dei.* » (Sess. 23, c. 4.) Illa quidem verba non probant Episcopis *immediate* a Deo collatam fuisse quam in commissas sibi diœceses habent jurisdictionem, prout supra dictum est : ast aperte pandunt, voluisse Christum, ut essent in Ecclesia Episcopi, utque ecclesiastico regimini addicerentur. Manifestum nempe faciunt, et divina ordinatione institutam Episcoporum pluralitatem, et ex eadem divina ordinatione, ad regimen ecclesiasticum Episcopos fuisse destinatos. Etsi ergo Christus ipse immediate hocce regimen eis non committat, voluntas ejus est, ut ipsis committatur. Si enim liberum Romano Pontifici Christus reliquisset, diœceses omnes per simplices presbyteros regere, non adhibitis Episcopis nisi ad sacros conferendos ordines ac ministrandum confirmationis sacramentum, jam verum non foret, *positos a Spiritu Sancto Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

2° Idem colligitur ex Apostolorum agendi ratione. Episcopos enim per civitates constituerunt; quod ex præcepto Christi fecisse, atque ut perpetuo servandam in generali Ecclesiæ regimine formam exhiberent, dubium non est.

3° Ita ab ipsis Ecclesiæ exordiis intellectam fuisse divinam Ecclesiæ institutionem, testantur hæc sancti Ignatii martyris verba : « Etenim Jesus Christus, inseparabilis nostra vita,
« Patris est sententia : ut et Episcopi per terræ terminos de-
« finiti, ex Jesu Christi sunt sententia. Καὶ γὰρ Ἰησοῦς Χρι-
« στὸς, τὸ ἀδιάκριτον ἡμῶν ζῆν, τοῦ Πατρὸς ἡ γνώμη· ὡς καὶ οἱ
« Επίσκοποι, οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθεντες, ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ
« γνώμῃ εἰσίν. » (Epistola ad Ephesios, cap. 3.)

4° Diximus in thesi, voluisse Christum « ut diœceses Episco-
« pis regendæ *ordinarie* committerentur. » Quod enim aut hanc aut illam diœcesim possit Papa, *extraordinarie* et ex justis causis, simplici presbytero, aut vicario apostolico regendam committere, probat perpetua Ecclesiæ praxis. Nam, vacante sede episcopali, exercetur episcopalis jurisdictio per capitulum, per vicarium capitularem, aut per alios etiam

presbyteros, quibus officium illud Sedes Apostolica committit. Item in missionum regionibus, solet Apostolica Sedes, non ordinarios Episcopos constituere, sed Episcopos qui eas regant tanquam ejusdem Sedis *vicarii*; vel etiam simplices presbyteros iisdem regionibus præficit, qui ideo vocantur præfecti apostolici.

Insuper non censendus est Christus ita rigorose voluisse ab Episcopis tanquam ordinariis Pastoribus plebes regi ac gubernari, ut nunquam et in nullo casu Romano Pontifici liceat regimen istud aliis committere. Talis quippe Christi ordinatio non esset Ecclesiæ utilis; quod patet in sedium episcopalium vacatione : nam diœcesi nocivum foret, si, mortuo Episcopo, nullus episcopalem jurisdictionem exercere valeret, donec novus Ordinarius constitueretur. Unde cum dicta Christi voluntas intelligi non debeat eo modo qui nocivus Ecclesiæ foret, dicendum est simul voluisse Christum, ut suus in terris Vicarius posset exceptionaliter et justis de causis ab hac generali ordinatione recedere. Ac proinde quod teneatur Papa Episcopis tanquam Ordinariis regendas diœceses committere, intelligendum est *ordinarie* et quoad ecclesiarum generalitatem.

CAPUT VIII.

EXPENDITUR SYSTEMA BOLGENII, DE COLLATA EPISCOPIS IMMEDIATE A CHRISTO UNIVERSALI JURISDICTIONE, NON QUATENUS SINGULIS, SED QUATENUS CORPUS EPISCOPALE CUM SUO CAPITE ROMANO PONTIFICE CONFLANTIBUS.

Illud systema exponemus : tum quid de eo sentiendum videatur subjiciemus.

§ I.

Exponitur dictum Bolgenii systema.

« Corpus episcopale collegio apostolico vere succedit, ei« que competit omnis illa in universalem Ecclesiam jurisdi-

« ctionis potestas, cum privilegio etiam infallibilitatis conjun-
« cta, quam habuit Apostolorum collegium. Inde autem
« exurgit maximi momenti distiuctio quoad episcopalem
« jurisdictionem. Distinguenda nempe est *universalis* seu in
« totam Ecclesiam, et *particularis* seu ad unam aut plures
« diœceses restricta. *Universalis* jurisdictio ab Episcopis non
« exercetur nec exerceri potest nisi unitis ad invicem et cum
« capite suo Romano Poutifice; id est, nisi quatenus in cor-
« pus seu collegium coeant, sive intra, sive extra Concilium.
« Recte id intelligi potest exemplo senatus, qui suprema au-
« ctoritate rempublicam gubernat. Senatoribus quatenus sin-
« gulis nequaquam competit rempublicam regendi potestas,
« quamvis iidem senatores hac potestate polleant collegiali-
« ter seu in senatum adunati. Ejusmodi *universalis* jurisdictio
« ex institutione Christi characteri episcopali annexa est, at-
« que immediate a Deo cuilibet Episcopo in ipsius ordinatione
« confertur. » (Bolgeni, l'*Episcopato*, parte 2, c. 1, n. 164.)

« In Episcopis, præter *particularem* in suas respective
« diœceses jurisdictionem, attendenda est *universalis* eorum
« jurisdictio quoad totam Ecclesiam. Episcopi nempe, non
« quatenus singuli, sed collegialiter ac sub auctoritate
« capitis sui Romani Pontificis, conflant id quod vocatur *cor-*
« *pus episcopale*. Hocce corpus Apostolorum collegio vere ac
« proprie succedit; possidetque episcopatum cum omnimoda
« plenitudine, universalitate ac suprematia, prout illum insti-
« tuit Christus ac contulit. Equidem Episcopus quilibet seor-
« sim sumptus, etsi judex fidei existat, non tamen est in de-
« finiendo infallibilis : itemque quantumvis circa disciplinam
« legislativa potestate polleat, non tamen leges condere
« valet, quæ extra ipsius diœcesim obligent. Ad *corpus* autem
« *Episcoporum* quod attinet, sive in Concilio œcumenico legi-
« time adunatum, sive etiam per Ecclesiam dispersum, ema-
« natæ ab ejusmodi corpore fidei definitiones infallibiles
« sunt, et ubique obligatoriæ ejusdem disciplinares leges.

« Jam vero, ex ipso ordinationis suæ actu ac vigore, conse-

« quitur quilibet Episcopus ut tanquam membrum corpus « episcopale possit ingredi, ac consequenter ut universam « Ecclesiam regere et docere valeat, quando erit in colle- « gium seu corpus cæteris unitus. Et hæc est quam voco ego « *universalem* in unoquoque Episcopo jurisdictionem, prorsus « distinctam a jurisdictione *particulari* in assignatam sibi « diœcesim ac populum. Jurisdictio hæc *particularis* confer- « tur a Papa immediate : *universalis* vero confertur a Deo « simul cum episcopali charactere, cui annexa est. Tres illi « Episcopi de quibus supra (1), Barses, Eulogius et Lazarus, « qui *ad honorem* dumtaxat ordinati sunt, fuerunt charactere « Episcopi, absque ulla in aliquem determinatum populum « jurisdictione : potuissent tamen, sicut alii Episcopi, in Con- « cilio œcumenico definire ac statuere. Et scimus revera ex « actis, tam antiquiorum quam recentiorum Conciliorum, iis « interfuisse ejusmodi Episcopos, nullum sibi commissum « populum habentes, sedisseque cum aliis tanquam judices « ac legislatores...

« Quamvis autem dicta *universalis* jurisdictio a Deo Episco- « pis immediate conferatur, ejus tamen exercitium legitime « impedire valet suprema Ecclesiæ potestas, Episcopum sus- « pendendo aut deponendo. Nec desunt in antiquitate multa « canonicarum ejusmodi pœnarum exempla. » (Bolgeni, *l'Episcopato*, parte 1, cap. 7, n. 95 et 97.)

§ II.

Quid de præfato systemate sentiendum videatur.

I. *Hæc opinio videtur nova.* — Neque enim ipse Bolgenius ullum citat doctorem qui in ea defendenda aut etiam expo-

(1) « Barses item et Eulogius, qui quidem ambo postmodum Episcopi fuere, non « alicujus urbis, sed honoris dumtaxat causa, tanquam ad repensanda præclara « ipsorum facinora, in suis monasteriis ordinati. Quo quidem modo etiam Lazarus, « de quo supra dixi, Episcopus fuit. » (Sozomenes, l. 6, c. 34.)

nenda ipsi præiverit; nec ego multos pervolvens ullum potui hujusce systematis vestigium reperire. Nullibi scilicet rem, prout eam Bolgenius intelligit, vel in quæstionem vocatam vidi.

II. *Dicta opinio videtur, non tantum præter, sed etiam contra doctrinam, a gravioribus catholicis auctoribus traditam.*—1° Eam sane excludunt hæc Suaresii verba : « Potestas universalis in « totam Christi Ecclesiam, per se non residet in tota aliqua « hominum congregatione aut multitudine, sed in uno tantum « homine; quod est dicere, Ecclesiæ regimen esse monar- « chicum. » (Suarez, tractatus *de Fide*, parte 1, disput. 9, sect. 6, n. 7.) Juxta expositum systema Bolgenii, non in uno tantum homine, sed in toto etiam Episcoporum collegio resideret, atque immediate a Christo collocata fuisset universalis in totam Ecclesiam potestas.

2° Ex eo quod Episcopi titulares, seu *anulares* (ut vocari solent), quibus scilicet nullus populus regendus committitur, in aliqua certa diœcesi jurisdictionem non habeant, nullam omnino eis jurisdictionem competere, supponit Melchior Canus, et inde concludit eos non esse ad Concilium vocandos : « Sane nisi me opinio fallit, sicut nec simplices presbyteri « ita nec anulares isti Episcopi in Synodum cogendi sunt. « Totum quippe ecclesiastici Concilii negotium, non ordinis, « sed jurisdictionis potestate transigitur. Ferre namque sen- « tentiam, solvere aut ligare, absque jurisdictione nemo po- « test. Constat autem Patres in Synodo, aut leges de mori- « bus dare populo, aut de fidei quæstionibus judicare; quorum « neutrum sine ligandi solvendique jure sacerdos facit. » (Melchior Canus, *de Locis theol.*, l. 5, c. 2.)

At Bolgenius in contrariam, ut vidimus, conclusionem, suo systemate compellitur. Cum nempe, juxta ipsius opinionem, *anularis* etiam Episcopus sit episcopalis corporis membrum, adeoque ipsi, ut tali, universalis competat jurisdictio, ad Concilium, non minus quam cæteri, vocandus est.

3° Cæteros si pervolvas probatæ doctrinæ auctores catho-

licos, ubi expendunt an et cur ad Concilium œcumenicum necessario vocari debeant Episcopi, generaliter reperies hoc eos principio niti, quod ratione ordinariæ jurisdictionis quam singuli in commissas sibi diœceses habent, sint Ecclesiæ principes, atque ab ipsis recte tota Ecclesia repræsentetur, utpote qui singuli singulos greges quibus præsunt repræsentent. Et ex eodem principio, id est, ratione suæ in proprias diœceses ordinariæ jurisdictionis, concludunt Episcopos, in Concilio œcumenico, non esse meros Papæ consiliarios, sed veros judices et legislatores ; ita tamen ut quandiu Papæ auctoritas non accesserit, eorum judicia et leges nequaquam sint, quoad universalem Ecclesiam, obligatoria. At nequaquam provocant, sicut Bolgenius, ad aliquam *universalem* in totum mundum jurisdictionem, quæ ipsis, quatenus episcopale corpus constituentibus, immediate a Christo collata sit.

III. *Dicta Bolgeni opinio non videtur tuta.* — 1° Non satis cohæret cum certo illo principio, monarchicam esse Ecclesiæ formam. Si enim universalis in totam Ecclesiam jurisdictio a Christo immediate in toto episcopali corpore collocata sit, jam proprie monarcha non est Summus Pontifex. Ubi enim universalis in totum regnum potestas non residet in uno, sed in plurium collectione, non exstat monarchica forma. Et patet ex ipso exemplo quo utitur Bolgenius, alicujus scilicet senatus, cui suprema competeret in totam rempublicam potestas. Senatores, inquit, universalem potestatem non habent quatenus singuli, habent quatenus in senatum adunati. Sane si ita sint Episcopi in Ecclesia, salva non est monarchica Romani Pontificis auctoritas. Nec dicatur, esse Ecclesiæ monarchiam *aristocratia temperatam.* Nam id quidem bene intelligitur, eo sensu quod voluerit Christus varias Ecclesiæ partes Episcopis tanquam ordinariis pastoribus regendas committi ; sic enim stant in Ecclesia principes qui provincias regant, non tanquam meri vicarii Papæ, sed proprio nomine, etsi jurisdictionem non aliunde quam a Papa immediate accipiant : at si semel admittatur collocatam a Christo fuisse universalem jurisdi-

ctionem in episcopali corpore, jam habebimus aristocratiam quæ non tantum monarchiam temperet, sed quæ eam evertat et excludat; quia falsum erit *ab uno* totam in regno potestatem dimanare, quod tamen formæ monarchicæ essentiale est.

2° Nec tuta evadit opinio Bolgenii, ex eo quod simul doceat validas non esse episcopalis corporis definitiones et leges, nisi eis accedat capitis, id est, Romani Pontificis auctoritas. Nam, vel *tota* vis ejusmodi definitionum et legum ad obligandam universalem Ecclesiam, eis venit a capite, id est, a Romano Pontifice, vel non : si prius, nullam habent cæteri Episcopi, etiam in Concilio, universalem jurisdictionem : si posterius, non est penes unum Ecclesiam regendi potestas, seu monarchica non est Ecclesiæ forma. Unde duo hæc, quod Episcopi quatenus collegialiter sumpti universalem jurisdictionem habeant, et nihilominus validæ non sint ipsorum definitiones et leges totam Ecclesiam respicientes, nisi ex unius auctoritate, sese excludunt, et vera simul esse nequeunt. Quod iterum ostendi potest exemplo senatus, quo Bolgenius utitur. Si cui senatui universalis in totam rempublicam potestas ita competat, ut nulla valeant illius senatus decreta, nisi ex auctoritate præsidis, et e contra valeant decreta præsidis, absque senatus assensu, perperam senatoribus illis, etiam collegialiter sumptis, aliqua universalis jurisdictio tribuitur; nec vere tunc residet universalis jurisdictio nisi penes præsidem, et talis præses verus monarcha est. Unde, salvo meliori judicio, mihi videtur hac in re Bolgenius sibi fucum fecisse, et a genuina doctrina deflexisse.

CAPUT IX.

DETERMINATUR IN QUO STET EPISCOPATUS ESSENTIA, ET TRADITUR EJUSDEM DEFINITIO.

I. Ad essentiam episcopatus pertinet novæ legis *sacerdotium* a Christo institutum. Nullus scilicet nisi sacerdos verus Epi-

scopus esse potest. Id dogma catholicum est, extra omnem omnino controversiam apnd orthodoxos positum. Hinc laicus aut etiam diaconus electus in Episcopum, aut etiam ad Papatum, nunquam in Ecclesia catholica pro vero Episcopo habitus est, nisi post receptam sacerdotalem ordinationem. Est ergo *sacerdotium* de constitutivis seu de esseutia episcopatus.

II. Ad essentiam episcopatus pertinet *plenitudo sacerdotii.* Sacerdotium quippe incompletum seu secundi ordinis, quale habent presbyteri, non sufficit ad constituendum Episcopum. Etenim supra probatum est Episcopos ex divina institutione superiores esse presbyteris *potestate ordinis.* Ergo ipsis proprium est sacerdotium majus ac plenius sacerdotio presbyteris proprio. Ergo ad essentiam episcopatus pertinet speciale quoddam sacerdotium, majus ac perfectius; quod sacerdotium primi ordinis, seu *plenitudo sacerdotii* vocari solet. Hinc *sacerdotii* vocabulum exprimit genus, Episcopis simul ac presbyteris commune. Ad exprimendum autem sacerdotium episcopatui proprium, addenda est vox quæ præstantiam ejus designet. Illud nempe sacerdotium Episcopis exclusive proprium, est *plenitudo quædam sacerdotii,* qua caret simplex presbyter. Nec objiciatur controverti inter doctores catholicos, utrum episcopatus sit necne ordo distinctus et sacramentnm distinctum a presbyteratu diversum : admittendum saltem est, per episcopalem consecrationem *extendi et compleri* presbyteralem ordinem; ita ut non possit quis Episcopus fieri, nisi ejusmodi *extensionem et complementum* recipiendo. Ergo in utraque doctorum catholicorum opinione, verum remanet dictum complementum seu dictam *sacerdotii plenitudinem* esse de constitutivis seu de essentia episcopatus.

III. Ad essentiam episcopatus pertinet plenum sacerdotium, *quatenus ad gubernationem ecclesiasticam institutum.* Illud enim ad essentiam episcopatus pertinet, sine quo verus et proprie dictus episcopatus non concipitur. Atqui proprie dictus episcopatus non concipitur per *solam sacerdotii plenitudinem,* abstrahendo ab omni ad jurisdictionalem potestatem respectu.

Nam *primo*, ipsa vox *Episcopus* superintendentiam seu regendi potestatem indicat; et sacerdotibus primi gradus inditum est hocce Episcopi nomen ob ipsummet regendi officium. *Secundo*, plenum sacerdotium ad exercendam dumtaxat ordinis potestatem institutum, non autem simul ad regendas varias Ecclesiæ partes, esset institutio valde diversa ab episcopatu quem de facto instituit Christus. Nam, ex supra probatis, non tantum instituit Christus plenum sacerdotium, sed voluit ut per illud ordinarie variæ Ecclesiæ partes gubernarentur. Unde in conceptu episcopatus, qualem instituit Christus, seu episcopatus proprie dicti, duo hæc includuntur: plenitudo sacerdotii, et destinatio ad regimen ecclesiasticum. Ergo definitio episcopatus per solam *sacerdotii plenitudinem*, non esset recta. Concipitur enim plenum sacerdotium, quod ad exercendam solam ordinis potestatem institueretur; illud autem sacerdotium valde diversum foret ab eo, quod simul a Spiritu Sancto positum est *regere Ecclesiam Dei*. Hoc posterius sacerdotium, non prius, tanquam verus et proprie dictus episcopatus habendum est. *Tertio*, idem probat usus loquendi in Ecclesia perpetuo receptus. Nam Episcopi, pastorum, doctorum, præsulum et similibus nominibus, quæ jurisdictionis potestatem exprimunt, in tota retro antiquitate designati reperiuntur. Et multo frequentius per potestatem jurisdictionis, quam per potestatem ordinis ipse episcopatus denotari solet. Ergo, non per solam et nudam sacerdotii plenitudinem seu ordinis potestatem, sed simul per ipsius ad regimen ecclesiasticum relationem et destinationem episcopatus perpetuo intellectus est. Ergo revera ad essentiam episcopatus sic intellecti et intelligendi pertinet, non tantum plenitudo sacerdotii, sed plenitudo sacerdotii *quatenus ad gubernationem ecclesiasticam instituta*.

IV. Ad essentiam episcopatus non pertinet *ulla actualis jurisdictio*, sive universalis in totam Ecclesiam, sive particularis in aliquam diœcesim. Non *universalis* qualem habuerunt singuli Apostoli. Nam dogma catholicum est, ejusmodi jurisdictionem in Apostolis extraordinariam fuisse, nec ad singulos

Episcopos tanquam successores transmittendam. Non *universalis* ad sensum Bolgenii, quatenus nempe competeret Episcopis, non quatenus singulis, sed corpus episcopale conflantibus, ut supra probatum est. Sed neque de essentia episcopatus est ut de facto habeat Episcopus *particularem* seu in aliquam diœcesim jurisdictionem. Nam tanquam veri Episcopi perpetuo habiti sunt Episcopi depositi, ac demissionarii; item Episcopi absque plebe, et ad honorem consecrati; item titulares, seu anulares. Unde revera in episcopatus definitione inseri non debet ulla actualis jurisdictio : cum actualis quælibet jurisdictio, sit aliquid accidentale, non vero essentiale in episcopatu.

V. Episcopatus recte definiri potest : *plenitudo sacerdotii, quatenus ad regimen ecclesiasticum a Christo instituta.* — Nam 1° recte definitur res per sua *primaria* attributa. Dicuntur nempe attributa *primaria*, proprietates illæ, sine quibus res nec esse, nec concipi potest : *secundaria* vero, illæ sine quibus res esse nequit, at sine quibus concipi potest. In triangulo, verbi gratia, attributa *primaria* sunt hæc : figura, tres anguli, et tria latera ; quia scilicet nemo potest triangulum concipere, seu de eo cogitare, quin cogitet de figura tribus angulis et tribus lateribus constante. E contra, quod anguli cujuslibet trianguli duos rectos angulos æquent, est attributum *secundarium*. Potest enim quis concipere triangulum, quin sciat tres ejus angulos æquare duos rectos, aut quin de hoc cogitet. Unde quamvis triangulus esse nequeat absque illo attributo, bene tamen sine illo concipi potest. Jam vero in hac episcopatus definitione, *plenitudo sacerdotii quatenus ad regimen ecclesiasticum a Christo instituta*, exprimuntur *primaria* episcopatus attributa ; quia, ex dictis, non concipitur episcopatus nisi concipiatur plenum sacerdotium, quatenus a Spiritu Sancto positum regere Ecclesiam Dei. Aliunde autem per hæc duo primaria attributa verus et proprie dictus episcopatus concipitur. Ergo revera in posita definitione, episcopatus per sua omnia et sola *primaria* attributa definitur.

2° Satisfacit definitio cæteris conditionibus quæ a logicis requiri solent. Convenit toti et soli definito, est clara, nec verbis inutilibus redundans, ut patet.

VI. Notet lector 1°, traditæ definitionis veritatem non pendere ab ulla e sententiis inter catholicos doctores controversis, sed niti doctrina ab ipsis unanimiter recepta. Quod enim episcopatus sit plenitudo sacerdotii, negat nullus. Item quod voluerit Christus ut variæ Ecclesiæ partes ordinarie regerentur per sacerdotes qui plenitudinem sacerdotii haberent, non per simplices presbyteros aut diaconos, pro indubitato habent omnes : inter ipsos autem controvertitur, an Christus ipse *immediate* regiminis potestatem Episcopis tribuat, an vero voluerit eam ipsis a Papa conferri. Porro in utraque sententia vera remanet definitio. Nam etiamsi a Christo immediate jurisdictionem reciperent Episcopi (quod falsum supra probavimus), verum remaneret institutum fuisse a Christo episcopatum ad exercendum pastorale munus seu potestatem regiminis. Atque idem pariter verum remanet in opposita sententia, de accepta immediate a Papa episcopali jurisdictione. Quia, licet nullam habeant Episcopi jurisdictionem nisi immediate a Papa, voluit tamen Christus, ut eis ordinarie, et non aliis, regendas diœceses committeret Summus Pontifex.

Controvertitur insuper utrum episcopatus sit ordo distinctus et sacramentum distinctum a presbyteratu. Porro in utraque sententia verum remanet, episcopatum esse *sacerdotii plenitudinem*, qua caret presbyteratus. Quæ sola plenitudo sacerdotii in definitione asseritur.

Notetur 2°, ex definitione haud sequi, non posse Romanum Pontificem hunc aut illum Episcopum absque ullo pastorali regimine relinquere ; aut non posse hanc aut illam plebem simplici presbytero regendam committere. Nam potuit Christus episcopatum ad regimen ecclesiasticum destinare, et simul velle, ut suo in terris Vicario liberum foret, exceptionaliter et justis de causis, aliquibus Episcopis nullam plebem pascendam committere, et hanc aut illam diœcesim per simpli-

cem presbyterum, aut per Pontificium vicarium administrare. Hæc duo nequaquam sese excludunt, ut supra diximus; sed e contra utrumque simul in voluntate Christi fuisse, et Ecclesiæ praxis et ratio ipsa omuino probant.

Notetur 3°, ex definitione episcopatus, facile concinnari posse Episcopi definitionem. Nimirum, *Episcopus ille est, qui recepit sacerdotii plenitudinem, quatenus a Christo ad regimen ecclesiasticum institutam.* Nec dicatur ibi redundare verba hæc, *quatenus*, etc.; quia etsi de facto non detur plenum sacerdotium, quin sit a Christo ad pastorale munus destinatum, tamen concipi potest plenitudo sacerdotii, abstrahendo a dicta destinatione. Porro si attendatur in aliquo Episcopo sola plenitudo sacerdotii, abstrahendo ab illa destinatione, is tunc non concipitur tanquam proprie dictus Episcopus. Quod si objicias non verificari definitionem in Episcopis titularibus seu *in partibus infidelium*, et multo minus in Episcopo *ad honorem* dumtaxat consecrato, respondeo : Verificatur adhuc definitio; quia plenitudo sacerdotii quam et hi recipiunt, in voluntate Christi destinata est ad regimen ecclesiasticum; quamvis, ex eadem voluntate, possit Papa *exceptionaliter* aliquos hanc plenitudinem habentes pastorali officio non applicare.

SECTIO II.

Evolvitur episcopatus notio.

Superiori sectione illa tantum exposuimus, quæ necessaria visa sunt ad determinandam episcopatus essentiam et definitionem. Nunc ad pleniorem de natura episcopatus notionem, expendendæ veniunt nonnullæ quæstiones, videlicet : 1° an episcopatus sit ordo distinctus et sacramentum distinctum a presbyteratu : 2° quomodo sese habeat relative ad Papam jurisdictio Episcoporum in suis respective diœcesibus : 3° quomodo intelligi debeat jus et potestas Episcoporum collective sumptorum, seu in Concilio œcumenico : 4° quomodo intelligenda sit unitas episcopatus, de qua sancti Patres, Cyprianus præsertim, frequenter agunt.

CAPUT I.

DE CELEBRI CONTROVERSIA AN EPISCOPATUS SIT ORDO DISTINCTUS ET SACRAMENTUM DISTINCTUM A PRESBYTERATU.

Exponemus primo statum quæstionis, seu varias hac de re sententias : tum probabimus episcopatum esse revera ordinem et sacramentum a presbyteratu distinctum.

§ I.

Exponitur status quæstionis et sententiarum diversitas.

1° « Ordo seu sacra ordinatio est *sacramentum novæ legis* « *initerabile, quo, subjecto capaci, cum impressione characteris,*

« *spiritualis potestas confertur ad sacramentum Eucharistiæ con-*
« *ficiendum, aut circa illud ministrandum.* » (Ferraris, verbo *Ordo*, art. 1, n. 2.) Est illa definitio, sin minus quoad voces, at saltem quoad sensum, communiter recepta inter catholicos.

2° Usurpatur etiam vox *ordo* pro statu et gradu potestatis, in quo quis per sacram ordinationem constituitur. Quo sensu dicitur, verbi gratia, *ordines majores, ordines minores, ordo subdiaconatus*, etc.

3° Presbyteratum esse ordinem extra controversiam est apud catholicos. Insuper communis sententia est dari plures ordines; ita ut generica vox *sacramentum ordinis* plures sub se distinctas species contineat; quarum unaquæque sit verum sacramentum.

4° Ast ubi devenitur ad quæstionem, quinam et quot numero sint ordines proprie dicti, id est, sacramenti rationem habentes, doctores catholici in varias abeunt sententias, quæ sic breviter exponi possunt.

Prima sententia eorum est, qui septem enumerant distinctos ordines, *proprie dictos*, seu veri sacramenti rationem habentes, videlicet : ostiariatum, lectoratum, exorcistatum, acolutatum, subdiaconatum, diaconatum, et presbyteratum seu sacerdotium. Qui huic sententiæ inhærent, episcopatum non habent tanquam ordinem a presbyteratu distinctum, sed eum existimant esse solummodo quamdam presbyteratus seu sacerdotii *extensionem* ac veluti complementum.

Secunda sententia, a canonistis fere communiter recepta, novem agnoscit ordines proprie dictos : nempe illos septem modo enumeratos, et insuper tonsuram et episcopatum. Quam doctrinam inter alios tuentur, et communiter a sacrorum canonum interpretibus receptam testantur Fagnanus (in c. *cum contingat XI, de Ætate et qual.*; et in c. *Requisivit, de Ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit*), et Ferraris (verbo *Ordo*, art. 1; et verbo *Episcopatus*).

Tertia sententia, quæ quorumdam est, a prima non differt,

nisi quod episcopatum habeat tanquam distinctum ordinem, sicque *octo* proprie dictos ordines admittendos teneat.

Quarta sententia eorum est, qui omnibus vel aliquibus ordinibus, diaconatui inferioribus, sacramenti rationem denegant. Dicimus *diaconatui inferioribus*. Nam « diaconatum sacramen« tum esse, communis et certa est theologorum sententia » (Perrone, *Prælect. theol.*, tract. *de Ordine*, c. 2, n. 80); quamvis id olim aliqui pauci negaverint.

« At competit-ne (ait laudatus Perrone, loco cit., n. 81) « eadem sacramenti dignitas subdiaconatui ac reliquis mino« ribus ordinibus? Graves theologi affirmant; sed alii negant.»

5° Circa quæstionem gravissimam, quam nunc movemus, an scilicet episcopatus sit ordo sacramentalis a presbyteratu distinctus, haud satis est scire, fuisse eam licite per plura sæcula in scholis catholicis in utrumque sensum controversam : attendendum insuper est, num forte sententia negans suam hodie probabilitatem amiserit ; ita ut opposita *communis* jam evaserit, sitque omnino tenenda.

6° Licitam olim et a quamplurimis propugnatam fuisse sententiam, quæ sacramentalis ordinis rationem episcopatui denegat, omnino certum est. Eam tenuit imprimis S. Thomas : « Episcopatus, inquit, non est ordo. » (In 4 sent., dist. 24, q. 2, art. 2.) Item S. Bonaventura, qui sic habet (in distinctionem 24, libri 4 sententiarum, q. 3) : « Episcopatus pro« prie non est ordo... Episcopatus prout distinguitur contra « sacerdotium dicit dignitatem quandam vel officium episco« patui annexum, et non est proprie nomen ordinis, nec novus « character imprimitur, nec nova potestas datur, sed potestas « data ampliatur. » Hos secuti sunt quamplurimi, ita ut etiam communior olim fuisse sententia hæc videatur.

7° Certum est recentioribus temporibus prævaluisse sententiam oppositam : id passim testantur moderni auctores. Vide inter alios S. Liguorium, l. 6, n. 733 ; Perrone, loco mox citando; necnon Benedictum XIV *de Synodo diœcesana*, l. 8, c. 9, n. 2.

8° Immo *communem* jam evasisse sententiam illam, esseque *omnino tenendam*, affirmat Perrone : « Veteres plerique scho-« lastici (ait) censuerunt episcopatum neque ordinem esse « proprie dictum, neque proinde sacramentum, sed solam « extensionem presbyteratus, seu ut aliqui loquuntur, sim-« plicem deputationem extrinsecam ad aliquas functiones seu « ministeria, quibus peragendis non erat idoneus presbyter. « Verum sententia nunc temporis *communis et omnino tenenda* « est episcopatum et ordinem esse specie distinctum a pre-« sbyteratu, et sacramentum. » (*Prælect. theol.*, tractatu *de Ordine*, n. 78.)

Equidem non a multo tempore contrariam opinionem e probabilitate sua excidisse existimat citatus auctor : « In hoc « etiam nostro collegio romano,inquit,paulo ante Societatis (1) « exstinctionem, adhuc eadem sententia publice propugnaba-« tur,ut constat ex thesibus per id temporis evulgatis.» (Loco cit. in nota.) Nihilominus eam nullatenus hodie probabilem esse incunctanter affirmat : *Attamen*, ait, *nedum probabilis nunc hæc sententia censetur, sed jam a nonnullis censura notatur* (ibid.).

Periculosam illam sententiam jam antea dixerant auctores nonnulli, inter quos Reiffenstuel et Ferraris (vide apud Ferraris, verbo *Episcopatus*, n. 5); de opposita vero, nempe quod episcopatus sit ordo sacramentalis a presbyteratu distinctus,sic adnotatur ab Honorato Tournely (*de Ordine*, quæst. 6, art. 1) : « Hanc Bellarminus certissimam, Petrus Soto certa « fide tenendam censent : Michael de Medina contrariam « sententiam esse périculosam. Vasquez, quamquam expresse « definitam non esse fateatur, ex definitione tamen Concilii « Tridentini eam non obscure deduci, nec sine gravi nota « hoc tempore negari posse (qua parte asserit episcopatum « esse verum sacramentum) contendit. »

9° Etsi veram existimem sententiam illam (nimirum quæ

(1) Nimirum Societatis Jesu.

tenet, episcopatum esse ordinem et sacramentum a presbyteratu distinctum), fateor dubitare me, an sufficienti fundamento nitatur assertio hæc, esse prædictam sententiam *hodie omnino tenendam;* quod idem est ac dicere, jam non posse oppositam in scholis catholicis *licite* propugnari. Nam, usque ad viciniora omnino tempora, de hac quæstione locuti sunt doctores catholici tanquam in utramque partem libere disputata; prout ipse R. P. Perrone testatur. Recens sane auctor est sanctus Ligorius; qui dictam sententiam *communiorem* quidem evasisse dicit; at nullatenus addit eam esse *omnino tenendam* : « An episcopatus, inquit, sit ordo distinctus a pre« sbyteratu? Negant S. Thomas, S. Bonaventura et alii; sed « *communius* affirmant Bellarminus, Tournely...; tum quia in « ipso traditur distinctus character et specialis potestas ad « eucharistiam, nempe constituendi hujus sacramenti mini« stros, tum quia ordo episcopatus confertur per manuum « impositionem et per formam *accipe Spiritum Sanctum*, etc. « Nec valet dicere quod si episcopatus esset distinctus ordo, « posset Episcopus valide saltem ordinare, licet non esset « sacerdos : nam respondetur, quod hoc ordinatione divina « requiritur, sicut requiritur ut sit baptizatus qui vult confir« mari aut ordinari. » (S. Ligorius, l. 6, n. 738.)

Sed et maxime hac in re ponderanda mihi videtur auctoritas Benedicti XIV, qui uno vix a nobis sæculo distat. Porro *liberam* esse controversiam dictus Pontifex expresse declaravit in sua Constitutione *in postremo* (20 octobris 1756, § 17) : « Cum nemo, inquit, prohibeat disceptare, num episcopatus « sit ordo a presbyteratu distinctus, an character in episco« pali consecratione impressus differat, vel potius sit amplia« tio quædam characteris in collatione presbyteralis ordinis « impressi. » Erat ergo adhuc libera, Benedicti XIV tempore, utriusque sententiæ propugnatio. Nullum autem, quod sciam, adducitur postea emanatum Sedis Apostolicæ decretum, ex quo directe vel indirecte colligi valeat, omnino tenendam unam, omnino deserendam alteram. Equidem probabilitas

opinionis quæ tenet, episcopatum non esse ordinem a presbyteratu distinctum, valde imminui potuit a doctoribus Benedicto XIV posterioribus. Si nempe *communi consensu* eam, non tantum rejecerint, sed *omnino deserendam* pronuntiaverint, potuit inde omnis ejus probabilitas evanescere. Sed num revera ita communi consensu docuerint, mihi non satis constat et difficile forsan probari posset. Quapropter non auderem huic sententiæ notam ullam inurere, aut eam illicitam pronuntiare, donec major innotuerit auctoritas, quæ ei opponi valeat.

§ II.

Probatur episcopatum esse ordinem et sacramentum a presbyteratu distinctum.

ARGUMENTUM I. — *Ex Scriptura sacra, adjuncta Concilii Tridentini interpretatione.* — In epistola prima sancti Pauli ad Timotheum, capite 1, v. 6, sic habetur : « Admoneo te ut « resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem ma- « nuum mearum. » Concilium autem Tridentinum, sess. 23, capite 3, sic declaravit : « Cum Scripturæ testimonio, aposto- « lica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit « per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus « perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem « esse vere et proprie unum e septem sanctæ Ecclesiæ sacra- « mentis. Inquit *enim* Apostolus : *Admoneo te ut resuscites.* »

Ex istis Tridentinorum Patrum verbis patet, impositionem illam manuum sancti Pauli, intelligendam esse de *sacramento ordinis*, seu (quod idem est) de ordine sacramentali. Aliunde autem certum est, neque controversum apud catholicos, per hanc eamdem manuum impositionem Timotheo collatum fuisse *episcopatum* : ergo episcopatus seu episcopalis ordinatio, est vere et proprie *sacramentum ordinis*, seu ordo sacramentalis a presbyteratu distinctus. Idem alio modo sic concludi potest : ordinatio hæc Timothæi fuit *ordinatio episcopalis*, qua nempe Timotheus creatus est Episcopus, prout tenent una-

nimiter catholici interpretes. Et aliunde citatur a Tridentina Synodo ad probandum, exprimi in Scriptura sacra verum et proprie dictum sacramentum ordinis : ergo, ex Tridentinæ Synodi sensu, ordinatio episcopalis, quatenus talis, id est, quatenus distincta ab ordinatione presbyterali, est verum et proprie dictum sacramentum ordinis. Nisi ita esset, errassent Tridentini Patres, citando tanquam exemplum sacramenti ordinis, id quod non fuisset verus ordo sacramentalis.

Nota. — Fateor tamen ejusmodi argumentum non mihi videri omnino peremptorium. Possunt enim adversarii dicere : Timotheum ordinavit simul sanctus Paulus presbyterum et Episcopum; quem morem conferendi simul presbyteratum et episcopatum, apostolicis temporibus viguisse, tenent Petavius, Mamachius aliique eruditi. Quatenus ergo illa Timothei ordinatio fuit *collatio presbyteratus*, verus ordo fuit et verum sacramentum : proinde potuerunt illam ordinationem citare Patres Tridentini, tanquam exemplum sacramenti ordinis, quin ideo sequatur admissum ab ipsis fuisse episcopatum tanquam ordinem et sacramentum distinctum a presbyteratu.

ARGUMENTUM II. — *Ex rationibus theologicis.* — I. Bellarminus (*de Sacramento ordinis*, l. 4, c. 5), præmissis duobus argumentis, nimirum ex sacra Scriptura et sanctis Patribus deductis, hoc tertium subjungit : « Episcopalis ordinatio est « cœremonia imprimens characterem spiritualem et confe- « rens gratiam : ergo est verissimum sacramentum. Probatur « antecedens :

« Ac primum *de charactere*, ex eo quod episcopalis ordinatio « non potest repeti. Et præterea Episcopus potest duo sacra- « menta conferre (nimirum confirmationem et sacros ordines), « quæ non possunt ulli alii ordines inferiores conferre : et si « tentent id facere, nihil prorsus efficiunt. Ergo habet Epi- « scopus ex sua ordinatione spiritualem potestatem, et proinde « novum characterem...

« Jam quod episcopalis consecratio conferat gratiam, pro- « batur manifestissimo argumento : nam ideo probant theo-

« logi in ordinatione presbyterali dari gratiam, quia debet « presbyter quædam sacramenta ministrare, quæ sine gratia « non digne ministrantur. Episcopus autem debet quædam « etiam sacramenta ministrare, sacramentum videlicet con« firmationis et ordinis, quæ sine gratia non digne ministran« tur. »

II. Alio modo sic per partes probari potest episcopatum esse sacramentum et ordinem a presbyteratu distinctum :

1° Certum est per consecrationem episcopalem conferri potestatem qua carent presbyteri, nimirum potestatem sacerdotes creandi, et confirmationem jure ordinario valide ministrandi. Id nemo catholicorum negare potest.

2° Consecratio episcopalis, qua prædicta potestas confertur, a Deo instituta est. Patet, quia Deus solus potuit ei alligare supernaturalem illam vim, creandi sacerdotes, et valide ministrandi confirmationis sacramentum. Id pariter omnino certum est apud catholicos.

3° Consecratio episcopalis est verum et proprie dictum sacramentum. Definitur enim sacramentum, *ritus sensibilis, a Christo institutus, et gratiam conferens*. Porro consecratio episcopalis est *ritus sensibilis*, et de hoc nulla movetur difficultas. Insuper institutionis est divinæ, prout modo diximus, numero 2. Tandem gratiam producit, quod sic evincitur : « Ideo « (inquit Bellarminus, loco modo citato) probant theologi in « ordinatione presbyterali dari gratiam, quia debet presbyter « quædam sacramenta ministrare, quæ sine gratia non digne « ministrantur : Episcopus autem debet quædam etiam sacra« menta ministrare..., quæ sine gratia non digne ministran« tur.» Præterea non tantum ad modo dicta sacramenta ministranda instituti sunt Episcopi, sed etiam (prout superiori sectione ostendimus) ad regendam Ecclesiam Dei; eo sensu nempe quod voluerit Christus ut Episcopis, et non simplicibus presbyteris, variæ Ecclesiæ partes regendæ ordinarie committerentur. Si ergo ex eo quod conjuges et presbyteri gratia indigeant ad recte explenda officia sua, concludatur conferri

gratiam per matrimonium et per presbyteratum, a fortiori concludendum est gratiam conferri per consecrationem episcopalem. Et tandem, etiam in hypothesi quod consecratio episcopalis nullam gratiam ipsismet consecratis conferret, conferret tamen ipsis potestatem supernaturalem sacerdotium perpetuandi, quæ potestas, in aliquo vero sensu, est summa, relative ad universalem Ecclesiam, gratia. Ergo revera episcopalis consecratio est gratiæ productiva, aliunde est ritus sensibilis a Christo institutus : ergo est verum et proprie dictum sacramentum.

4° Consecratio episcopalis est verus et proprie dictus ordo. Nam, ex modo dictis, est verum sacramentum : porro non potest esse nisi sacramentum ordinis. Si enim esset aliud, darentur octo sacramenta; et certum est atque omnino tenendum, non dari nisi septem. Præterea ordo est sacramentum conferens potestatem circa eucharistici sacramenti et sacrificii confectionem. Porro episcopalis consecratio ejusmodi potestatem confert; dat enim potestatem creandi et perpetuandi sacerdotium, per quod sacratissimum Sacramentum conficiatur et divinum sacrificium offeratur. Ergo episcopalis consecratio, non tantum est verum sacramentum, sed etiam verus ordo.

5° Consecratio episcopalis est ordo sacramentalis distinctus a presbyteratu. Quod sit *ordo sacramentalis*, numeris præcedentibus probatum est. Remanet ut probetur esse ordinem *distinctum a presbyteratu*. Distinctio variorum ordinum inter se, tota desumenda est ex distinctione ritus sensibilis, et ex distinctione potestatis a Christo unicuique ex istis ritibus alligatæ. Diaconatus, verbi gratia, habendus erit tanquam ordo distinctus a presbyteratu, si conferatur per ritum distinctum, et ritus ille producat potestatem distinctam. Nec potest alia dari regula ad dignoscendam ordinum distinctionem quam ista : *Illi ordines sunt certo inter se distincti, qui per distinctum et diversum ritum sensibilem conferuntur, et producunt diversam et distinctam potestatem.* Jam vero episcopatus et presbyteratus conferuntur per distinctum ritum sensibilem, ut notum

est. Aliunde per episcopalem consecrationem confertur potestas sacerdotium perpetuandi, quæ nullatenus confertur per ordinationem simplicium presbyterorum. Ac proinde diversa et distincta est potestas per presbyteratum et episcopatum collata. Ergo episcopatus est ordo a presbyteratu diversus.

Nota. — Inferri ex dictis potest per episcopalem consecrationem imprimi characterem, et hunc characterem esse diversum a charactere presbyterali : 1° imprimitur character, siquidem episcopalis consecratio est *verus ordo*, et sacramento ordinis proprium est characterem imprimere : 2° ille character est dictinctus a presbyterali, siquidem ordo presbyteralis et episcopalis sunt diversi et distincti ab invicem.

Argumentum III. — *Ex eo quod systema oppositum duo involvat, quæ simul stare nequeunt.* — In eo quippe systemate admittendum est, episcopatum *non esse ordinem distinctum* a presbyteratu : et simul idem systema concedit, episcopatum esse extensionem quamdam presbyteratus, *per quam confertur nova et distincta potestas.* Porro duo hæc sese excludunt. Si enim illa *presbyteratus* extensio producit ex opere operato potestatem novam et distinctam, est aliquid diversum et distinctum a simplici *presbyteratu-non-extento :* alioquin simplex presbyteratus conferret potestatem creandi sacerdotes; et opus non esset eum *extendi*, ut hunc effectum produceret : unde potestas hæc non inhæret simplici presbyteratui-non-extento, sed ipsius *extensioni*, id est, illi augmento seu *additioni*, quæ per episcopalem consecrationem producitur. Est ergo *additio* illa aliquid distinctum a simplici presbyteratu; et cum aliunde ipsi alligetur specialis et distincta potestas sacerdotes creandi, est verus ordo. Ergo, quantumvis dicatur *presbyteratus extensio*, est ordo distinctus a presbyteratu. Ergo, vel negare debent adversarii per illam extensionem seu additionem conferri distinctam potestatem (quod negare nequeunt), vel admittere hancce additionem seu extensionem esse verum ordinem sacramentalem, a simplici presbyteratu-non-extento distinctum. Quæ argumentatio sic brevius exponi

potest : *extensio ordinis*, quæ sacramentaliter confert distinctam potestatem supernaturalem, idem omnino est ac *ordo distinctus*.

ARGUMENTUM IV. — *Ad hominem*. — Contra præfati systematis patronos, sic urgeri potest : non alia de causa admittitis, diaconatum esse ordinem distinctum a subdiaconatu, et presbyteratum esse ordinem distinctum a diaconatu, quam quod per diaconatum conferatur potestas distincta ab ea quam confert subdiaconatus; et quod pariter alia sit potestas in presbyteratu, et alia in diaconatu collata. Porro etiam in episcopali consecratione confertur nova et distiucta potestas, quam non habet simplex presbyter : ergo et in episcopatu agnoscere debetis distinctum a presbyteratu ordinem.

CAPUT II.

QUOMODO SESE HABEAT RELATIVE AD PAPAM EPISCOPORUM POTESTAS IN SUIS RESPECTIVE DIŒCESIBUS.

PROPOSITIO Iª. — *Episcopi in regendis sibi commissis diœcesibus non sunt Romani Pontificis vicarii*. — Loquimur hic de Episcopis qui ordinario modo regendis diœcesibus præficiuntur : non autem de iis quibus interdum tanquam *vicariis apostolicis*, aliquarum regionum curam Summus Pontifex exceptionaliter committit. Antequam autem conclusionem sic intellectam probemus, abs re non erit nonnulla prænotare, videlicet :

1° Eam conclusionem negavit celebris apostata Marcus Antonius de Dominis, Spalatensis Episcopus. Sustinebat nempe esse Episcopos meros Summi Pontificis vicarios; ac consequenter, mortuo Papa, expirare ipsorum jurisdictionem. Innitebatur præcipue quodam juris textu, in quo Summus Pontifex Episcopos dicit *in partem sollicitudinis assumptos* (vide Card. Petra, ad constitutionem unicam Pelagii II, n. 45).

2° At sententiam illam, quæ Episcopos pro meris Papæ vi-

cariis habet, communi consensu tanquam erroneam rejiciunt doctores catholici. Equidem aliter sentire doctrinæ romanæ defensores, haud raro fingunt atque asserunt janseniani et gallicani. Sed hoc eorum assertum omnino falsum est. Ex iis enim quos *ultramontanos* gallicani vocant, nullum citare poterunt alicujus nominis theologum, qui errorem hunc docuerit. Dico *alicujus nominis theologum* : nam quod nuperis temporibus unus forte aut alter scriptor, in disciplina theologica parum versatus, Episcopos Romani Pontificis vicarios minus considerate dixerit, id nihil probat.

3° Ut melius pateat Romanæ doctrinæ defensores, dicti erroris falso insimulari, non alia quam ipsorum auctoritate, in probanda thesi, utemur.

ARGUMENTUM I. — *Ex auctoritate doctorum, quos Gallicani ultramontanos vocant.*— 1° Sic habet Cardinalis Petra (ad constitutionem unicam Pelagii II, n. 45) : « Sicuti falsa est sen« tentia illorum qui Patriarchæ universalis titulum tribuere « volunt inferiori Summo Pontifice, ita erronea est sententia « opposita, *quod ordo episcopalis sit ad instar vicarii Summi « Pontificis.* » Exponit dein Cardinalis Petra, dici Episcopos *assumptos in partem sollicitudinis* eo sensu, quod limitata eis jurisdictio in certis diœcesibus committatur; non autem eo sensu, quod non sint proprii earum diœceseon Episcopi seu Pastores et Ordinarii. « Sunt vere tales, inquit, et non puri « ministri ac Papæ vicarii, ut refellendo Spalatensem docue« runt P. Martinus Becanus, in *Manuali controv.*, l. 1, c. 4, « n. 76...; et de materia agunt canonistæ; apud Fagnanum, « in cap. *Quanto, de translatione Episcoporum;* Barbosa, *de « Potestate Episc.*, parte 1, tit. 1, cap. 6. »

2° Item clarissimus Zaccaria, solitam memorans supradictam calumniam, quod nempe a romana doctrina tradatur et ab ejus defensoribus propugnetur, *Episcopos esse Papæ vicarios*, sic eam vivide repellit : « Nihil hoc fraudulentius, ni« hil falsius dici potest. Sæpe de tanta in Apostolicam Sedem « calumnia expostulavimus : expostulabimus semper. Episco-

« pos nemo nostrum tanquam pontificios... *vicarios* habet. « Ecclesiæ pastores ac principes, non Papæ, sed Christi, apud « suos, ex instituta præceptaque ab ipso Christo potestate, « vices agentes agnoscimus ac colimus. Quamobrem monar- « chicum Ecclesiæ regimen aristocratia temperatum cum « Bellarmino asseruimus. » (*Antifebronius vindicatus*, parte 4, dissertatione 10, c. 4, n. 3.)

3° De eadem calumnia conqueritur Bolgenius : « Honestum « sane non est, inquit, dum impugnantur scriptores, ipsos « calumniari, dictum ab ipsis fingendo quod nunquam dicere « intenderunt; atque asserendo, velle ipsos ac prætendere, « *unicum exstare in Ecclesia Episcopum, cujus cæteri sint meri* « *vices gerentes ac vicarii.* » (*L'Episcopato*, parte 1, capite 7, n. 88 in fine.)

Subjungit quidem Bolgenius, posse in aliquo sensu de Episcopis dici, eos sancti Petri, ac proinde successorum ejus, *vices agere*, seu esse *vicarios;* nec deesse gravissima hujuscemodi locutionum exempla : at intelligenda esse hoc sensu, quod suam a Papa jurisdictionem accipiant Episcopi; non autem quod sint ipsius vicarii ad nutum amovibiles, cum precaria et delegata auctoritate : « Aperte, inquit, dico et susti- « neo, Episcoporum quemque, in regenda diœcesi sua, *vices* « *agere* S. Petri, esse *vicarios* sancti Petri, et consequenter « successorum sancti Petri. Movebit procul dubio hæc decla- « ratio mea apud adversarios scandalum, piasque ipsorum « aures offendet : ignarumque me et temerarium clamitan- « tes, obtrudent statim *positos a Spiritu Sancto Episcopos re-* « *gere Ecclesiam Dei.* Sed faveant pacato animo attendere, « jamdiu ante me de Romana Ecclesia, dixisse Gregorium IV « Pontificem : *Quæ sic* VICES SUAS *aliis impertivit ecclesiis, ut* « *in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem pote-* « *statis* (Labbe, tom. 7, col. 1571). Idem asseruit imperator « Carolus Magnus, in re ecclesiastica versatissimus, et epi- « scopalis auctoritatis observantissimus : *Ut omnes cognoscant* « *nomen, potestatem, vigorem et dignitatem sacerdotalem : quod*

« *ex verbis Domini facile intelligi potest, quibus beato Petro,*
« CUJUS VICEM EPISCOPI GERUNT, *ait: Quodcumque ligaveris,* etc.
« (apud Thomassinum, *Vetus et nova disc.*, p. 1, l. 1, c. 56,
« n. 2). Iisdem fere verbis usus est Joannes Aurelianensis :
« *Qualis sit potestas et auctoritas sacerdotalis, ex verbis Domini*
« *facile animadvertitur, quibus beato Petro,* CUJUS VICEM INDI-
« GNE GERIMUS, *ait (Institut. Reg.*, cap. 2, in *Spicilegio* Da-
« cheriano, tom. 5)... Ejusmodi autem locutiones neqnaqnam
« significant, Episcopis competere dumtaxat precariam ac
« delegatam, tanquam ad nutum amovibilibus Papæ vicariis,
« auctoritatem. Ast earum sensus est, a Petro ejusque suc-
« cessoribus accipi jurisdictionem illam particularem, quam
« in commissas sibi diœceses habent Episcopi. »

Id notatum velim a gallicanis, qui si viderint ab aliquo forte scriptore catholico usurpari locutionem hanc, *Romani Pontificis vices agere Episcopos, seu esse ipsius vicarios,* statim scandescunt : quæ tamen formulæ absolute adhiberi possunt, dummodo in recto sensu, a Bolgenio indicato, intelligantur. Cæterum ab iis adhibendis, præsertim absque adnexa dicta interpretatione, prudens quisque et accuratus scriptor abstinebit, ne in suspicionem erronei sensus incurrat.

ARGUMENTUM II. — *Ex rationibus theologicis.* — 1° Ita Ecclesiam suam constituit Christus, ut voluerit, non unicum, sed plures in ea esse Episcopos ; siquidem de fide est divinitus institutam fuisse hierarchiam, quæ constet *Episcopis presbyteris et ministris,* prout definivit Tridentina Synodus. Item voluit Christus ut Episcopis, non autem simplicibus presbyteris, variæ Ecclesiæ partes regendæ ordinarie committerentur. Id superiori sectione probavimus. Et in hoc sensu verum omnino est et admittendum, *jure divino* seu *a Spiritu Sancto positos Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Equidem Christus Dominus, non per se immediate, sed per suum in terris vicarium Romanum Pontificem, proprias Episcopis singulis diœceses et jurisdictionem confert : ast eidem Romano Pontifici liberum non reliquit, ut nullis Episcopis regimen ecclesia-

sticum committeret : sed voluit ut omnibus generatim ecclesiis et populis (excepto casu quo alicubi aliter fieri justa causa suaderet) Episcopos tanquam ordinarios propriosque pastores et rectores præficeret. Et quod revera ita Christus Ecclesiam constituerit, ut debeant variæ ecclesiæ (generaliter, ut dictum est, seu ubi non adest justa exceptionis causa) per Episcopos tanquam *ordinarios* pastores, non autem tanquam Papæ *delegatos* ac *vicarios*, regi ac gubernari, tota confirmat Ecclesiæ traditio et praxis. Ergo ex ipsamet divina Ecclesiæ constitutione, habent Episcopi, (solito et non exceptionali modo constituti) ut sint *ordinarii* et non *delegati*, utque sibi commissas ecclesias *proprio nomine* regant, non tanquam meri Romani Pontificis vicarii.

2° A doctoribus catholicis communiter admittitur, Ecclesiam esse *monarchiam aristocratia temperatam*. Jam vero temperamentum illud aristocraticum intelligendum non est in eo sensu, quod Episcopi in commissas sibi diœceses jurisdictionem habeant aliunde quam a Papa immediate acceptam, prout superiori sectione probatum est. Et patet ex eo quod alioquin deficiat forma monarchica : siquidem de essentia monarchiæ est ut nulla sit in regno regiminis potestas quæ ab uno, id est, a monarcha non accipiatur. Aliunde autem, si Episcopi ecclesias regerent tanquam meri vicarii seu legati, ad nutum Romani Pontificis amovibiles, deficeret temperamentum illud aristocraticum. Absoluta enim tunc foret monarchica forma. Ergo temperamentum illud in eo stare censendum est, quod, ex divina Ecclesiæ constitutione, teneatur Romanus Pontifex universalem Ecclesiam regere per Episcopos, qui sint suarum respective diœceseon pastores *ordinarii*, proprioque nomine administrent, non tanquam delegati aut meri vicarii.

Propositio IIa. — *Jurisdictio ordinaria cujuslibet Episcopi in commissa sibi diœcesi, non excludit jurisdictionem ordinariam Summi Pontificis in eadem diœcesi ; sed stant simul cumulative jurisdictio immediata Romani Pontificis et jurisdictio immediata Episcopi in illam diœcesim : ita tamen ut episcopalis Papali sub-*

jecta sit. Remissive. — In tractatu *de Papa* sequentes conclusiones stabiliemus : Summus Pontifex jure divino habet sollicitudinem et curam omnium ecclesiarum (de fide) : habet potestatem *ordinariam* in omnes et singulas diœceses (de fide) : habet in totam Ecclesiam jurisdictionem *immediatam* (est pariter de fide). Porro ex iis principiis aperte fluunt quæ sub præsenti propositione asseruimus.

PROPOSITIO IIIª. — *Potest Summus Pontifex ordinariam Episcoporum jurisdictionem restringere ; tum sibi reservando graviores casus, necnon dispensationes et beneficia ; tum eorum diœceses dismembrando ; tum personas et loca eximendo ab ipsorum jurisdictione.* Remissive. — Id probabitur in tractatu *de Papa*.

PROPOSITIO IVª. — *Potest Summus Pontifex ex justa causa, et non tantum ob crimen, sed etiam ob Ecclesiæ necessitatem vel magnam utilitatem, aliquem Episcopum, imo et omnes alicujus regni Episcopos deponere : quod si tunc illi Episcopi jurisdictionem exercere attentent, et ipsi, et qui ipsis adhærent, sunt hoc ipso schismatici.* Remissive. — Id vide probatum infra, parte 3.

PROPOSITIO Vª. — *Potest Summus Pontifex in provinciis constituere legatos, delegatos, nuntios, qui Papalem jurisdictionem pro modo ipsis determinato exerceant : Episcopis invigilando ; appellationes recipiendo ; causas judicando ; ab impedimentis, irregularitatibus, casibusque Papæ reservatis dispensando.* Remissive. — Id etiam ad tractatum *de Papa* probandum remittimus.

PROPOSITIO VIª. — *Non potest Summus Pontifex omnes simul mundi Episcopos deponere, et diœceses regere per vicarios ; ita ut jam non sint in Ecclesia Episcopi, qui tanquam ordinarii et proprio nomine ecclesias regant.* — Nam, ex supra probatis, voluit Christus ut ordinarie (id est extra casus ex justa causa excipiendos), per Episcopos tanquam proprios et ordinarios pastores diœceses regerentur. Unde id ad divinam Ecclesiæ constitutionem pertinet. Ecclesia autem e divina sua constitutione nunquam excidere potest ; quia est *columna et firmamentum veritatis*, et *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Hinc non tantum de jure, sed neque de facto potest Summus Pontifex *vicariale* regimen ad totam Ecclesiam extendere; quum nequeat Christus permittere ut a Papa peragatur quod divinam Ecclesiæ constitutionem destrueret. Quemadmodum contingere nequit, ut Summi Pontifices, consecrationes episcopales supprimendo, ad eum statum Ecclesiam adducant ut nullos alios præter Romanum Episcopos habeat; quia tunc desineret hierarchia illa divinitus instituta, constans *Episcopis presbyteris et ministris;* quam tamen in Ecclesia existere, est et semper erit *de fide.*

Scholion. — E præmissis propositionibus facile poterit lector introspicere, quomodo sese habeat Episcoporum, relative ad Papam, jurisdictionalis potestas. 1° Nempe talis est, ut nequaquam impediat quin Papa verus ac proprie dictus universalis Ecclesiæ monarcha existat; a quo solo immediate suam singuli Episcopi regendarum propriarum ecclesiarum potestatem accipiunt; et cui potestas hæc Episcoporum ita subjecta remanet, ut possit Papa eam restringere, mutare ac etiam adimere, ex justa causa. Quæ justa causa an existat, judicium est penes eumdem Romanum Pontificem. Systemata quæ id negant, et in quibus salva non est hæc proprie dicta Romani Pontificis *monarchica potestas,* pro erroneis omnino habenda sunt. Quæ sane monarchica potestas, non tantum in Febronianismo, sed neque in moderato (ut aiunt) seu Bossuetico gallicanismo, salva logice, dici potest. 2° Nihilominus ex institutione pariter ac voluntate Christi, tenetur Papa (extra casus justa de causa excipiendos) ecclesias regendas committere Episcopis; et non tanquam delegatis seu meris vicariis, sed tanquam ordinariis pastoribus, proprio nomine suos respective greges pascentibus. Hæc autem regula, potestati Romani Pontificis a Christo imposita, quamvis potestatem illam in sua essentia veræ et propriæ dictæ monarchiæ relinquat, attamen certum imponit et determinatum modum, quo exerceri debeat; et simul hunc effectum producit, quod semper in Ecclesia sint optimates seu principes, Episcopi

nempe locorum Ordinarii. Et in hoc sensu dici potest, et a theologis communiter dicitur, Ecclesiam esse *monarchiam aristocratia temperatam.*

CAPUT III.

QUOMODO INTELLIGENDA SIT POTESTAS EPISCOPORUM, QUATENUS COLLECTIVE SUMPTORUM, SIVE EXTRA, SIVE INTRA CONCILIUM ŒCUMENICUM.

PROPOSITIO I[a]. — *Episcopi in Concilio œcumenico non sunt meri-consiliarii Romani Pontificis, sed veri judices et legislatores.* — 1° De hac quæstione sic habet Melchior Canus (*de Locis*, l. 5, c. 5) : « An patres Concilii vere judices sint, an potius consi« liarii ? Sunt enim auctores non omnino pessimi, qui Conci« liorum auctoritatem non in judicanda et finienda causa « fidei, sed in quærenda et investiganda veritate sitam esse « velint. » Ibi adducit Melchior Canus, illorum auctorum rationes : tunc sic prosequitur : « Ad hanc quæstionem perfa« cilis est et expedita responsio, Episcopos Concilii, in fidei « causa, non modo consiliarios esse, verum etiam judices. »

2° Eamdem quæstionem expendit Bellarminus (*de Conciliis*, l. 1, c. 18) ; eamque solvit in hunc modum : « Nos ergo dici« mus, consessum Episcoporum in Conciliis legitimis esse « verum *judicum* consessum, et eorum decreta et leges ne« cessario sequendas. »

3° Idem tenet Benedictus XIV : « Episcopi in Concilio « generali Summo Pontifici assident, non tanquam meri « consiliarii, verum etiam tanquam judices. » (*De Syn. diœc.*, l. 13, c. 2, n. 2.) Estque doctrina hæc communis et tenenda.

4° Rationes autem quibus probari solet, sic breviter exponi possunt :

Primo, perpetua Ecclesiæ praxis fuit, ut Episcopi in Conciliis per modum judicii sententiam ferrent. In Concilio Hierosolymitano, ab Apostolis habito (Acta, c. 15, v. 16), dixit

S. Jacobus, *ego judico ;* et sententia Concilii fuit hujusce formæ, *visum est Spiritui Sancto et nobis.* Et postmodum in omnibus Conciliis usi sunt Episcopi hac aut æquivalenti formula, *ego N... definiens subscripsi.* Insuper plena est antiquitas monumentis, Romanorum Pontificum præsertim epistolis, in quibus sub nomine *judicii*, *definitionis*, *canonum* et *legum* mentio fit de variis Conciliorum decretis, etiam nondum confirmatis a Sede Apostolica. Jam vero, meri consiliarii nullo tempore præfatis formulis usi sunt ; neque eorum consilia *canones, leges, judicata, judicia* aut definitiones vocata sunt. Ergo revera Episcopi in Conciliis non tanquam meri consiliarii, sed tanquam veri judices perpetuo habiti sunt ; ac proinde tales sunt ; cum absonum sit supponere Ecclesiam in re tanti momenti perpetuo errasse.

Secundo, item perpetuo in Ecclesia existimatum est debere Concilia Episcopis constare, non simplicibus presbyteris aut laicis : porro si Episcopi forent meri consiliarii, debuissent potius constare doctis theologis. Nec erat cur ad Concilia vocarentur Episcopi rudes et simplices, quales aliquos fuisse in Concilio Nicæno scribit Rufinus (libro 10 *Hist.*, cap. 3).

Tertio, alias nonnullas rationes videat lector apud Bellarminum et Melchiorem Canum, locis citatis ; necnon apud alios hac de re disserentes theologos.

Objicies 1°. — Definitiones et leges Concilii œcumenici nullam vim habent, nisi ex confirmatione et per confirmationem Summi Pontificis : ergo per se, non sunt nisi mera consilia.

Respondeo. — 1° Retorqueo : sententia judicis inferioris a quo appellatur nullam vim habet donec a judice appellationis confirmetur ; ergo judex inferior non est verus judex, sed merus consiliarius. 2° Ex eo quod judicium Concilii vim non habeat universalem Ecclesiam obligandi, nisi ex confirmatione et per confirmationem Summi Pontificis, non sequitur, non esse verum judicium : sequitur dumtaxat esse judicium vi obligandi carens donec confirmetur.

Objicies 2°. — Si Episcopi in Concilio œcumenico essent veri judices, quilibet ipsorum haberet jurisdictionem in universam Ecclesiam; quod sic probatur : non est verus judex nisi habens veram jurisdictionem in subditos quibus jus dicit : sed in Concilio œcumenico quilibet Episcopus pronuntiat quoad Ecclesiam universam : ergo si pronuntiatio hæc foret verum judicium, quilibet Episcoporum haberet jurisdictionem in universam Ecclesiam : quod sane admitti nequit.

Respondeo. — 1° Admitti nequit unicuique Episcopo competere universalem jurisdictionem *immediate a Christo acceptam.* Ejusmodi jurisdictio nec singulis Episcopis competit, neque etiam collective sumptis, prout supra, Bolgenium confutando, diximus. — 2° Item admitti nequit in singulis Episcopis jurisdictio definitiva simul et universalis, *a Papa eis collata ;* id est, admitti nequit etiam quatenus a Papa collata, jurisdictio quæ totam Ecclesiam attingeret, et simul *vim definitivam* haberet. Papa quippe nequit, talem jurisdictionem ulli Episcopo communicare : nam talis potestas, in quantum complectitur jus præscribendi fidem, esse nequit absque privilegio infallibilitatis : porro privilegium illud ita soli Romano Pontifici datum est, ut sit aliis incommunicabile. Item quoad leges disciplinares, Romano Pontifici data est *suprema* et *plena* potestas; et cum non possint esse duæ supremæ et plenæ potestates Ecclesiam universalem gubernandi, sequitur eam *soli* Romano Pontifici competere. Ergo nequit eam communicare : ergo nequit alicui communicare potestatem judicialem aut legislativam quæ sit *definitiva simul et universalis* quoad totam Ecclesiam. — 3° At potest Papa unicuique Episcoporum tribuere universalem jurisdictionem quæ non sit definitiva, nisi per ipsiusmet Pontificis confirmatorium decretum. Potest nempe ipsis potestatem conferre pronuntiandi de fide quoad totam Ecclesiam, ita ut definitio hæc per se solam non valeat obligare ad credendum : item potestatem leges decernendi quoad totam Ecclesiam, ita ut leges istæ non evadant obligatoriæ nisi eas ipse firmaverit. Porro hanc revera potestatem

unicuique Episcoporum confert Papa, hoc ipso quod eos ad Concilium œcumenicum convocat. Ad hoc enim eos vocat ut pronuntient de fide et de universali disciplina. Ergo revera quando Concilium est legitime convocatum, unusquisque Episcoporum dictam veri judicis potestatem habet. Secus foret in Concilio contra Summi Pontificis voluntatem coadunato : tunc enim neque hanc modo explicatam potestatem pronuntiandi de fide et disciplina ullus haberet Episcopus; et decreta quælibet, non tantum non essent definitiva, sed neque legitime prolata ; deficiente scilicet illa quoad universalem Ecclesiam pronuntiandi potestate, quam nullus habet Episcopus, nisi hanc ei Papa conferat. Unde quando Episcopos ad œcumenicum Concilium Romanus Pontifex convocat, eos hoc ipso constituit quoad totam Ecclesiam judices ; sed quasi in prima instantia, et ita ut eorum judicia definitiva non sint, nisi quando ipse ea firmaverit.

Propositio IIa. — *Corpus Episcoporum omnium, quatenus a Papa sejunctum, non habet supremam in Ecclesia potestatem.* — Propositio hæc, etsi non sit simpliciter de fide, quia expresse non fuit definita, omnino tamen certa est et ut talis habenda : probatur autem argumentis sequentibus :

Argumentum I. — *Ex Scriptura sacra.* — 1° Plures sacræ Scripturæ textus Ecclesiæ constitutionem exprimunt sub typo *regni* et *ovilis* : proinde exprimunt supremam potestatem a Christo collatam fuisse uni tanquam monarchæ, non autem pluribus seu alicui senatui. Nam quodlibet ovile ab uno pastore regitur; nec ad oves pertinet regere pastorem, sed ad pastorem regere oves; nec recte locutus fuisset Christus Ecclesiam significando sub allegoria ovilis, si supremam regiminis potestatem tribuisset ovibus, quatenus a pastore sejunctis. Item in omni regno necesse est præesse regem seu monarcham, penes quem stet suprema gubernandi potestas : alioquin non est regnum. 2° Alii textus exprimunt supremam regiminis potestatem Petro ejusque successoribus fuisse collatam : *Tu es Petrus et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam*

meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (1) *: Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris...: Pasce agnos, pasce oves : et tu conversus confirma fratres tuos.* 3° Equidem alii etiam Scripturæ textus exprimunt Apostolis Christum contulisse potestatem et jurisdictionem in totam Ecclesiam : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ; euntes ergo docete.. : Quodcumque ligaveritis...* At *primo*, potestas hæc non eis data est *quatenus sejunctis a Petro.* Præsens enim erat Petrus, et ad totum Apostolorum collegium verba hæc directa sunt. *Secundo,* dicta potestas cæteris Apostolis non data est nisi cum subordinatione ad potestatem Petri. Sequitur ex eo quod seorsim soli Petro *supremam* auctoritatem Christus dederit. Hoc ipso enim, quam aliis Apostolis contulit potestatem, priori subjectam esse voluit. *Tertio,* licet singuli Apostoli plenam acceperint potestatem fidem prædicandi, ecclesias fundandi et regendi, non tamen eam exercere poterant nisi subjecti Apostolorum principi ; et potestas ista fuit *extraordinaria* et *personalis,* et cum personis interitura ; nec transiit ad Episcopos. Quod et declaravit Pius VI (in responsione *super nuntiaturis Apostolicis,* cap. 3, sect. 1, pag. 300), in hunc modum : « Dogma catho-« licum est Apostolos, tametsi extraordinaria præditos pote-« state, quæ data personis, cum ipsis personis interiit, fuisse « Petro subjectos, quem solum Apostolis præesse Christus « jussit ; et subesse plenitudini potestatis Romani Pontificis « (quæ, veluti ordinaria fuit in Petro, ita in ejus successoribus « ordinaria est) omnes Episcopos ; qui extraordinaria pote-« state Apostolorum destituuntur. » Ergo revera sacræ Scripturæ textus palam faciunt, supremam regendæ Ecclesiæ potestatem non fuisse collocatam in Episcoporum omnium corpore, quatenus a Papa sejuncto.

(1) Parisiis nuper nonnullis presbyteris gallicanum systema propugnantibus, lepide respondit dominus Brucker, vir laicus : « D'après le gallicanisme, à ce que « je vois, Jésus-Christ aurait mal exprimé sa pensée quand il dit à saint Pierre : « *Tu es pierre, et sur cette pierre je bâtirai mon Église.* Il voulait dire : *Vous* « *êtes un tas de pierres, et sur ce tas de pierres je bâtirai mon Église.* »

ARGUMENTUM II. —*Ex perpetua Ecclesiæ traditione et praxi.* — Nam perpetuo Summus Poutifex agnitus fuit tanquam caput Ecclesiæ. Corpus autem Episcoporum nunquam aliquid definivit aut ordinavit, quod vim habuerit independenter a consensu et approbatioue Romani Pontificis. Unde etiam Concilia œcumeuica decretorum suorum confirmationem a Snmmo Pontifice postulabant. « Chalcedonenses Patres (ait « Pius VI in Bulla *super soliditate*) a Leone tanqnam capite, « cum implorata confirmatione, actionum suarum firmitatem « norunt esse repetendam. » Atque ibidem, § 11, de octava generali Synodo sic refert idem Pius VI : « Cum statnen- « dum superesset de nonnullis dispensationibus quas utilitas « Ecclesiæ exposcere maxime videbatur, impartiendæ veniæ « facultatem sumere sibi Patres ausi nou sunt; verum eam « per Patriarcham Ignatium implorandam duxere a Sede Apo- « stolica; quam proinde agnovere, nou ipsos Patriarchas, « relaxandorum canouum potestate pollere. »

ARGUMENTUM III. — *Ex ratione theologica.* — Dogma catholicum est singulos Episcopos subjectos esse Summo Pontifici, eique obedientiam debere : atqni cum hac singulorum subjectioue repugnat eorum collectioni, quatenus a Papa sejunctæ, suprema_ potestatem competere ; ergo.

Probatur major. — 1° Ex verbis Pii VI, iu *responsione super nuntiaturis*, cap. 8, sec. 2, pag. 188 : « Veritas a dogmatis « fonte profecta, primatum S. Pontificis divinitus institu- « tum..., anctoritatem secum ferre stabilem, perpetuam, « numeris omnibus absolntam, pascendi, regendi et guber- « nandi tam populos, quam populorum ipsos pastores. » — 2° Idem declarat Pius VI in litteris ad Maximilianum Archiepiscopum Coloniensem : « Fidei dogma est, Episcoporum « auctoritatem et jurisdictionem subjectam esse Summi Pon- « tificis auctoritati, ut subesse debeant Sedis Apostolicæ sta- « tutis. » 3° Iterum idem tradit Pius VI iu Brevi *quod aliquantum :* « Debetur ipsi (Romano Poutifici) tauquam capiti « a suis membris solemnis obedientiæ canonicæ promissio. »

Et ibi loquitur potissimum de Episcopis, quos ab ista obedientiæ promissione eximebat *civilis cleri gallicani constitutio.* 4° In professione fidei, a Pio IV præscripta, promittitur ab Episcopis vera obedientia Summo Pontifici. 5° Ex definitioue Florentini Concilii competit Romano Pontifici *plena potestas universalem Ecclesiam pascendi, regendi atque gubernandi.* Plena sane non foret potestas hæc, sed fere illusoria, si Episcopi singuli eidem non subjicerentur. 6° Idem colligitur ex damnatis per Bullam *auctorem fidei* pluribus propositionibus, quas brevitatis causa, sicut et alia multa quæ adduci possent documenta, prætermittimus. Subjungimus dumtaxat testimonium cleri gallicani, in comitiis anni 1681 : « Obtinet ille (Romanus « Pontifex) in nos primatum *auctoritatis et jurisdictionis,* sibi « a Christo Jesu in persona sancti Petri collatum : qui ab hac « veritate dissentiret, schismaticus, immo et hæreticus esset.» Ergo certum omnino est, Summo Pontifici singulos Episcopos subjici et obedientiam debere.

Probatur minor. — Nempe cum dicta subjectione pugnare, quod Episcopi, collective sumpti, et quatenus a Papa sejuncti, supremam in Ecclesia auctoritatem habeant. Etenim vi istius necessariæ subjectionis tenentur siuguli Episcopi Summo Pontifici definienti et præcipienti obedire ; tenentur nempe ipsius definitiones, statuta, ordinationes et leges servare. Atqui repugnat singulos ad hanc obedientiam teneri, et omnes simul sumptos supremam habere auctoritatem. Nam vi istius summæ auctoritatis essent, collective sumpti, a Summo Pontifice independentes, et possent ipsius definitiones et leges propria auctoritate retractare, judicare, recusare; et etiam leges ipsius contrariis legibus omnino elidere et irritas reddere. Ergo nullus Episcoporum teneretur obedire priusquam omnes simul legem libere acceptassent, ipsamque propria auctoritate confirmassent, eique vim dedissent : ergo nullus teneretur obedire vi legis a Summo Pontifice latæ : ergo repugnat subjici singulos Episcopos Romano Pontifici, et simul eis collective sumptis competere supremam auctoritatem.

PROPOSITIO III. — *Episcopis collective sumptis, sed a Papa sejunctis, nulla competit jurisdictio in universalem Ecclesiam: excipiendus solus casus Papæ dubii, quo casu ad corpus episcopale probabiliter devolvitur potestas providendi de Papa certo.* — Duas habet partes propositio : prior respicit statum ordinarium Ecclesiæ; habentis scilicet Papam certum, aut (si vacet Pontificia Sedes) mox habituræ, per solitam a sacro Collegio peragendam electionem : posterior respicit extraordinarium casum Papæ dubii, quando plures contendunt de Papatu, et nescitur quis sit, aut etiam an aliquis ex eis sit legitimus.

PROBATUR PARS PRIOR. — Superiori propositione diximus episcopali corpori, quatenus a Papa sejuncto, non competere *supremam* gubernandæ Ecclesiæ potestatem. Hic autem dicimus : tali Episcoporum collectioni *nulla* omnino competit jurisdictio in universalem Ecclesiam. Id autem admittendum erit, si probetur, quaslibet ejusmodi Episcoporum definitiones et leges omni prorsus vi carere, nisi eas confirmet Romanus Pontifex. Atqui ita esse multiplici argumento probatur.

I. Ex prærogativis Romani Pontificis, in sacra Scriptura indicatis. Nam ædificium nec stare nec valere quidquam potest nisi per vim quam trahit a fundamento : grex non potest quidquam agere aut de suo regimine valide decernere absque auctoritate pastoris, cui data est suprema illum regendi potestas : nihil possunt per se et independenter a supremo rectore statuere et confirmare qui ab eo rectore confirmandi sunt, et sine quo nullam ipsi firmitatem haberent : nihil potest absolute et independenter ligari et solvi sine auctoritate illius cui immediate traditæ sunt claves regni cœlorum cum suprema potestate ligandi atque solvendi. Atqui Summus Pontifex solus et jure proprio est totius Ecclesiæ et ipsius episcopatus fundamentum, pastor supremus, fratrum confirmator, summus claviger; ergo sine ipsius concursu et confirmatione nihil valide quoad universam Ecclesiam statuere potest quantalibet, et omnium etiam Episcoporum collectio.

II. Ad Romanum Pontificem pertinet jus œcumenica Con-

cilia confirmandi ; ergo Episcoporum corpus absque ejusmodi confirmatione nihil valide statuere potest.

Probatur antecedens, ex perpetua Ecclesiæ persuasione et praxi. Socrates, in sua historia ecclesiastica (libro 2, c. 17), sic asserit : *Ecclesiastica lex prohibet ne præter Romani Episcopi assensum ecclesiæ statuant :* τοῦ ἐκκλήσιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ Ἐπισκόπου Ῥώμης κονονίζειν τὰς ἐκκλησίας. Quod et iterum iisdem fere terminis dicit eodem libro, capite 8. Pariter Sozomenus (libro 3, cap. 10) enarrans quomodo S. Julius Papa I pro irrito habuerit Antiochenum Concilium, ea, inter alias, de causa, quod absque ipsius interventu celebrata fuisset, ita subjungit : *Est enim lex sacra, pro irritis habenda esse, quæ præter Romani Episcopi assensum peraguntur :* εἶναι γὰρ νόμον ἱερατικὸν, ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην πραττόμενα τοῦ Ῥωμαίων Ἐπισκόπου. Fatetur Petrus de Marca (*de Concordia*, lib. 5, cap. 12), ita necessariam fuisse illam γνωμην Romani Pontificis, ut, ipsa deficiente, irrita hoc ipso forent Synodorum decreta.

Jus illud Romani Pontificis agnoverunt Concilia œcumenica : actorum enim suorum confirmationem a Romano Pontifice postularunt. Et ea solum decreta quæ a Papa recepta et confirmata sunt vim habuere : cætera vero ab ipso non confirmata, pro irritis habita sunt. Œcumenici Chalcedonensis Concilii Patres « ab Leone tanquam capite, cum implorata con« firmatione, actionum suarum firmitatem noverunt esse « repetendam. » (Pius VI in Bulla *super soliditate*.) Atque similem recursum ab octava generali Synodo peractum ibidem enarrat citatus Pius VI. Et Tridentini etiam Patres decretorum suorum confirmationem á Sede Apostolica postularunt.

« Quod robur Concilia vestra obtinere valebunt (aiebat Ni« colaus I) si suam perdiderit Sedes Apostolica firmitatem, « *sine cujus consensu nulla Concilia vel accepta esse legantur*, » (Concilia Coleti, tom. 9, pag. 15 et 16.) Quam perpetuam doctrinam sequens Paschalis II, sic nonnullos admonebat, anno 1101 : « Aiunt in Conciliis statutum non inveniri ; quasi

« Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cum « omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem et facta « sint et *robur acceperint,* et in eorum statutis Romani Pon- « tificis patenter excipiatur auctoritas. » (Epistola 5, Concilia Coleti, tomo 12, col. 971.)

Insuper jus illud œcumenica Concilia confirmandi, prout et convocandi eisque præsidendi, Romano Pontifici exprèsse tribuit Concilium Lateranense V. Et quamvis Concilium illud a gallicanis pro œcumenico non habeatur, attamen ut tale habetur extra Galliam, et illud œcumenicum vocat Pius VI, in Brevi *charitas,* ad Galliæ Episcopos 13 aprilis 1791 directo, et *civilem cleri constitutionem* respiciente.

Tandem, non tantum certum, sed etiam *de Fide* esse præfatum jus Summi Pontificis Concilia œcumenica confirmandi, tradit Suarez, cum communi doctorum sententia : « Ad Ro- « manum Pontificem, inquit, spectat definitiones et leges a « Concilio generali factas confirmare. *Est certa de Fide.* » (Parte 1 tractatus *de Fide,* disput. 11, sectione 3, n. 11.)

Ergo revera omnino certum est et admittendum, jus Romani Pontificis Concilia generalia confirmandi.

Probatur consequens. — Id est, ex isto jure Summi Pontificis, rigorose sequi nullitatem eorum quæ ab Episcopis decernuntur, nisi dicta Papæ confirmatio accesserit. Etenim 1° non dedit Christus Romano Pontifici potestatem inutilem : atqui inutilis foret dicta potestas Conciliorum decreta confirmandi, si decreta ejusmodi valorem haberent absque dicta confirmatione. Nam tunc æque valerent et auctoritatem haberent Concilia non confirmata ac confirmata; ergo inutilis esset confirmatio et confirmandi potestas. 2° Ex adductis auctoritatibus, non tantum perpetuo in Ecclesia agnitum est jus illud confirmandi Romano Pontifici competens, sed ita intellectum est, ut, non accedente illa confirmatione, nulla et irrita remanerent conciliaria decreta. Id palam faciunt adducti textus, quibus alii quamplurimi addi possent. 3° Concilia œcumenica confirmationem illam non postulassent, nisi eam reputassent

necessariam ad conferendum decretis suis valorem et vim. Si enim credidissent valere sua decreta sine Papali confirmatione, hanc suam auctoritatem et potestatem exercuissent; neque id egissent ex quo necessaria existimari et concludi potuisset dicta Papalis confirmatio; nec jus suum a Christo acceptum negligere, labefactare, ac dubium reddere voluissent; nec proinde postulassent id quod nullatenus necessarium esse existimassent. Ergo ideo confirmationem postularunt, quia persuasum habuerunt, absque illa confirmatione nullius roboris fore quælibet sua decreta universalem Ecclesiam respicientia.

III. Romano Pontifici competit auctoritas vere et proprie *monarchica* in omnes et singulas ecclesias, atque in earum Episcopos. Eam autem monarchicam auctoritatem, utpote quæ ipsi tanquam ordinaria inhæret, servat etiam in Conciliis : unde et hisce Conciliis, tanquam regni sui comitiis monarcha, ipse præsidet. Porro stante hac certa ac proprie dicta Summi Pontificis auctoritate *monarchica*, repugnat vim habere posse, absque ipsius assensu et confirmatione, quodlibet Concilii statutum aut decretum. Si enim præter aut contra Romani Pontificis assensum valide statuere posset, quoad universalem Ecclesiam, Episcoporum congregatio, competeret huic congregationi, independenter a Papa, vera potestas universalem Ecclesiam regendi. Ergo universalem Ecclesiam regendi potestas non staret penes *unum ;* sed penes duos ab invicem independentes : nimirum penes Papam, et penes corpus episcopale. Ergo Papa non esset Ecclesiæ monarcha. Cum ergo dogma catholicum sit vere et proprie monarchicam esse Romani Pontificis potestatem, consequens est, ut absque ipsius confirmatione, nihil valide statuere possit corpus episcopale quoad universam Ecclesiam.

IV. De fide est Romano Pontifici competere *supremam* in Ecclesia auctoritatem. Porro *suprema* auctoritas stare nequit, cum alia Ecclesiam regendi potestate, quæ sit a priori independens. Porro si corpus Episcoporum valide statuere posset

quoad totam Ecclesiam, absque assensu seu confirmatione Papæ, ipsi competeret potestas Ecclesiam regendi, a Papa *independens*. Ergo potestas Papæ ex hoc ipso desineret esse *suprema*.

V. Dogma catholicum est, singulos Episcopos Romani Pontificis auctoritati subjici, et ad præstandam ei obedientiam teneri. Atqui repugnat, Episcopos, quatenus singulos, ita subjici, et simul posse, quatenus collective sumptos, *valide* statuere quoad universam Ecclesiam, independenter a Papa, seu absque ipsius assensu et confirmatione. Nam, si collective sumpti valeant independenter a Papa quoad universam Ecclesiam decernere, poterunt Papales definitiones, leges ac ordinationes quaslibet retractare, judicare, recusare, et irritas (contrarium statuendo) reddere. Ergo nullus Episcopus teneretur legi pontificiæ obedire, nisi in quantum Episcoporum collectio legem illam acceptaret et firmaret. Ergo pontificia lex per se solam, seu quatenus est tantum lex Summi Pontificis, nullatenus Episcopos quatenus singulos obligaret.

VI. Appellari potest a sententia et judicio cujuslibet Concilii, a Papa non confirmati, ad Sedem Apostolicam; et e contra a Summo Pontifice ad ullum Concilium appellari nequit. Id qui negaret, a doctrina catholica prorsus deficeret, ut fuse probabitur in tractatu *de Papa*. Ergo liberum est cuilibet fideli non obedire statutis ab episcopali corpore emanatis, donec eis pontificia confirmatio accesserit. Ergo statuta hæc vim non habent absque dicta confirmatione.

VII. Tandem id etiam colligi potest ex iis quæ gallicani theologi fateri coguntur. Nam licet dicti theologi negent necessariam esse, ad plenum conciliariorum decretorum robur, Romani Pontificis confirmationem, tamen fatentur eam ad id saltem necessariam esse *ut Concilium sit certo œcumenicum*, ac proinde ut de fide sint ejus dogmaticæ definitiones, et universalem Ecclesiam obligent disciplinares ejus leges. Concedunt nempe dicti theologi nullius esse roboris decreta Concilii *dubie œcumenici*, et dubie œcumenicum esse Concilium a

Papa non confirmatum. Inde autem plane sequitur, nullatenus obligare *in praxi* statuta cujuslibet congregationis seu Concilii Episcoporum a Summo Pontifice non confirmata : ac proinde sequitur ipsa invalida remanere donec eis pontificia confirmatio accesserit.

PROBATUR PARS POSTERIOR. — Id est, in casu Papæ dubii, ad corpus Episcoporum probabiliter devolvi potestatem providendi de Papa certo, etiam per depositionem Papæ dubii. — Equidem ad divinam Ecclesiæ constitutionem pertinet, ut *perpetuo* usque ad finem mundi, a Romano Pontifice tanquam capite, et Christi in terris vicario, regatur. At *perpetuitas* hæc seu *continuitas* regiminis, intelligenda est *moraliter;* non autem in eo rigoroso sensu, quod non possit, ne per minimum quidem temporis intervallum, stare Ecclesia, quin hic et nunc adsit Romanus Pontifex, actu eam gubernans. Nam aliunde constat permisisse Christum, ut Romani Pontifices, morti essent, sicut cæteri hominum, obnoxii. Proinde non cum ea pontificii regiminis *continuitate* suam Christus Ecclesiam instituit, quæ ordinarias Sedis Romanæ vacationes excluderet. Item non ita Ecclesiam suam constituit Christus, ut casum Papæ dubii divina sua providentia penitus excluderet. Qui casus præcipue contigit tempore improprie dicti schismatis Occidentis.

Jam vero quoad casum istum, quo plures de Papatu contendunt, et Concilium generale non potuit, quisnam legitimus sit, quinam intrusi, certo discernere, movetur difficilis quæstio, *an tunc possit Concilium generale dubios Pontifices deponere, ut de Papa certo provideat;* atque in hoc casu corpus episcopale *immediate a Deo* dictam potestatem accidentaliter habeat. De quo duplex est sententia.

Prima sententia affirmat : « Fuerunt nimirum nonnulli, et « adhuc sunt, qui hujusmodi tantum *Pontifices dubii et incerti* « *juris*, Synodorum generalium potestati subjiciunt. Hanc au- « tem sententiam, quam aliquot etiam celebres auctoritatis « pontificiæ vindices sequuntur, ut hinc remedium difficiliori

« schismati afferatur, ego absolute repudiare nolim. » (Ita Petrus Ballerinius, opusculo *de Potestate Summorum Pontificum*, capite 9, n. 10.)

Secunda sententia negat. Contendit nempe Papam quantumvis dubium, si revera sit verus et legitimus Papa, non posse valide a Concilio deponi. Et hanc ut probabiliorem sententiam amplectitur citatus Petrus Ballerinius.

1° Ad objectionem, *ergo in dicto casu nullum erit dissensionibus remedium*, respondet : adesse aliquid remedii in lege naturali ac divina, vi cujus Papæ dubii teneutur tunc Papatui cedere, publicumque Ecclesiæ bonum privato suo commodo præferre.

2° Ad objectionem, *ergo saltem non erit remedium si Papæ dubii abdicare recusent*, respondet : tunc de remedio provisurum Christum.

3° Ad objectionem, *in schismate Occidentis provenit remedium ex auctoritate Concilii Constantiensis supra dubios Pontifices*, respondet : nequaquam inde provenisse remedium; sed ex eo quod de tribus a Papatu contendentibus, Gregorius XII (qui probabilius verus Pontifex erat) Papatui ultro renuntiaverit; Joannes XXIII depositionis sententiæ, ante et post ejus prolationem, assentiendo, idem æquivalenter fecerit; Benedictus autem XIII, seu Petrus de Luna, in schisma et hæresim patenter incidendo, jus Papale (si forte illud habuerit) certo amiserit, sicque Concilio subjectus factus sit (vide in citato Ballerinii opere totum caput 9).

Ob illam opinandi varietatem, quam hic breviter dumtaxat exponendam duximus, episcopali corpori seu Concilio generali *probabiliter* saltem attribuendam diximus potestatem, providendi de Papa certo, etiam deponendo, si opus sit, dubios Pontifices. Quam quidem potestatem in hoc solo casu haberent Episcopi immediate a Deo.

Propositio IV[a]. — *Ad probandam generalis Concilii supra Papam auctoritatem, perperam adducuntur Constantiensia decreta.* — In celebri *declaratione* comitiorum cleri gallicani anni

1682, numero 2, œcumenicorum Conciliorum supra Romanum Pontificem auctoritas, tanquam ex decretis Constantiensibus certa omnino atque indubitata, adstruitur : *Valeant et immota consistant sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis, a Sede Apostolica comprobata..., decreta.* Atque idem perpetuo recantant gallicani systematis propugnatores; provocantes scilicet ad quartam et quintam Constantiensis Concilii sessionem; ubi inter alia definitum occurrit, Concilium generale habere a Christo immediatam auctoritatem, cui omnes obedire tenentur, etiamsi Papalis dignitatis existant. At sicut erronea quam extruere tentant doctrina, ita inane prorsus quod ei substernunt fundamentum. Nimirum, *decreta Constantiensia sessionum quartæ et quintæ, de Synodorum generalium auctoritate supra Romanos Pontifices, vim non habent generalis Concilii, ob plures defectus, ac præsertim quia carent saltem confirmatione Apostolica* (Petrus Ballerinius, *de Potestate Summorum Pontificum*, capite 7, pag. 81, edit. typis S. Congregationis de Propaganda Fide, 1850). Ita omnino tenendum, probatur sequentibus rationibus.

I. Tempore sessionum quartæ et quintæ, constabat Constantiense Concilium *ex sola obedientia Joannis XXIII.* Abfuerunt Episcopi duarum aliarum obedientiarum, nempe Benedicti XIII et Gregorii XII; quos tamen Episcopos tunc temporis schismaticos fuisse, et a catholica Ecclesia avulsos, nec probatur, nec probari potest. Porro quando ex Episcopis catholicis, in tres partes divisis, una tantum pars Concilio interest, *certum* saltem *non est* tale Concilium universam Ecclesiam repræsentasse; ac proinde certum non est ejusmodi Concilium fuisse œcumenicum. Jam vero, vel ex hoc solo quod *certum non sit*, œcumenicum tunc fuisse Constantiense Concilium, vim œcumenici Concilii non habent quartæ et quintæ sessionis decreta.

II. Quando edita sunt illa quartæ et quintæ sessionis decreta, non tantum non interfuit, nec per se, nec per suos legatos, Joannes XXIII, qui Synodum convocaverat, sed palam eis repugnavit. Præterea exclusum est distinctum suffra-

gium collegii Cardinalium; qui tamen, absente Papa, Romanam Ecclesiam aliqua ratione repræsentant : « Ob defectum « distincti suffragii collegii Cardinalium (ait P. Ballerinius, « loco cit., pag. 82) decreta Synodi *conciliariter* facta non « credebantur a multis; ut notavit unus e Patribus, Cardina« lis de Alliaco, in tractatu *de Potestate ecclesiastica*, qui in « Constantiensi editus et, Cardinalium nomine, Cæsari ac Sy« nodo oblatus fuit : *Deliberatio, exclusa deliberatione dicti « collegii, et non facta in communi sessione collatione votorum, « videtur multis non esse censenda deliberatio* CONCILIARITER « *facta*. Suffragium collegii Cardinalium fuisse exclusum « quæsti sunt etiam oratores Regis Galliæ, in protestatione « exhibita Concilio, die 3 martii, anni 1417. » Ergo et ex his circumstantiis *incertum* remansit an quartæ et quintæ sessionis decreta, fuerint *conciliariter* facta. Ergo decreta hæc vim generalis Concilii non habent.

III. Constantienses Patres ad suffragia ferenda distributi sunt in quatuor nationes, easque inæquales : suffragia, non per capita, sed per nationes in publicis sessionibus ita fuerunt computata, ut eadem vis esset suffragii nationis Anglicæ, quæ ex paucissimis Episcopis constabat, ac Italicæ et Gallicæ, quæ ex plurimis : cum jus sit et perpetua Ecclesiæ praxis, ut soli Cardinales et Episcopi in generalibus Conciliis suffragium habeant, in Concilio Constantiensi ad suffragium nationum ferendum omnes indiscriminatim admissi sunt, « et clerici et « laici, etiam matrimonio juncti, nec solum nobiles, sed et « infimæ abjectæque plebis. » (Petrus Ballerinius, loco cit., pag. 83.) Contra hanc inæqualem suffragiorum distributionem protestati sunt oratores Regis Galliæ (vide apud Labbe, tomo 12, col. 1727). Has etiam irregularitates objecit Joannes XXIII, ut patet ex ipsius litteris ad ducem Aurelianensem et Academiam Parisiensem.

Dices : Omnes ejusmodi defectus sanari potuisse per Papam certum, præfatas quartam et quintam sessiones *confirmantem*. Esto : at negamus accessisse unquam hujusmodi confirmatio-

nem. Et fateri coguntur adversarii, saltem *incertum* remansisse, an talis confirmatio accesserit. Etenim,

IV. « Unde ab adversariis petitur atque probabitur expressa et indubitata eorum decretorum Apostolica confirmatio? Hæc procul dubio afferri nequit ex Joanne XXIII, qui, earum sessionum tempore, a Constantiensibus habebatur legitimus Pontifex. Is enim ante tertiam sessionem se subtraxerat a Concilio, nec interfuit memoratis sessionibus, nec earum decreta probavit; et quamdiu liber exstitit, se ab ipsis alienissimum prætulit, ut vel ex indicatis litteris ad ducem Aurelianensem Universitatemque Parisiensem manifestum est. » (P. Ballerinius, loco cit., pag. 83.)

V. « Neque legitima approbatio colligi potest ex Martino V, qui ab eodem Concilio electus, certus et legitimus Pontifex fuit. Si quæ is fecisset pro memoratis decretis, cum tanquam Cardinalis ipsi Synodo adfuit, nihilum adversariis prodesset : neque enim gesta Cardinalis, pontificiæ auctoritatis et confirmationis nomine donari queunt. Quæ vero gessit post promotionem ad Pontificatum, nisi approbationem eorum decretorum expressam, et sanandis defectibus apprime necessariam exhibeant, cum aliis atque aliis causis tribui possint, nihil pariter juvant.

« Porro eum expresse quidem approbasse gesta contra Joannem Wiclefum, Joannem Hus et Hieronymum Pragensem, certum est ex duabus ipsius constitutionibus, datis ad finem Concilii, 8 calendas martii : et in una ipsarum quæ incipit, *in eminenti*, omnes defectus quicumque in condemnandis eorum erroribus fuissent admissi, abs se sanari, et quidquid defuisset suppleri affirmavit. Nullum vero uspiam indicium approbationis eorum decretorum, quæ generale Concilium supra ipsum Summum Pontificem præferunt, sessionibus IV et V.

« Adeo vero eum non approbasse ejusmodi decreta exploratum est, ut ipsa potius certissime reprobaverit, cum in eodem Concilio, Polonis oratoribus sub pœna excommu-

« nicationis prohibuit, ne a Pontifice ad generale Concilium « provocarent; et speciali quoque Bulla declaravit, nullo « unquam casu licere per hujusmodi appellationem se ab « Apostolicis judiciis subducere : quam Bullam, eorum decre- « torum Constantientium *fundamentale prorsus robur destruxisse*, « Joannes Gerson, ipsorum præcipuum promotor et vindex « conquestus est.

« Cum itaque iisdem Polonis petentibus cujusdam libri « condemnationem, Martinus respondit, se *omnia et singula* « *determinata conclusa et decreta*, IN MATERIA FIDEI, *per præsens* « *Concilium* CONCILIARITER, *tenere et inviolabiliter observare* « *velle, ipsaque* SIC CONCILIARITER *facta approbare et ratificare*, « ET NON ALITER NEC ALIO MODO, id de fidei decretis in « Wiclefum, Hus et Hieronymum Pragensem intelligendum « est, quorum approbatio est certa; non vero de decretis « sessionum 4 et 5, quæ ab ipso Pontifice non perinde fue- « runt approbata, sed potius reprobata in radice et *funda-* « *mento*, ut Gerson animadvertit. » (P. Ballerinius, loco cit., pag. 84.)

Præterea dictarum sessionum decreta, non edita sunt tanquam formulæ fidei, modo in dogmaticis definitionibus usitato, sed *per modum Constitutionum Synodalium*, ut in proœmio quintæ sessionis expresse declaratur.

VI. *Objicies :* agnovit Martinus V, in Bulla ad Sigismundum imperatorem, auctoritatem œcumenici Concilii supra Papam. Nam in ea Bulla memorat Joannis XXIII *a Papatu, per definitivam sententiam ejusdem Concilii*, CANONICAM *depositionem*.

Respondetur 1° : in casu quo plures contendunt de Papatu nec potuit Concilium generale certo discernere quis sit legitimus et quinam sint intrusi, est sententia, a multis etiam romanis doctoribus recepta, devolvi tunc ad Concilium potestatem ejusmodi dubios Pontifices deponendi, ut provideatur de Papa certo. Porro in hac sententia, mirum non est agnitum fuisse a Martino V jus Concilii Constantiensis deponendi

Joannem XXIII, *utpote dubium*. At inde nullatenus colligi potest, agnitam a Martino V fuisse ullam auctoritatem Concilii supra Papam, extra hunc casum, seu quando non agitur de Papa dubio. Unde, juxta dictam sententiam, responderi potest : agnovit Martinus V auctoritatem Concilii supra Papam, distinguo : supra Papam dubium, transeat : supra Papam certum, nego.

Respondetur 2° : potuit Martinus V depositionem Joannis XXIII vocare legitimam seu *canonicam*, eo quod Joannes XXIII ferendæ sententiæ synodali sese ultro submittens et postea ratam habens, hoc ipso Papatui ipse cesserit. Unde in aliquo sensu canonica dici potuit depositio hæc, ob cessionem Joannis XXIII, et etiamsi Concilium jus eum deponendi non habuerit (vide Petrum Ballerinium, *de Potestate Summorum Pontificum*, cap. 7, n. 4). Cæterum allegata verba non prolata sunt a Martino V *per modum definitionis*, sed dumtaxat historice seu *narrative ;* quod solum sufficeret ad elidendam objectionis vim. Certum enim est, atque id præsertim sustinent Gallicani, ea quæ in Bullis pontificiis historice proferuntur, vim dogmaticæ definitionis non habere. De quo videri potest Melchior Canus, *de locis theologicis*.

VII. Multo minus contendi potest, constantiensia decreta quartæ et quintæ sessionis, *confirmata* postmodum fuisse ab Eugenio IV ; prout palam facit sæpe laudatus Petrus Ballerinius (loco cit., n. 5).

Ergo revera Gallicanorum comitiorum anni 1682 infausta declaratio, hisce constantiensibus decretis innitendo, arenaceo ac prorsus inani fundamento erroris sui fabricam extruxit.

Propositio V^a. — *Quando in Concilio œcumenico agitur de definiendo dogmate jam antea definito a Papa vel ab aliis Conciliis generalibus, Episcopi ita sunt judices, ut teneantur judicare quod jam definitum est : si agatur de definiendo dogmate nondum definito, ita sunt judices, ut eorum judicium vim definitionis conscientiam obligantis non habeat, nisi per assensum et confirmationem Summi Pontificis : si agatur de condenda disciplinari lege, ita*

sunt judices et legislatores, ut eorum lex non obliget, nisi a Papa fuerit firmata : et ex veritate horum trium assertorum nequaquam sequitur eos non esse veros judices.

1° « Si sermo sit de fidei definitione a Summo Pontifice « edita ante convocationem aut definitionem generalis Concilii..., decisio manifesta est. Cum enim ea Pontificis definitio per se ad unitatem cogat omnes fideles et universam « Ecclesiam..., coget etiam ad assensum et unitatem omnes « generalis Concilii Patres...

« Atqui, inquies, si Patres in Conciliis etiam generalibus « sequi debent definitionem fidei, quam antea Romanus « Pontifex edidisset, quomodo ibidem erunt veri judices, uti « eos esse nemo inficiari potest? — Quidni? Num judicis « ratio in libertate dissentiendi collocanda est, ita ut cum « obligatione assentiendi stare non possit? Nonne Episcopi in « Chalcedonensi judices fuerunt, tametsi Leonis definitioni « in Eutichis errorem antea editæ, et ab Episcopis tum « Orientis tum Occidentis subscriptæ, et ita Catholicæ Ecclesiæ non solum tacito sed etiam expresso consensu approbatæ, ex nostrorum quoque adversariorum sententia, assentiri opus esset? Nonne judices itidem egerunt illi totius « orbis Episcopi, qui post Chalcedonensem definitionem, « utique peremptoriam, Leone imperatore postulante, novum « judicium protulere, litteris quæ in *Codice encyclico* continentur? Nonne judices haud dubie fuerunt Apostoli et « seniores in Hierosolymitano Concilio, cum omnes in sancti « Petri sententiam transierunt, ut notavit sanctus Hieronymus, etiamsi idem sanctus Petrus Spiritu Sancto certissime « afflatus, controversiam ante omnes definierit, ea utique « sententia, contra quam licite nemo catholicus poterat reluctari? Nonne (ut alia omittam) in ipso Tridentino Concilio « veri judices fuerunt Episcopi quoad ea quoque fidei decreta, « quibus damnarunt hæreses a novatoribus repetitas, et « pluries etiam antea damnatas, etsi nemo de justa illarum « condemnatione posset ambigere? Si adversarii non negent,

« Episcopos in hisce circumstantiis fuisse veros judices, licet
« de definitis antea non possent dubitare vel ab eis dissentire,
« non ergo judicii proprie dicti in materia fidei essentiale
« est, ita posse Episcopos in utramlibet partem sententiam
« ferre ; ut si id quandoque non possint licite, veri judices
« nec sint, nec haberi queant. » (Petrus Ballerinius, *de Potestate Summorum Pontificum*, cap. 2.)

Clare omnino explicat Fénelon (instructione pastorali 20 aprilis 1715) quomodo, in dicto casu, Episcopi sint veri judices, quamvis dissentiendi facultatem non habeant : *Judicare post judicium Pontificis est suum judicium cum Pontificio conjungere. Hac ratione Episcopi olim subscripserunt ipsorum Conciliorum generalium decretis. Eorum submissio erat judicium, et eorum judicium erat submissio. Subscribentes sese submittebant simul et confirmabant decisionem Synodi.*

2° Quando in Concilio œcumenico agitur de definiendo dogmate nondum definito, quænam sint Episcoporum partes, sic intelligendum est :

Primo, ita sunt judices tunc Episcopi, ut in inquirendo et discutiendo, seu antequam proferatur definitio, dissentire possint a Summo Pontifice. Estque hujusmodi dissensio, non definitionis et fidei, sed *opinionis*. Cum nempe tunc, ex hypothesi, Papa meram opinionem exprimat, et nondum definiat, libertatem dissentiendi Patribus, imo et omnibus fidelibus relinquit.

Secundo, quando in Concilio œcumenico Episcopi definiunt dogma nondum definitum, ita sunt judices, ut quisque ipsorum quod sibi verum videtur pronuntiare possit et debeat : sed ipsorum definitio vim obligandi non habet, nisi quatenus est simul definitio Summi Pontificis, seu nisi accedat Summi Pontificis assensus et confirmatio. Secus enim non foret definitio Concilii œcumenici : nam universa Ecclesia non repræsentatur per ullam quantamlibet Episcoporum congregationem, a Summo Pontifice in fide disjunctam et dissentientem; sicut nec corpus integrum esse potest absque capite. Præterea,

Ecclesiæ soliditatem fundavit Christus super *Petram :* et ideo Petro et ejus successoribus commisit, ut pasceret agnos et oves, et confirmaret fratres suos. Unde nulla dogmatica definitio firma seu infallibilis esse potest, nisi super hanc Petram nitatur; id est, nisi eam simul pronuntiet Petrus. Hinc si contingere posset (quod contingere non posse, seu esse impossibile mox dicemus) ut major pars Episcoporum in Concilio œcumenico aliter ac Summus Pontifex definiret, definitio hæc nullum fidelem obligaret ad credendum. E contra autem opposita definitio a Papa pronuntiata tenenda esset ab omnibus, atque ab ipsismet etiam Concilii Patribus.

Tertio, contingere nequit, ut in Concilio œcumenico majoris partis Episcoporum definitio a definitione Summi Pontificis discordet. Nimirum, « in definiendo nunquam factum est, et « nunquam fiet ut Concilii generalis Patres aliter circa fidem « definiant, aliter Papa... Dixi, *nunquam fiet,* in generali scilicet Synodo *libera,* ut excludantur pseudo-synodi in qui« bus fraus seu vis et metus dominetur, ut de Ariminensi et « pseudo-Ephesina diximus, quæ generalis Concilii nomen « et vim nequeunt obtinere. Addidi, *nec esse potest* : sicut « enim fieri nequit ut Petri ac successorum ejus fides vel « momento desinat esse illa *Petra* (cui bono unitatis ex Christi « institutione, tota Ecclesia catholica seu totius Ecclesiæ ca« tholicæ fides superstructa, in unitate ejusdem fidei debet « consistere); ita fieri nequit, ut eadem Ecclesia et Episcopi « catholici, saltem plerique, deciscant ab ea Petra, et ab « unitate fidei Petri ac successorum ejus dissentiant, sive in « Concilio, sive extra Concilium; cum institutionem Christi, « nec Ecclesia, nec Episcopi catholicæ Ecclesiæ infringere vel « mutare aut deserere unquam possint. Semper itaque gene« ralis ac liberi Concilii Patres, qui una cum capite legitime « adunati universam Ecclesiam repræsentant, si non omnes, « saltem plerique, in definiendo, conspirabunt cum defini« tione Summi Pontificis; et si qui pauci dissentiant, horum « judicium extra Petram et centrum catholicæ unitatis, imo

« contrarium unitali fidei, nullo jure coactivo gauderet, juris-« dictione nulla. » (Ballerinius, *de Potestate Summorum Pontificum,* cap. 2, n. 7.) Ergo in definiendo aliquo dogmate nondum definito, Episcopi sunt veri judices; et tamen contingere nequit, ut major eorum pars, quamvis quod verum sibi videtur libere judicans, aliter quam Papa definiat. Minor autem pars quæ aliter pronuntiavit, tenetur statim post confirmatam a Papa majoris partis definitionem, suum judicium deserere, et confirmatæ a Papa definitioni adhærere.

3° Tandem si agatur in Concilio œcumenico de condenda disciplinari lege, vim obligandi non habebit lex, si Papa eam rejiciat vel non confirmet (quod ad tractatum *de Papa* probandum remittimus). Nihilominus, dum, non dissentiente Papa, deliberant Patres de disciplina, et legem edicunt, judicum et legislatorum personam vere et legitime agunt; quamvis, ut dictum est, vim oblgandi non sortiatur lex, nisi ex Pontificia confirmatione.

Propositio VI^a. — *Quidquid potestatis habent Episcopi collective sumpti, atque in Concilio etiam œcumenico, a Papa recipiunt.* — « Speciem quamdam difficultatis præ se fert (ait Zac-« caria) objectio hæc : si Episcopi potestatem non habeant a « Deo, non poterunt in Concilio definire ; et quod definive-« rint, non erit de fide. Sed bene ad id respondit Lainez : « sufficere ut eam habeant *a Papa :* et inde esse quod legiti-« mum non sit Concilium nisi concurrat Papa ; et Concilii « decisiones non esse a Deo, nisi in quantum sunt a Papa, « cui Spiritus Sanctus assistit. » (*Antifebronio,* tomo 2, dissert. 2, cap. 6, sub finem, pag. 146, edit. Cesenæ 1770.)

Sequitur autem præsens conclusio ex præcedentibus. Probatum nempe fuit, Episcoporum collectioni, quatenus a Papa sejunctæ, nec *supremam,* nec *ullam* competere jurisdictionem quoad universam Ecclesiam : eorum scilicet decreta irrita esse, nisi accedat Summi Pontificis confirmatio. Ergo decreta illa per se vim non habent, sed per Pontificiam confirmationem : ergo quidquid potestatis habent Episcopi, etiam in Con-

cilio œcumenico, eis provenit a Christi in terris Vicario Romano Pontifice. Excipiendus tantum casus *Papæ dubii*, eo sensu quo supra dictum est.

CAPUT IV.

QUOMODO INTELLIGENDA SIT *unitas* EPISCOPATUS, DE QUA SANCTI PATRES, CYPRIANUS PRÆSERTIM, FREQUENTER AGUNT.

Adducemus 1° varios sancti Cypriani textus; 2° expendemus quomodo episcopatum et ejus unitatem intellexerit; 3° in quo stet episcopatus unitas ostendemus.

§ I.

Adducuntur varii sancti Cypriani textus.

« Dominus noster, cujus præcepta et monita observare « debemus, Episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem dis- « ponens, in evangelio loquitur et dicit Petro : *Ego tibi dico,* « *quia tu es Petrus....* Inde per temporum et successionum « vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut « Ecclesia super Episcopos constituatur. » (Epistola 27 editionis Baluzii, Parisiis 1726.)

« Super quem (*loquitur de Petro*) fundamenta Ecclesiæ col- « locata sunt. » (Ep. 75, p. 148, edit. Baluzii, Parisiis 1726.)

« Petrus tamen, super quem ædificata ab eodem Domino « fuerat Ecclesia. » (Epist. 55, pag. 83, dictæ editionis.)

« Quando Ecclesia, quæ catholica et una est, scissa non sit « neque divisa, sed sit utique connexa et cohærentium sibi « invicem sacerdotum glutino copulata. » (Epist. 59, p. 123 et 124, dictæ editionis.)

« Ecclesiam, quæ una est, et super unum, qui et claves « ejus accepit, Domini voce fundata est. » (Epist. 73, p. 132, dictæ editionis.)

« Una Ecclesia, a Christo Domino super Petrum origine

« unitatis et ratione fundata. » (Epist. 70, pag. 125, dictæ editionis.)

« Mater, origo et radix..., ipsa prima et una super Petrum « Domini voce fundata. » (Epistola ad Fortunatum, pag. 270, dictæ editionis.)

« Navigare audent, et ad Petri cathedram atque Ecclesiam « principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schi- « smaticis et prophanis litteras ferre; nec cogitare eos esse « Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, « ad quos perfidia habere non possit accessum. » (Epistola 55, pag. 86, dictæ editionis Baluzii, Parisiis 1726.)

« Cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in « multa membra divisa; item episcopatus unus, Episcoporum « multorum concordi numerositate diffusus. » (Epist. 52, pag. 73, dictæ editionis.)

« Cum... singulis pastoribus portio gregis sit adscripta. » (Epist. 55, pag. 86, dictæ editionis.)

« Etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pasci- « mus, et oves universas... colligere et fovere debemus; nec « pati supplices et dolentes fratres nostros crudeliter despici, « et superba quorumdam præsumptione calcari. » (Epist. 77, pag. 116, dictæ editionis.)

Præcipuus autem textus, quem objiciunt Protestantes, Jansenistæ, et Gallicani, et suo quique systemati favere contendunt, habetur in libro *de Unitate Ecclesiæ*. Eum integrum citabimus, juxta editionem Migne (pag. 498), sublineando voces nonnullas, quas editores protestantes suppresserunt, ex eo quod in quibusdam manuscriptis non reperiantur. In editione citata Baluzii, reperitur pagina 194. « Loquitur Dominus « ad Petrum : Ego tibi dico, quia tu es Petrus... Et iterum « eidem post resurrectionem suam dicit : Pasce oves meas. « Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, *et illi pascendas « mandat oves suas*. Et quamvis Apostolis omnibus *post resur- « rectionem suam* parem potestatem tribuat et dicat : Sicut « misit me...; tamen ut unitatem manifestaret, unam cathe-

« dram constituit, unitatis ejusdem originem ab uno incipi-
« entem sua anctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri
« Apostoli quod fuit Petrns, pari consortio præditi et honoris
« et potestatis : sed exordium ab unitate proficiscitur, *et*
« *Primatus Petro datur*, ut una Christi Ecclesia *et cathedra una*
« monstretnr. Et pastores sunt omnes, et grex unus osten-
« ditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pasca-
« tur, ut Ecclesia Christi una monstretnr... Hanc Ecclesiæ
« nnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ
« renititur et resistit, qui cathedram Petri, *super quem fundata*
« *est Ecclesia,* deserit, in Ecclesia se esse confidit?.... Quam
« unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime
« Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut episcopatum quo-
« que ipsnm unum atque indivisum probemus. Nemo frater-
« nitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præ-
« varicatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a
« singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est,
« quæ in mnltitudinem latius incremento fœcunditatis exten-
« ditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum ; et
« rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum;
« et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, nnmerositas
« licet diffusa videatur exnndantis copiæ largitate, unitas
« tamen servatur in origine. »

§ II.

Quænam fuerit S. Cypriani mens de episcopatu et ejus unitate.

Inter citata S. Cypriani verba, in disceptationem præcipue veniunt ista : *Hoc erant cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Ex iis colligendum dictitant Protestantes, nullum Romano Pontifici competere Primatum. Iis nituntur Febronius et Jansenistæ, ut honoris dnmtaxat primatnm Papæ tribuant, jurisdictionis denegent. Et tandem Gallicani, quamquam jurisdictionis etiam primatum

Papæ tribuunt, eadem Cypriani dicta urgent, ad adstruendum suum, de generalis Concilii supra Papam auctoritate, figmentum. Quos omnes veram Cypriani mentem et genuinum ejus sensum nequaquam attigisse, probatum reperies apud Bianchi (*Potesta e politia della chiesa*, tomo 3, lib. 1, § 13 et 14); apud Ballerini (*de Primatu*, cap. 13, § 3); apud Zaccariam (*Antifebronius vindicatus*, dissert. 3, cap. 3, n. 6). Quibus prænotatis, sit

Propositio Iª. — *S. Cyprianus non docuit Petro æquales fuisse alios Apostolos, aut Romano Pontifici cæteros Episcopos.* — Nam non dixit solummodo, Petrum et alios Apostolos « pari consortio honoris et potestatis » præditos fuisse ; at statim addidit, *sed exordium ab unitate proficiscitur, et Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur.* Porro hæc secunda pars phrasis, palam enuntiat Petrum aliis Apostolis superiorem constitutum fuisse. Unde sensus obvius est : *Superior Apostolis constitutus est Petrus : in cæteris æquales Petro fuerunt Apostoli.* Et revera æquales Petro fuerunt alii Apostoli tum potestate ordinis, tum potestate patrandi miracula, tum potestate prædicandi evangelium usque ad fines terræ, tum potestate condendi scripturas canonicas : in hoc solo differebant, quod essent Petro tanquam superiori seu Primati suo subjecti. Et sensum hunc confirmat Cyprianus, rationem addendo, ob quam *exordium ab unitate profectum sit :* ratio illa fuit, *ut una Christi Ecclesia monstretur.* Agitur procul dubio (neque id negant adversarii) de unitate regiminis : porro non potuit Christus in Apostolis monstrare *unam* Ecclesiam *unitate regiminis*, nisi stabiliendo unum *superiorem*, cui alii subjecti fuerint. Si enim Christus Apostolos instituerit Petro æquales sub omni respectu, et independentes, tum a Petro, tum ab invicem, non monstravit unitatem regiminis in Ecclesia, sed anarchiam plane purissimam. Adversarios exemplo convincemus : fingamus ipsis commissam curam, ut gubernii formam in aliqua regione (verbi gratia, in Gallia) constituant. Si constituerent in singulis provinciis singulos duces, ita ut nullus

foret cui alii subjicerentur, num dicere possent institutam a se fuisse *unitatem regiminis ?* Num dicere auderent hoc modo a se determinatam fuisse gubernii formam, ut instituti in Gallia regiminis *unitatem monstrarent ?* Ab hac tanta insania alienus profecto est Cypriani textus : nec in eo hunc sensum videre potest nisi qui volens cœcutit.

Propositio IIª. — *Primatui jurisdictionis Romani Pontificis super omnes Episcopos, sive singulos, sive collective sumptos, non adversatur dictum sancti Cypriani :* EPISCOPATUS UNUS EST, CUJUS A SINGULIS IN SOLIDUM PARS TENETUR. — I. Dicto primatui non adversatur quod Cyprianus dixerit *episcopatum esse unum* et indivisum. Nam, semel admissa in Romano Pontifice plena potestate agnos et oves, universam Ecclesiam et ipsosmet Episcopos regendi, pascendi et gubernandi, optime intelligitur *episcopatus unitas.* Tunc quippe, cum singuli Episcopi a Romano Pontifice potestatem in suas respective diœceses recipiant, et ab eo pendeant, adest perfecta *unitas* in potestate regiminis. Consequenter adest perfecta unitas *in episcopatu,* qualem ibi intelligit Cyprianus : intelligit quippe ibi episcopatum, quatenus corpus morale, in quo resideat totius Ecclesiæ regendæ potestas. Si ergo admittatur a capite dimanare et membris communicari quidquid habent potestatis, optime intelligitur episcopatus unitas. Ergo 1° difficultatem facere non possunt verba hæc Cypriani, *episcopatus unus est.*

II. Nec adversarios juvat quod Cyprianus dixerit, *cujus a singulis pars tenetur.* Nam possideri a singulis Episcopis, canonice institutis, aliquam *partem episcopatus,* id est, *partem* illius potestatis regendi et pascendi, in cujus exercitio stat proprium Episcoporum munus, negat nullus. Suam quisque Episcopus diœcesim gubernandi potestatem habet : sicque *episcopatus,* seu totius gubernativæ potestatis quæ in Ecclesia est, *partem* vere possidet.

III. Tota ergo difficultas in hoc stat, quod adjecerit Cyprianus, *in solidum.* Sed hoc difficultatis monstrum tantisper expendamus. Quæram primum ab adversariis, quomodo ipsi

intelligant istud *in solidum*. Dicunt intelligendum esse de *æqualitate* potestatis in unoquoque Episcopo; et ex illa æqualitate hocce mirabile consectarium eruunt : competere ex institutione Christi uuicuique Episcopo jurisdictionem *universalem* in totum mundum, et *illimitatam* in sua diœcesi (ita Febronius, Pereira et similes : vide apud Zaccariam, *Antifebronio*, tomo 2, dissert. 2, cap. 7, n. 4 et 9, pag. 156 et 168, edit. Cesenæ, 1770; *Antifebronius vindicatus*, diss. 3, cap. 3, n. 6 et seq.). Ast hæc eorum interpretatio admitti nequit. Nam,

1° Quod verba hæc, *singuli Episcopi partem episcopatus teneant in solidum*, idem significent ac ista, *singuli Episcopi habent æqualem, universalem, et in sua respective diœcesi illimitatam potestatem*, saltem clarum non est. Haud exiguo sane mentis acumine opus fuit ad expiscandum hunc sensum. Et notetur non dictum fuisse a Cypriano *episcopatum*, sed *partem* episcopatus a singulis Episcopis teneri *in solidum*. Quod si reponant adversarii locum esse aliquatenus intellectu difficilem ac subobscurum, libenter dicemus, transeat.

2° Percontamur ab adversariis quomodo intelligant illam *universalem* uniuscujusque Episcopi jurisdictionem? An in stricto sensu? Sed tunc unusquisque Episcopus *pro diœcesi* habebit totum mundum; et cum aliunde potestatem *in sua diœcesi* habeat *illimitatam*, unusquisque illimitatam habebit in toto mundo. Sed quando plures habent eamdem jurisdictionem in eosdem subditos, uniuscujusque potestas limitatur per potestatem aliorum; ergo unusquisque habebit simul et non habebit potestatem illimitatam in totum mundum. An intelligunt de jurisdictione improprie dicta, id est, eo sensu quod quisque Episcopus possit alios Episcopos caritative admonere, eis juvamen ferre et similia? Sed hoc est officium caritatis, nihil commune habens cum potestate regiminis.

3° Quomodo adversarios non puduit Cypriano hanc doctrinam tribuere, institutam a Christo Ecclesiam fuisse, ita ut singulis Episcopis universalem Ecclesiam gubernandi æqualis simul potestas competeret? Qua sane institutione nihil magis

confusioni et anarchiæ obnoxium, insanius nihil excogitari potest. — Ast, inquiunt, loquimur, attento solo jure *divino* : nam episcopale corpus potuit per leges *ecclesiasticas*, communi consensu latas, Episcopis præscribere, ut unusquisque extra diœcesis suæ limites jurisdictionem non exerceat : et sic revera factum est. — Sed dico ego : non potuit Christus non velle seu non præcipere, ut esset limitata uniuscujusque Episcopi jurisdictio, et alicui superiori auctoritati subjecta ; quia non potuit velle ut esset Ecclesia sua confusionis et anarchiæ theatrum. Quod autem voluit et præcepit Christus *divini* utique juris est.

4° Dicta adversariorum interpretatio, expressæ sancti Cypriani doctrinæ repugnat. Nam, hoc ipso, de quo agitur, textu, dicit a singulis Episcopis teneri, non *universalem* episcopatum, sed *partem* episcopatus. Et in supra citata epistola 55, sic loquitur : « Cum singulis pastoribus *portio gregis* sit « adscripta. »

Unde absona prorsus est adversariorum interpretatio, juxta quam intelligi volunt verba hæc, *in solidum*. Quomodo autem eas voces interpretentur doctores catholici, breviter subjungimus. Quod autem plures interpretationes suppeditent, in causa est ipsius locutionis aliqualis obscuritas. At necesse non est certo probare hunc vel illum esse verum sensum : sufficit tales esse interpretationes, ut nequaquam repugnent, nec falsæ probari possint.

1° Interpretatio Ballerinii. — *In solidum* tenetur ab unoquoque Episcopo, quatenus ab unoquoque regitur suus particularis grex, qui est pars *Ecclesiæ totius* (*de Primatu*, c. 13). Quod sic etiam exprimi potest : *In solidum*, id est, ita ut *universalis grex regatur*, dum unusquisque suum particularem regit.

2° Interpretatio Zaccariæ. — *In solidum*, id est, ita ut regat propriam diœcesim cum *vera jurisdictione* : cæteris autem diœcesibus providere etiam debeat *ex caritate*, quæ sive precibus, sive epistolis, sive libellis, sive Conciliorum celebra-

tione eis opituletur (*Antifebronius vindicatus*, dissert. 3, cap. 3, n. 8).

3° Interpretatio Charlasii (1). — Juxta illam interpretationem, locutio illa *possidere in solidum*, in stylo Cypriani, nequaquam idem significaret ac ista, *possidere in communi*, sed præcise contrarium: veluti si Gallice locutioni *posséder en commun*, opponeretur ista *posséder en seul* (in solidum). Unde sensus verborum Cypriani esset : teneri a quolibet Episcopo *partem episcopatus*, non *in communi* cum aliis, sed *in solidum*, seu ita ut *solus* in sua particulari diœcesi Episcopus potestatem regiminis habeat, sitque ipse unicus pastor, nec sint plures ejusdem diœcesis pastores. Hanc ego interpretationem sat fundatam existimo. Quippe quæ S. Cypriani doctrinæ optimè quadrat. Totus enim est Cyprianus ut ostendat, non posse stare aliquam ecclesiam particularem, nisi ex uno et per unum cui adhæreat Episcopum. Quomodo *una* sit quælibet Ecclesia et in quo stet necessaria illa unitas, explicat per hanc cujuslibet veræ Ecclesiæ definitionem : *plebs sacerdoti coadunata, et pastori suo grex adhærens*. Alibi dicit, esse Episcopum in ecclesia, et ecclesiam in Episcopo. Item, constituere *alium* Episcopum, esse constituere *aliam* ecclesiam. His et similibus confundebat hæreticos; qui in eadem civitate et diœcesi alium Episcopum et aliam cathedram inducentes, hoc ipso scissæ *unitatis* reos sese prodebant. Hoc ergo, quod toties alias inculcaverat, etiam in præsenti textu iterat Cyprianus dicendo, ab unoquoque Episcopo teneri *partem* episcopatus seu portionem universalis gregis, non *in communi* cum aliis, sed *in solidum*, id est, quatenus uno et unico et solo hujus particularis gregis pastore.

4° Alia interpretatio. — Liceat et mihi hujusce locutionis *in solidum* aliam interpretationem suppeditare. Apud Ducange, verbo *solidatum*, sic legere est : « *Ex solido possidere*, oppo-« nitur *ex beneficio*, apud Willelmum Malmesburiensem (l. 1,

(1) Vide apud Zaccariam (*Antifebronius vind.*, loco citato).

« *de Gestis Pontificum*): *Urbem* (Cantuariam) *quam Archiepisco-* « *pus Lanfrancus habuerat ex beneficio, isti* (Anselmo) *concessi* « *ex solido*, idest, jure proprietatis et allodii possidendam. « Hinc *solide habere*, est jure proprietatis et allodii possidere, « in charta anni 1116 : *Altera pars, scilicet monachi S. Victo-* « *ris, habebat aliam medictatem solide et libere, quia prædictus* « *honor totus est alodium S. Victoris.* » Ibidem citantur verba hæc Aurelianensis Episcopi ad regem Theudebertum : « Præ- « tereo generis tui stemma sydereum : taceo et istud, quod *unicus* sceptris, multiplex populis ;... *solidus* regno, diffusus imperio. »

Jam vero quid probibet verba Cypriani *in solidum* in eodem sensu intelligere ; ac ista, *ex solido*, vel *solide*, id est, *jure proprietatis*, ut dicit Ducange ? Unde tandem verba hæc *in solidum* idem sonant ac *jure proprio*. Dixit nempe Cyprianus, a singulis Episcopis teneri *partem* episcopatus *jure proprio*. Hoc et nos dicimus, quamlibet diœcesim a suo Episcopo gubernari *proprio jure ac nomine*, non autem tanquam alterius Vicario. En ergo quomodo ruat tota illa Jansenistarum fabrica, tanto molimine super voces illas *in solidum* extructa.

Jam vero quomodo episcopatus unitatem S. Cyprianus intellexerit, facile perspiciet lector, vel ex solis collectis textibus. Docet 1° *unum* esse episcopatum in unaquaque particulari ecclesia, per *unicitatem* Episcopi qui eam regat jure proprio, tanquam proprius et *unicus* ejus pastor. Unde et ecclesiam particularem definit : *plebs sacerdoti coadunata, et pastori suo grex adhærens*. 2° Docet *unum* esse episcopatum in tota Ecclesia, ex eo quod Episcopi omnes catholici glutino invicem cohæreant, et in *unum* corpus morale coeant. Id perpetuo ac apertissime in scriptis suis inculcat. 3° Hanc totius episcopalis corporis *unitatem* repetit ex primatu quo S. Petrus donatus est. Dicit nempe a Christo Domino fundatam esse Ecclesiam *super Petrum, origine et ratione unitatis*, id est, ob hanc rationem ut *unitas* in episcopali corpore, atque adeo in tota Ecclesia *inciperet et permaneret*. Item de Ecclesia Romana loquens

expresse dicit : *unde unitas sacerdotalis exorta est;* et eamdem vocat Ecclesiam *principalem.* 4° Dictum primatum seu dictam *principalitatem* Romanæ Sedis non intellexit tanquam merum *signum* illius *unitatis* quæ in corpore episcopali et in tota Ecclesia catholica exstitura erat, sed tanquam *causam efficientem* hujusce unitatis. Equidem dicit, super unum fundatam fuisse Ecclesiam, ut ejusdem Ecclesiæ unitas *monstraretur.* Qua voce *monstraretur* merum *signum* unitatis exprimi contendunt Protestantes : sed ex eo quod Cyprianus dixerit Petri prærogativam esse signum unitatis, an negavit esse simul *causam efficientem ?* Ecclesiæ Romanæ primatus utrumque simul est, signum scilicet et causa unitatis. Quid profuisset dari a Christo signum unitatis, nisi simul unitatis perpetuo productivam causam instituisset? Certum omnino est agnitam fuisse a Cypriano Romanæ Ecclesiæ potestatem super alias omnes. Quando Africæ hæretici recurrerunt ad *Petri cathedram atque Ecclesiam principalem,* an dixit nullum huic Ecclesiæ jus competere aliorum Episcoporum subditos judicandi? Nequaquam : sed dixit eos inaniter id tentare ; quia cum ad Romanam Ecclesiam *perfidia habere non possit accessum,* nihil aliud inde illis hæreticis sperandum erat quam condemnatio. De facto nullum aliud efficax medium in Ecclesia exstitit unquam retinendæ inter Episcopos unitatis, quam illius Sedis potestas, cui dictum est in persona Petri : *Pasce oves, confirma fratres tuos.* Intellexit ergo Cyprianus Romani Pontificis privilegium seu auctoritatem, tanquam efficientem unitatis in tota Ecclesia causam. 5° Tandem intellexit Cyprianus *unitatem episcopatus,* in hoc sensu quod potestas Episcoporum proprias ecclesias regendi, a Petro seu Romano Episcopo dimanaret, sicut ramorum a radice, rivorum a fonte, radiorum a sole ; his enim similitudinibus utitur. Imo et altius (sicut et alii Patres) ascendens, ad instar Trinitatis hancce episcopatus unitatem pronuntiavit (1). Quod sic cum Bolgenio intelligi potest : si-

(1) Vide textus apud Bolgeni (l'*Episcopato*, parte 1, cap. 6).

cut in Trinitate unius naturæ divinæ *Principium* Pater, et Deitas in Filio a Patre, et in Spiritu Sancto a Patre et Filio; ita pastoralis potestas in singulis Episcopis a Petro, in Petro a Christo, in Christo a Deo. Plures Episcopi, episcopatus unus; quia una pastoralis potestas, pluribus ab uno communicata.

§ III.

In quo stet episcopatus unitas.

Notatu dignum est, hujusce unitatis exemplar ab antiquis Patribus in ipsa divina Trinitate indigitari. Inter alios (quos loco citato adducit Bolgeni) textus, sic habet Symmachus Papa (apud Labbe, t. 4, col. 1291) : *Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos Antistites sacerdotium*. De quo postquam disseruit Bolgenius, sic concludit, quomodo dicta unitas intelligenda sit : « Unitas ergo « Ecclesiæ et episcopatus efficitur per unitatem fontis, e quo « tota regiminis potestas defluit. Et eadem unitas quatenus « *visibilis*, efficitur per unitatem illius fontis quatenus pariter « *visibilis*. Igitur ut habeatur episcopatus *unitas visibilis*, « recurratur necesse est ad caput Ecclesiæ visibile; debet- « que necessario hoc visibile caput haberi et agnosci tanquam « origo, principium et fons unicus missionis cujuslibet, et « potestatis legitimæ, ad spiritualc regimen pertinentis. Illud « autem caput visibile, non aliud est quam Petrus, et ejus « in Romana Sede successores. Quæ summi momenti doctri- « na, ingratissima quidem est hæreticis, et deceptis nimium « multis sæculi nostri scriptoribus; at docilibus Ecclesiæ « filiis pergratissima. »

Ostendit postea Bolgenius, ad *unitatem* episcopatus non sufficere, ut singulorum Episcoporum potestas, etsi, non a Papa, sed a Deo immediate accepta, Romani Pontificis auctoritati subjiciatur; sed necesse est ut a Papa derivet et ab ipso tanquam fonte ad Episcopos tota quanta traducatur. Tum sic prosequitur :

« Hanc tanti momenti veritatem ab ipsis sui exordiis Eccle-
« sia docuerat,ac per universalem Patrum traditionem trans-
« missam, fideliter atque unanimiter scholastici theologi
« retinuerant. In ingenti illa funestissimi schismatis perturba-
« tione, Pisani et Constantiensis Concilii tempore, primum
« contigit, ut scriptores aliquot pauci, zelum *non secundum*
« *scientiam* præ se ferentes, et partium studiis abrepti, a ge-
« nuina illa circa unitatem episcopatus et ecclesiasticum re-
« gimen notione defecerint. Orta tunc inaudita hucusque
« opinio de Concilio supra Papam auctoritate. Collata ad in-
« vicem fuit Summi Pontificis ex una parte, et reliqui corpo-
« ris episcopalis ex altera, potestas : et hæc illi præposita...
« Ast pro ea benignissima providentia, qua veræ doctrinæ
« depositum in sua Ecclesia semper conservat, non permisit
« Deus a superseminata zizania bonum granum suffocari.
« Novella opinatio de Concilii supra Papam auctoritate, nec-
« non ea quæ Romanum Pontificem, tanquam unicum totius
« Episcopalis potestatis fontem abjicit, sibi semper adversam
« habebit multo majorem doctorum partem ; a qua con-
« stanter æque ac invicte oppugnabitur. » (L'*Episcopato,* p. 1,
cap. 6.)



PARS II

DE

NORMA LEGITIMA EPISCOPOS CONSTITUENDI.



Dicemus 1° de veteri disciplina juxta quam olim Episcopi ab aliis quam a Romano Pontifice eligebantur et confirmabantur : 2° exponemus formam Episcopos constituendi juxta præsentem disciplinam, id est, per provisionem in Consistorio : 3° agemus de Episcoporum consecratione : 4° quæstionem expendemus, an nominati a principe, juxta concordata, diœcesim administrare valeant tanquam vicarii capitulares; ubi de intrusione Cardinalis Maury in diœcesi parisiensi : 5° de requisitis qualitatibus, ut possit quis ad episcopatum promoveri : 6° an detur obligatio digniores nominandi, præsentandi et eligendi, an vero licitum sit nominare, præsentare ac eligere dignos, relictis dignioribus : 7° num ii qui episcopatum ambiunt peccent, et episcopatu indigni sint : 8° an possint duo Episcopi in eadem diœcesi constitui, aut committi plures diœceses uni Episcopo.

CAPUT I.

DE VETERI DISCIPLINA, JUXTA QUAM AB ALIIS QUAM A ROMANO PONTIFICE ELIGEBANTUR ET CONFIRMABANTUR EPISCOPI.

Prænotanda. — Ut intelligat lector quanti momenti sit genuinam priscorum temporum de Episcoporum electione ac confirmatione disciplinam apprime perspectam habere, atque inter errorum et mendaciorum sylvam, quibus ab hæterodoxis scriptoribus quæstio hæc obsita fuit, veritatem secernere, prænotabimus quale fuerit hac de re schismaticum Febronii systema, quod e protestantico penu dehaustum, venenata Jansenistarum et Gallicanismi parlamentarii placita exprimebat, et ad quod cæteroquin ipse etiam Gallicanismus moderatus seu Bossuetianus logice aliquatenus deducit. Item prænotabimus quomodo pluries in Galliis ex hoc pestifero systemate schismatis periculum renovatum fuerit.

1° Anno 1763, sub ementito Febronii nomine, edidit Episcopus de Hontheim, Trevirensis Archiepiscopi coadjutor, præcipuum suum opus, sic inscriptum : *Justini Febronii jurisconsulti, de statu præsenti Ecclesiæ et legitima potestate Romani Pontificis, ad reuniendos dissidentes in religione Christianos.* Ibi sustinet, Romani Pontificis potestatem subjici canonibus, seu disciplinæ per Concilia æcumenica universalemque consuetudinem constitutæ. Antiquioribus porro temporibus, factas fuisse Episcoporum electiones et confirmationes independenter a Romano Pontifice, et absque ullo ipsius interventu. Sæculo nono, favente ignorantia, et subdole sparsis Isidori Mercatoris falsis decretalibus, cœpisse Romanam curiam, tum alias multas Episcoporum et Conciliorum prærogativas, tum et illud prætensum jus Antistitum electiones et confirmationes sibi reservandi, indebite usurpare. Hinc (tomo 2, pag. 601) suadet ut jam non agnoscatur jus istud Summi Pontificis confirmandi Episcopos, utque in hoc obedientia ei denegetur. Hortatur

autem ut hoc fiat cum debita erga Romanum Pontificem reverentia : « Tales autem prohibitiones vel negationes (inquit) « non impediunt quominus Papa agnoscatur tanquam caput « Ecclesiæ, nosque dispositi simus ad ei qua tali exhibendum « omne obsequium, præstandamque obedientiam, quam ab « omnibus fidelibus tanquam pater communis jure exigere « valet. Hoc operabitur talis obedientiæ substractio, ut aut « pro futuro neget aut saltem suspendat usum et exercitium « certorum jurium, *in quorum possessione Summi Pontifices « nonnisi a paucis sæculis existunt, quæque religioni et puriori « disciplinæ si non officiunt, saltem nihil prosunt.* Quare prin- « ceps, dum justa ex causa Papæ talem negationem obedi- « entiæ denuntiat, nihilominus declarabit, quod se ab ejusdem « et Sanctæ Sedis communione non separet, quod in Romano « Pontifice successorem divi Petri et primum Ecclesiæ Epi- « scopum revereatur, quod in eo nunquam non observaturus « sit Primatum, quem D. N. Jesus Christus Petro contulit, « quique ab hoc ad ejus successores transiit, quod denique ei, quodcumque demum evenerit in vinculo charitatis constanter adhæsurus sit : sic præstabit suum Petro privi- « legium. » (Pag. 595.)

Ne tamen ex hac agendi ratione oriatur pusillorum scandalum, ita subjungit : « Ut principis adversus Romanam « curiam procedendi ratio in sacris canonibus fundata, omni « scandalo etiam pharisaïco vacet, juvabit subinde universi- « tates consuli, harumque responsa in publicum edi. » (Pag. 598.)

Confirmationem et Bullas nominatis ad episcopatus denegante Papa, quid agendum sit aperit Febronius in hunc modum : « Papæ minime concedi posse aut debere, ut propter « opiniones suæ curiæ proprias et singulares, seu propter « prætensiones nondum eliquatas, cuiquam Bullarum justitiam « neget, protrahatve. » (Pag. 604.)...

« Cum circa medium sæculi proxime elapsi domus Bragan- « tina jugum Hispaniarum excussisset, curia Romana Episcopis

« a novo Portugalliæ rege Joanne IV nominatis, provisiones « seu confirmationis Bullas per continuos decem annos recu« sare perrexit. Inde contigit ut vacantibus in eodem regno « fere omnibus sedibus episcopalibus, unus tantum in illo « remaneret Episcopus. Hoc factum improbaverunt, non « solum regni Portugalliæ universitates omnes, sed etiam ea « de re consultus conventus regni Gallicani cleri, anni 1650. « Illud autem remedium, si Roma diutius in denegando « perstitisset, jure proditum tunc temporis fuisse testantur « acta publica, ut per canonice factas electiones vacantibus « ecclesiis provideri rex curasset, electique sacrarentur per « Episcopos aliunde quæsitos, absque Romani Pontificis con« firmatione. Vide acta cleri Gallicani, anno 1650 et 51. » (Pag. 605.)

Eidem systemati inhærens schismaticus Episcopus Ricci, in sua Synodo Pistoriensi concludebat, pro obligatoriis haud agnoscendas esse ejusmodi veteris disciplinæ immutationes a Romana curia inductas, et posse Episcopos, ubi id expedire pro bono suarum diœcesum regimine agnoscerent, ad *originaria* sua jura regredi.

Cœterum, ut diximus, ipse etiam Gallicanismus quem moderatum vocant ad hocce schismaticum systema logice aliquatenus deduceret. Nam unus e quatuor articulis anni 1682 pro principio ponebat, Romanum Pontificem non esse supra canones, seu disciplinam universalem a Conciliis firmatam. Olim autem Episcoporum electiones et confirmationes Romanæ Sedi non fuisse reservatas ejusdem moderati Gallicanismi scriptores multi sustinent. Proinde quando eas sibi reservavit Sedes Apostolica, contra canones ac proinde nulliter eam egisse concludere debent. Unde et ad istud consectarium impelluntur, posse etiam hodie Episcopos constitui juxta veterem disciplinam, id est, quin opus sit eos a Summo Pontifice confirmari; prout in *constitutione civili cleri Gallicani* sancitum est.

2° Ex hac autem erronea doctrina pluries in Galliis renovatum est schismatis periculum.

Primo quidem, quando antiquum jus circa Episcoporum electionem et confirmationem, invito Romano Pontifice, reducere tentarunt Gallicani Antistites, anno 1438, per Pragmaticam Sanctionem, quam a Rege Carolo VII Bituricis edi obtinuerunt. Hanc scilicet antiquam disciplinam Sedes Apostolica sustulerat, et sibi Episcoporum electiones et confirmationes reservaverat. Dictam Pragmaticam Sanctionem, schismatis vitio laborantem, et a multis Galliæ Episcopis condemnatam, revocavit Ludovicus XI. Sed eam iterum reducere voluit Ludovicus XII. Hinc schismatis periculo finem fecit Concordatum inter Leonem X et Franciscum I. Præfatam autem Pragmaticam reprobavit Leo X tanquam aperte schismaticam.

Secundo, renovatum schismatis periculum sub Henrico IV. Nimirum ob violata multimode tunc temporis a gubernio gallico Ecclesiæ jura, nominatos ad vacantes sedes episcopales præconizare Sedes Apostolica recusaverat. Nihilominus ii nominati, ex sola Parlamentorum et Consilii regii auctoritate, diœceseon regimen suscipere ausi sunt : ideo sane quod sibi necessariam a Romano Pontifice confirmationem non existimaverint. Rem sic narrat auctor operis *Mémoires du clergé de France* (tomo 10, pag. 615, edit. Parisiis 1770) : « Pendant « ces temps de trouble, les officiers de cette cour (la cour « de Rome) faisant refus d'expédier des Bulles à ceux que « nos rois avaient nommés aux évêchés, on fut d'avis en « France qu'il convenait, pour arrêter les désordres qui aug- « mentaient dans les diocèses pendant les longues vacances « des évêchés, que les évêques nommés fussent chargés de « leur gouvernement, de même que l'étaient les élus par les « chapitres dans les temps que les élections avaient lieu. Il y « en eut qui portèrent leur autorité plus loin, et qui crurent « qu'il était du bien des diocèses qu'ils accordassent des dis- « penses et fissent les fonctions du gouvernement ecclésias- « tique, comme pendant le schisme, pour lesquelles c'était « l'usage dans un temps de paix et d'union, de se pourvoir à

« Rome. » Quomodo schisma illud extinctum sit, vide infra, capite 4, § 6.

Tertio, contigit etiam sub Ludovico XIV, ut nominatis a rege Bullas Sedes Apostolica denegaverit. Et tunc pariter cogitatum est de constituendis Episcopis præter et contra Romani Pontificis assensum. *M. Talon alla jusqu'à proposer de faire sacrer les nommés sans recourir à Rome* (Cardinal d'Astros, *du Pouvoir des sujets nommés aux évêchés*, pag. 47). Ausi sunt autem nonnulli ex iis Episcopis, diœceses ad quas nominati erant administrare, sive tanquam vicarii capitulares, sive tanquam vicarii generales eorum, quos rex ad alias sedes nominaverat; sicque intrusi exstiterunt, ut ostenditur infra, capite 4.

Quarto, exorta sub finem decimi octavi sæculi perturbatione illa, quæ *magna* in Galliis dicitur, edita est *civilis cleri gallicani constitutio*, qua expresse disponebatur, ut absque ullis Pontificiis Bullis, ullave Sedis Apostolicæ confirmatione, instituerentur Episcopi a provinciæ Antistitibus.

Quinto tandem, rediit schismatis periculum sub Napoleone I. Cum nempe Pius Papa VII Savonæ captivus detineretur, renueretque nominatis ab imperatore Bullas concedere, ejusdem imperatoris jussu constituta est commissio ecclesiastica (un conseil ecclésiastique), duobus Cardinalibus, quinque Episcopis et duobus theologis constans; quæ respondere debuit ad quæstionem hanc : *Quand le Pape refuse persévéramment d'accorder des Bulles aux Évêques nommés par l'empereur, pour remplir les siéges vacants, quel est le moyen de leur donner l'institution canonique?* Respondit commissio, posse Gallicanam ecclesiam, si aliter obtineri nequeant Pontificiæ Bullæ, ad priscum jus redire : *Elle est autorisée à recourir à l'ancien droit :* posse proinde a Concilio nationali declarari, *qu'attendu l'impossibilité de recourir à un Concile écuménique, et vu le danger imminent dont l'Église est menacée, l'institution donnée conciliairement par le métropolitain à l'égard de ses suffragants, ou par le plus ancien des Évêques de la province à l'égard du métropolitain, tiendra*

lieu des Bulles pontificales (vide docnmenta hæc infra, cap. 4, § 8). Interea vero Episcopi non pauci captivo Pio VII suam ad hæc extrema deveniendi mentem comminabantur, nisi imperatoris voluntati cederet.

His prænotatis, quid de veteri disciplina quoad Episcoporum electionem et confirmationem tenendum sit, diligenter inquiramus.

§ I.

Quænam fuerit vetus disciplina quoad electorum Episcoporum confirmationem.

Conclusio I^a^. — *Ad Romanum Pontificem pertinuisse jus confirmandi Patriarchas Orientis, invicte probatur documentis historicis.* — Probant infra posita documenta confirmari a Papa debuisse, tum binos proprie dictos Orientis Patriarchas, Alexandrinum et Antiochenum, tum etiam Constantinopolitanum Episcopum, qui nonnisi tardius patriarchatus honorem et secundum inter Patriarchas locum obtinuit.

Documentum anni 382. — In Episcopum Constantinopolitanum electus fuerat Nectarius. Sciens autem Theodosius imperator ad valorem hujusce electionis requiri, ut a Romano Pontifice confirmaretur, legatos cum nonnullis Episcopis Romam misit ad Damasum Papam, qui hancce confirmationem impetrarent. Id narrat atque testatur Bonifacius I (in suis ad Rufum aliosque Illyrici Episcopos litteris, anui 422) his verbis : *Clementissimæ recordationis princeps Theodosius, Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo Aulicis cum Episcopis, formatam huic a Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ* EJUS SACERDOTIUM ROBORARET (apud Coustant, *Romanorum Pontificum epistolæ*, epist. 15 Bonifacii I, tomo 1, col. 1043). Ibidem, nota *b*, sic animadvertit Coustant : « Habemus (supra « pagina 567) Synodi Constantinopolitanæ epistolam, Theo« dosio imperatore præsente conscriptam, qua Damasus et

« socii de Nectarii ordinatione certiores fiunt, ac de illa gra« tulari rogantur... Hic *formatæ* nomine intelliguntur litteræ « communionis indices, quibus recentis Episcopi ordinatio « approbatur. »

DOCUMENTUM ANNI 449. — In Episcopum Constantinopolitanum electus fuerat Anatolius. Eum in sua communione admittere renuit sanctus Leo Magnus, nisi prius dictus Patriarcha subscripsisset professioni fidei, a legatis Pontificiis, ad id Constantinopolim missis, ipsi præscribendæ. Satisfecit Anatolius et litteras communionis obtinuit. At cum postea idem Anatolius obtinere tentaret, ut Constantinopolitana Sedes prima post Romanam declararetur, scripsit S. Leo ad imperatorem Marcianum in hunc modum : *Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio, et* MEI FAVORIS ASSENSU, *episcopatum tantæ urbis obtinuit* (opera S. Leonis, editio Ballerinorum, tomo 1, col. 1149, epistola 105). Idem exprimit S. Leo in epistola ad Pulcheriam : *Frater enim et Coepiscopus meus Anatolius parum considerans, quanto pietatis vestræ beneficio* ET MEI FAVORIS ASSENSU, *Constantinopolitanæ ecclesiæ sacerdotium fuerit consecutus...* (editio Ballerinorum, col. 1155). Quomodo autem intellexerit S. Leo, Anatolium *imperatoris beneficio* sedem Constantinopolitanam obtinuisse, palam fit ex sequentibus ejusdem S. Leonis verbis : *Nos enim vestræ fidei et* INTERVENTIONIS *habentes intuitum, cum secundum suæ consecrationis auctores, ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum quam justiores esse voluimus : quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus* (epistola 107, col. 1147, editionis Ballerinorum). *Metuere certa ratio compellit, ne pœnitendum mihi sit, quod de Episcopo Constantinopolitano, qui ab impugnatoribus fidei fuerat ordinatus, vobis adhortantibus, acquievi meliora sentire, cum tanto pietatis vestræ testimonio juvaretur, ne illum gravaret suæ ordinationis infirmitas, ubi vestra interventio præstaretur* (epist. 102, col. 1188, editionis Ballerinorum). Intercesserat imperator apud Romanum Pontificem ad obtinendam Anatolii confirmationem, et

in hoc solo sensu dicit S. Leo, *beneficio* imperatoris Constantinopolitanam sedem Anatolium obtinuisse. •

Documentum anni 451. — Cum in Patriarcham Antiochenum electus esset Maximus, ejus electionem sanctus Leo Magnus confirmavit. De quo expressum testimonium habemus in œcumenico Concilio Chalcedonensi. Cum nempe a Patribus dictæ Synodi quamdam sibi facultatem concedi Maximus postularet, Romani Pontificis legati Synodum adhortati sunt ad annuendum ejus precibus, hanc allegantes rationem : confirmatum fuisse a Romano Pontifice Maximum, sicque ejus meritum satis commendari. En verba actorum : *Paschasinus et Lucentius reverendissimi Episcopi et Bonifacius presbyter, Vicarii Sedis Apostolicæ, per Paschasinum reverendissimum Episcopum dixerunt : sanctus et beatissimus Papa,* QUI EPISCOPATUM *sancti ac venerabilis Maximi Episcopi Antiochenæ ecclesiæ* CONFIRMAVIT, *justo satis judicio ejus meritum approbasse videtur* (Concilia Mansi, edit. Florentiæ, tomo 7, col. 270 : sub finem actionis 10).

Aliud simile testimonium exhibet eadem sessio decima Chalcedonensis Concilii. Quod, ut bene intelligatur, sciendum est qua de causa dicto Maximo Antiocheno Patriarchæ Chalcedonenses Patres nonnulli adversarentur. Fuerat is illegitime electus a pseudo-synodo Ephesina secunda. Hujusce Synodi acta omnia resciserat et annulaverat S. Leo, excepta sola electione Maximi. Ei nempe litteras communionis S. Leo dederat, sicque electionis vitium sanaverat, et legitimum Antiochenæ Ecclesiæ Patriarcham Maximum effecerat. Id in œcumenico Chalcedonensi Concilio declaravit Constantinopolitanus Antistes, per hæc valde attendenda verba : *Definimus nihil horum valere quæ in illa quæ Synodus dicitur, confecta sunt, nisi illud circa sanctissimum Maximum magnæ Antiochenæ civitatis Episcopum ; quoniam et sanctissimus Leo Romanus Archiepiscopus in communionem eum recipiens, præesse eum Antiochenæ judicavit ecclesiæ.* Ergo quamvis irrita forent omnia pseudosynodi Ephesinæ acta, valida tamen Maximi electio, eo quod

Romanus Pontifex eum in *communionem recepisset*, et *præesse eum Antiochenæ ecclesiæ judicasset.*

Documentum anni 482. — In epistola Simplicii Papæ ad Acacium (epist. 17, apud Concilia Mansi, edit. Florentiæ, tomo 7, col. 992), sic habetur de Joanne, in Patriarcham Alexandrinum electo, pro quo fuerat postulata confirmatio :

Nuper ab Ægyptia Synodo, quæ et numero plurima et fidei catholicæ esset communione suffulta, atque ab ipso omni propemodum clero alexandrinæ sedis, ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctæ memoriæ fratrem quondam et Coepiscopum nostrum obiisse Timotheum ; inque ejus vicem consona fidelium voluntate Joannem, cui ad sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum ; ut nihil omnino restare videbatur, nisi ut Deo nostro gratias agentibus nobis atque gaudentibus (ut sine strepitu quod catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes), Apostolicæ quoque moderationis ASSENSU *votivam sumeret* FIRMITATEM : *cum ecce secundum consuetudinem mihi talia disponenti, tranquillissimi principis scripta sunt reddita, quibus memoratum tanquam perjurii reum (quod fraternitati quoque tuæ non esse diceretur incognitum), sacerdotio perhiberet indignum. Illico retraxi pedem,* ET MEAM REVOCAVI SUPER EJUS CONFIRMATIONE SENTENTIAM, *ne quid contra tantum ac tale testimonium præpropere fecisse judicarer.*

Documentum anni 489. — Mortuo Acacio Constantinopolitano Episcopo, in ejus locum electus est Flavitas, sed is noluit inthronizari absque consensu Romani Pontificis; quapropter solitam synodicam epistolam Felici Papæ statim transmisit. Quod sic narrat Liberatus (in suo *Breviario*, cap. 18 : textum vide apud Zaccariam, *Antifebronio*, tomo 3, pag. 133, edit. Cesenæ 1770) :

Ordinatur post eum Flavitas presbyter...; qui non consensit sine Romano Pontifice inthronizari, sed transmisit synodicam Papæ Romano Felici. Non exigebant tunc Romani Pontifices ut electi Patriarchæ a capienda sedis possessione abstinerent ante obtentam confirmationem : consentiebant ut caperent

possessionem, et interea valide suam ecclesiam regerent, dummodo sine mora confirmationem peterent et obtinerent. At Flavitas, ut melius perfidiam suam obtegeret, etiam ante inthronizationem suam voluit confirmationem obtinere.

Litteras communionis (quæ vim confirmationis habebant) concedere distulit Papa Felix, quod Flavitam iu fide snspectum haberet. Interea tamen diligentiam ejus in recurrendo ad Sedem Romanam, laudavit his verbis : *Dum scilicet ad Apostolicam Sedem regulariter destinatur,* PER QUAM, LARGIENTE CHRISTO, OMNIUM SOLIDATUR *dignitas sacerdotum.* Ergo, teste Felice Papa, per Romanum Pontificem *solidatur omnium* Episcoporum potestas; idque *ex jure divino* (habes eam Felicis Papæ epistolam, apud Mansi, tomo 7 Conciliorum, col. 1100, edit. Florentiæ).

DOCUMENTUM ANNI 490. — Euphemins, qui Flavitæ successerat, sine mora scripsit ad Felicem Papam. Quomodo autem sese gesserit hac in re Felix, narrat sic Theophanes : *Hoc anno Synodales Euphemii litteras Felix accepit, et, ut catholico, communionis impertiit consortium ; haud tamen Episcopum agnovit, quod Acacii, quique in episcopatu successerat Flavitæ nomen e tabulis ecclesiasticis non expunxerit* (vide textum apud Zaccariam, *Antifebronio*, tomo 3, pag. 133 et 134, edit. Cesenæ 1770). Rem eamdem narrat Nicephorus Callistus (libro 16 *Historiæ eccles.*, cap. 19) his verbis : *Porro Papa scripta quidem illius recepit, et Euphemio veluti orthodoxo favit, sed illum in episcopalem communionem non admisit.* Non ergo meræ communionis litteras electis Patriarchis dabat Romanus Pontifex; sed litteras communionis, quibus tanquam legitimi Episcopi agnoscerentnr, seu, ut ipse Felix aiebat, quibus in *consortium, collegii unione*, reciperentur (apud Mansi, tomo 7, col. 991).

DOCUMENTUM ANNI 536. — Agapitus Papa, frnstra adversante imperatrice, Anthimum, ex alia sede ad sedem Constantinopolitanam evectum, ipsemet Constantinopoli deposuit, et Mennam in ejus locum ordinavit. Quod refert Liberatus (*Breviarii*, cap. 21, pag. 147, edit. Garner.) in hunc modum :

Denique petentibus principibus, ut Anthimum Papa in salutatione et communione susciperet, ille fieri inquit posse, si se libello probaret orthodoxum, et ad cathedram suam reverteretur. Impossibile esse aiebat translatitium hominem in illa sede permanere. Augusta vero clam promittente munera multa, et rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit, ne ejus audiret petitionem. Anthimus vero videns se SEDE PULSUM, *pallium quod habuit, imperatoribus reddidit, et discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa, principis favore, Mennam pro eo ordinavit Antistitem, consecrans eum manu sua in Basilica sanctæ Mariæ.* Fuit ergo Anthimus *sede pulsus,* per hoc solum quod noluerit Romanus Pontifex in communionem eum suscipere.

De quo sic Natalis Alexander (sæculo VI, c. 2, art. 7) : « Primatum gloriosius exercere non potuit Romanus Pon- « tifex, quam Constantinopolitanum Patriarcham... exancto- « rando, et in ejus locum alium ordinando, idque nulla « Synodo convocata. »

Hocce jure Patriarchas Orientis confirmandi, potitos esse antiquitus Romanos Pontifices, ipse etiam Roussel, Pontificiæ jurisdictionis oppugnator infensissimus, fateri coactus est : « Hæc mihi comperta, inquit, ex veteribus exemplis ad « adstruendam Pontificis Romani prærogativam in confir- « mandis Patriarchis Orientalibus ; quæ sane satis indicant « Principatum ejus in omnes ecclesias. Quod si non sæpius « aut absolutius eam prærogativam exercuit, tribuendum est « illius modestiæ, qui non putavit summa sua potestate uten- « dum, nisi ubi necessitas exigeret. » (*Hist. Pontif. jurisd.*, l. 2, n. 12.)

DOCUMENTUM ANNI CIRCITER 1055. — Ex epistola scilicet sancti Leonis IX ad Petrum Antiochenum Patriarcham. Is ad sedem antiochenam electus fuerat. Ejus electionem confirmavit S. Leo IX ; non tamen absolute, sed sub hac conditione quod non esset digamus, pretio aliove anticanonico modo electus etc. En Pontificis verba : *Mea vero humilitas, in cul-*

mine Apostolici Throni ideo exaltata, ut approbanda approbet, improbanda quoque improbet, tuæ sanctissimæ fraternitatis episcopalem promotionem libens approbat, collaudat et CONFIRMAT... *Noveris tamen, nos ipsam tuam promotionem taliter approbare, si non hanc neophytus, aut curialis, seu digamus, vel pretio aut alio quolibet modo sacris canonibus contrario (quod absit) obtinuisti* (apud Labbe, tomo 9, col. 976, edit. Parisiis 1671). Et ibi videre potest lector, quomodo ejusmodi electi suam fidei professionem Romano Pontifici mitterent; quomodo eam approbaret Romanus Pontifex, et suam vicissim fidei professionem subjungeret.

Objicies. — Hormisdas Papa Epiphanio Constinopolitano ita scripsit: « *Decuerat*... te legatos ad Apostolicam Sedem, inter « ipsa tui pontificatus initia, destinasse, ut quem tibi debea« mus affectum, bene cognosceres, et vetustæ consuetudinis « formam rite compleres. » Vox *decuerat* evincit, ex sola convenientia, non ex necessitate olim inductum fuisse morem communionis litteras petendi a Romano Pontifice.

Respondeo. — Hac voce usus est Hormisdas ex Pontificia moderatione; at cæteroquin certum omnino est, confirmari debuisse (litteris communionis a Papa obtentis) Orientis Patriarchas; ne ipsorum electio irrita redderetur (vide Pii VI Breve *quod aliquantum*, quo damnatur *Constitutio civilis cleri gallicani,* in collectione Brevium edita a D. Guillon, Paris 1798, tomo 1, pag. 138).

CONCLUSIO II^a. — *In Oriente electos Metropolitanos confirmabant et ordinabant Patriarchæ : cæteros etiam confirmabant, ast eorum ordinationem respectivis Metropolitanis ordinarie relinquebant.* — Hanc Orientis disciplinam exprimit Innocentii I ad Alexandrum Antiochenum Patriarcham epistola (apud Coustant, epist. 24, tomo 1, col. 851) : « Itaque arbitramur, « frater carissime, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas « singulari, sic et cæteros non sine permissu conscientiaque « tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum recte « servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab

« his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu : vicinos « autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ sta- « tuas pervenire. » Unde Metropolitanos, postquam a clero et populo viduatæ metropoleos fuerant electi, ordinabat Patriarcha auctoritate *singulari ;* quæ vox indicat non potuisse Metropolitanos nisi a *solo* Patriarcha ordinari. Dum autem eos ordinabat Patriarcha, hoc ipso electionem approbabat et confirmabat. Quoad cæteros Episcopos, passim cœperant Metropolitani, patriarchatui antiocheno subjecti, ut indicant Innocentii verba, eos ordinare, absque obtento Patriarchæ assensu. Id autem ita corrigi vult Pontifex, ut necessarius sit Patriarchæ *permissus.* Unde nisi Patriarcha ordinationem permitteret, irrita remanebat electio, nec poterat fieri consecratio. Obtenta autem Patriarchæ licentia, quæ vera erat confirmatio, poterat fieri a Metropolitanis ordinatio, id est consecratio, nisi eam etiam sibi reservare mallet Patriarcha quoad viciniores. « In patriarchatibus (Orientis), inquit Zaccaria, Episcopos « confirmabat Patriarcha, eorum electioni assensum præ- « stando ; illos autem ordinare ad Metropolitanos pertinebat. » (*Antifebronio,* tomo 3, pag. 123, edit. Cesenæ 1770.)

Conclusio IIIa. — *In reliquis, præter Africam, Occidentis provinciis, per quatuor fere priora sæcula, nullus exstitit præter Romanum Pontificem Metropolitanus : ad solum Romanum Pontificem tunc pertinuit, in hisce provinciis, Episcopos ordinare.* — Constabat Occidens Illirico, Galliis, Britannia, Hispania, Africa et Italia. In his ergo regionibus, excepta Africa, viguisse olim assertam disciplinam contendimus.

Quod nonnisi tardius erectæ sint in Occidente (exceptam semper intelligendo Africam) metropolitanæ sedes, sic tradit Zaccaria (*Antifebronio,* tomo 3, pag. 138, edit. Cesenæ 1770) : « Tarde satis, ad finem scilicet vergente sæculo quarto, « constitui cœperunt in Occidente, atque in ipsa etiam Italia, « ecclesiæ metropolitanæ ; prout demonstrarunt Bacchinus.., « Maffœus.., et Ballerini fratres (operum S. Leonis, tomo 2, « col. 1029 et seq.)... Igitur hisce quatuor prioribus sæculis,

« Romanus Pontifex solus exstitit Metropolita in Occidente « (excepta tamen Africa). Ad ipsum proinde pertinuerunt « omnium Occidentis Episcoporum ordinationes. Ex quo infe- « runt eruditi multi, legationem illam, qua Lugdunenses « martyres Sanctum Irenæum ad Eleutherium Papam mise- « runt, ad id etiam spectasse, ut Irenæus Lugdunensis Epi- « scopus a Papa ordinaretur. »

« Postmodum latius propagata fide atque aucto in Occi- « dente ecclesiarum numero, cogitatum est de instituendis, « prout in Oriente exstabant, Metropolitanis. Primi porro, « ex italicis provinciis, Metropolitani declarati sunt..., sancti « Ambrosii tempore, Mediolanensis et Aquileiensis Episcopi. « Nec dubitandum, quin a metropolitico Romani Pontificis « jure substracti sint, ex ejusdem Romani Pontificis consensu « et voluntate. Tunc autem statutum est, ut novi Metropo- « litani ordinationem a Romano Pontifice reciperent, sicut « recipiebant antea, quando nondum erant Metropolitani. « Tempore nihilominus Pelagii I, qui anno 556 ad Pontifi- « ciam Cathedram evectus est, jam *antiqua consuetudo* erat, ut « Mediolanensis et Aquileiensis Metropolitani sese mutuo or- « dinarent; hac scilicet lege, ut neuter alteri per susceptam « ordinationem subditus censeretur. Sed consuetudo hæc « exordium sumpserat e consensu Romani Pontificis; qui, « habita ratione longitudinis et difficultatum itineris, novum « hunc agendi modum indulserat (1); cum cæteroquin ad jus « patriarchale proprie pertineat Metropolitarum, intra fines « patriarchatus existentium, ordinatio. »

(1) *Nempe is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate vel difficultate itineris, ab Apostolico onerosum illis fuerat ordinari, ipsi invicem Mediolanensis et Aquileiensis ordinare debuissent: ita tamen ut in ea civitate in qua erat ordinandus Episcopus, alterius civitatis Pontifex occurrere debuisset; ut et ordinandi electio a præsenti ordinatore, ex consensu universalis (qui præstolandus erat) ecclesiæ, melius ac facilius potuisset agnosci, et in sua qui ad episcopatum provehendus erat, nec tamen ordinatori suo subdandus fuerat, ordinaretur ecclesia* (fragmentum epistolæ Pelagii I; tomo 9 Conciliorum Mansi, col. 730).

Ex indulto Romani Pontificis revera provenisse, quod Mediolanensis et Aquileiensis Metropolitani possent sese mutuo ordinare, probat Zaccaria ex epistola S. Gregorii Magni ad Joannem subdiaconum. Cum nempe, defuncto Laurentio Mediolanensi Episcopo, de successoris electione ageretur, Joannem subdiaconum S. Gregorius Magnus Mediolanum misit, qui electioni præsideret, et Constantium, in quem suffragia jam convenire cœperant, ordinari procuraret; ita eidem Joanni mandans : *Quanto Apostolica Sedes Deo auctore cunctis prælata constat ecclesiis, tanto inter multiplices curas et illa nos valide sollicitat, ubi ad consecrandum Antistitem, nostrum expectatur arbitrium... Si nulla eos diversitas ab electionis unitate disterminat, siquidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntates atque consensum perdurare agnoscit, tunc eum a propriis Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu, facias consecrare; quatenus hujusmodi servata consuetudine, et Apostolica Sedes proprium vigorem retineat,* ET A SE *concessa aliis jura non minuat.* Verba hæc probant, non tantum debuisse dictos Metropolitanos a Romano Pontifice confirmari; sed etiam ex indulto seu concessione ejusdem Romani Pontificis inductum fuisse, quod non tenerentur ab ipso ordinationem recipere.

Ravennatensis ecclesia post medium sæculum quintum in metropolim, Romanæ Sedis privilegio, erecta est, quod vide probatum apud Bianchi *(Potesta e Polizia della Chiesa,* tomo 4, l. 2, c. 1, § 16, pag. 265 et seq.). Debebant nihilominus Ravennatenses Metropolitani a Romano Pontifice ordinari. Hancce dependentiam excutere tentans Maurus Ravennatensis Episcopus schismaticus, a Constante imperatore rescriptum obtinuit, quo Ravennæ ecclesia declarabatur *autocephala*, et consecratio Ravennatensis Episcopi ad tres ipsius suffraganeos devolvebatur. Quod schisma non duravit, et sub Leone II penitus sublatum est : *Hujus temporibus* (ait Anastasius, in vita S. Leonis II) *restituta est ecclesia Ravennæ sub ordinatione Sedis Apostolicæ : ut defuncto Archiepiscopo, qui ele-*

ctus fuerit, juxta antiquam consuetudinem Romam veniat ordinandus.

CONCLUSIO IVª. — *Postquam passim per Occidentem constituti sunt Metropolitani, eos ordinare, ac proinde confirmare, pertinuit ad Romanum Pontificem. Sed paulatim indulsit Papa, propter regionum longinquitatem et itineris difficultates, ut possent Metropolitani in suis respective provinciis ordinari.* — Colligi potest 1°, ex epistola Innocentii I ad Alexandrum Antiochenum Patriarcham (apud Coustant, col. 851) : « Itaque arbi« tramur, frater charissime, ut sicut Metropolitanos aucto« ritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu « conscientiaque tua sinas Episcopos procreare. » Erat ergo jus Patriarcharum *singulare*, id est, ipsis solis competens, ordinare Metropolitanos. Ergo jus illud habebat Romanus Pontifex, quoad patriarchatus sui Occidentis Metropolitanos. Absonum enim foret supponere Patriarcham illum qui primus erat, et a quo reliqui Orientis Patriarchæ confirmari debebant, minorem in suo patriarchatu potestatem habuisse, quam orientales Patriarchæ in subjectis sibi provinciis.

2° Superiori conclusione vidimus inductum esse ut Mediolanensis et Aquileiensis Metropolitani, possent sese invicem ordinare, *quia pro longinquitate vel difficultate itineris, ab Apostolico onerosum illis fuerat ordinari.* Porro verba hæc aperte indicant, originarie debuisse eos ordinari a Romano Pontifice ; et ex ipsius indulgentia exemptos ipsos fuisse ab onere Romam eundi ad recipiendam ordinationem. Fuerunt autem hi duo, ut dictum est, primi in Italia constituti Metropolitani.

3° Item superiori conclusione expositum est, quomodo teneretur Ravennatensis Metropolitanus Romam ire ad recipiendam a Papa ordinationem ; et quomodo ab hac subjectione sese eximere volens Maurus Ravennæ Episcopus, pro schismatico habitus sit.

4° In Illyrico certum est non potuisse Metropolitanos ordinari nisi a Vicario Sedis Apostolicæ ; quod munus Vicarii Apostoloci Archiepiscopo Thessalonicensi committi solebat. *Cui,*

ait S. Leo, *Metropolitani Episcopi consecrationem statuimus reservari* (opera S. Leonis, tomo 1, col. 618, editionis Ballerinorum).

5° Misso in Angliam Augustino monacho, et propagata per illam regionem fide, erexit ibi S. Gregorius Magnus duas metropolitanas sedes, Londinensem et Eboracensem (Yorck); quarum unaquæque duodecim episcopales sibi suffraganeas haberet. Indulsit autem simul, ut possent ii duo Metropolitani in sua quisque Synodo provinciali ordinari; ita tamen ut deberent Pallium a Sede Apostolica recipere (vide S. Gregorii verba apud Zaccariam, *Antifebronio*, t. 3, pag. 150, edit. Cesenæ 1770). Quod dicti Metropolitani *ex indulto* dumtaxat potuerint in Anglia ordinari, et alioquin de jure debuissent Romam se conferre ad recipiendam a Papa ordinationem testatur Honorius I : *Quia*, inquit, *ut hæc vobis concederemus, longa terrarum marisque intervalla, quæ inter nos ac vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coegerunt; ut nulla possit ecclesiarum vestrarum jactura per cujuslibet occasionis obtentum quoquomodo pervenire* (apud Bedam, *Historia Anglorum*, cap. 18). Et indulti hujus causam sic exprimit Beda (loco citato) : *Ne sit necesse ad Romanam usque civitatem per tam prolixa terrarum et maris spatia pro ordinando Archiepiscopo semper fatigari.*

6° In Gallia et Hispania pariter inductum est, ut Metropolitani in Synodis ad id coactis ordinarentur. At dubium non est, quin disciplina hæc a simili indulto exordium sumpserit. Jure scilicet patriarchali Metropolitanorum Occidentis ordinatio ad Romanum Pontificem pertinebat, sicut in Oriente ad unumquemque Patriarcham exclusive pertinebat sui patriarchatus Metropolitas ordinare. Sed quemadmodum Mediolanensem et Aquileiensem Metropolitanos, *ob itineris longinquitatem et difficultatem* ab onere Romam veniendi ad suscipiendam ordinationem exonerat Sedes Apostolica, ita longius positos Galliæ et Hispaniæ Metropolitanos eximendos existimavit.

7° Idem de Africa concludendum est. Difficilius erat Carthaginensi Primati Romam sese conferre ad ordinationem

suscipiendam, quam Mediolanensi et Aquileiensi Metropolitanis. Mirum ergo non est a Sede Romana indultum fuisse, ut in Synodo africana posset Carthaginensis Episcopus ordinari. At remanet, *originarie* ad Romanum Pontificem, utpote Occidentis Patriarcham, pertinuisse Carthaginiensis Primatis ordinationem.

Nec objiciatur, quoad Africam, Galliam et Hispaniam, *ex mera conjectura* supponi a nobis dictum indultum, non autem ex documentis historicis. — Non conjectura, sed peremptorio argumento utimur : sic nempe ratiocinamur : si ad Romanum Pontificem originarie pertinuit ordinatio Metropolitani Ravennatensis, Mediolanensis, Aquileiensis, necnon omnium Metropolitanorum Illyrici et Angliæ, ad eum etiam originarie pertinuit ordinatio Metropolitanorum Galliæ, Hispaniæ et Africæ : non enim priorum ordinatio ad eum pertinere potuit, nisi ex jure patriarchali et Papali, quod habebat in illas Metropolitanas ecclesias : quod jus patriarchale et Papale non minus habuit Romanus Pontifex quoad Africam, Galliam et Hispaniam. Jam vero ad Summum Pontificem pertinuisse priorum Metropolitanorum ordinationem, constat documentis historicis. Ergo et ad eum originarie pertinuit aliorum similiter occidentalium Metropolitarum ordinatio. Quod ergo in Africa, Gallia et Hispania ordinari olim potuerint Metropolitani in provincialibus Synodis, inductum est ex assensu et indulto Sedis Apostolicæ, nec aliter legitime induci potuit. Imo, etiamsi periissent citata documenta, quibus historice constat, ad Romanum Pontificem pertinuisse Metropolitarum Italiæ, Illyrici et Angliæ ordinationem, non ideo negari posset hocce jus Sedis Apostolicæ, utpote quod ex jure patriarchali Romani Pontificis esset nihilominus concludendum.

Est ergo pro certa omnino habenda conclusio hæc : ad Romanum Episcopum omnium Occidentis Metropolitarum ordinationem pertinuisse *originarie*, id est, ab ipsis uniuscujusque metropoleos exordiis. Quod si ad ipsum pertinuerit ordinatio ; pertinuit et electorum ejusmodi Metropolitarum

confirmatio (quod a nullo negatur); quia Papa ordinando approbabat et confirmabat; et ordinationem denegando, irritam electionem reddebat.

Quando ergo adversarii tanquam indubitatum affirmant, ac perpetuo recantant, *primitivam* disciplinam fuisse, ut Metropolitani in Synodo possent ordinari, absque necessaria ulla Romani Pontificis approbatione, consensuve aut confirmatione, egregie mentiuntur, et incautos decipiunt. *Primitus* scilicet Metropolitas ordinare, et eorum electionem ordinando firmare, ad Romanum Pontificem exclusive pertinuit.

Conclusio V^a^. — *Postquam, ex indulto Sedis Apostolicæ, invaluit disciplina, ut Metropolitani in Synodo ordinarentur, adhuc obtineri debuisse a Romano Pontifice approbationem seu confirmationem, saltem probabilius est.* — Quod *originarie* ad Romanum Pontificem pertinuerit Occidentis Metropolitas ordinare, ac proinde approbare et confirmare, superiore conclusione probatum est. An autem Sedes Apostolica, Metropolitarum ordinationem Synodis permittendo, eorumdem nihilominus confirmationem sibi reservaverit, hic inquirimus. Pro quo enucleando, paulo recentiora tempora ab antiquioribus distinguemus.

I. Si paulo recentiora tempora respiciamus, constat necessariam fuisse dictam confirmationem. Ab anno saltem 742 generalem exstitisse *Pallii* usum pro explorato habent eruditi. Habebat autem Pallii concessio veræ confirmationis rationem; non enim poterat Metropolitanus Archiepiscopalem jurisdictionem exercere, antequam Pallium obtinuisset a Sede Apostolica. Hinc in Concilio Germaniæ dicti anni 742 sic statutum legitur : *Decrevimus autem in nostro synodali conventu..., Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere, et per omnia præcepta Petri canonice sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numerentur* (apud Labbe, edit. Venetæ, tom. 8, col. 281). Debuisse sæculo nono Metropolitanos a Papa confirmari, constat ex Concilio Suessionensi II, anni 853; in quo Hincmarus, Rhemensis Archiepiscopus, instrumentum porre-

xit ad probandum suam ordinationem a Romano Pontifice fuisse confirmatam : *Post hæc surgens idem Hincmarus, in conspectu principis gloriosi et Synodi... porrexit etiam epistolam totius Galliæ Episcoporum manibus subterscriptam ad Apostolicam Sedem, pro confirmatione ipsius ordinationis* (apud Labbe, edit. Venetæ, tomo 9, col. 1097). Et in Concilio Suessionensi III, anni 866, de confirmata ejusdem Hincmari ordinatione sic habetur : *Et ab eodem Leone Papa, et usu Pallii et privilegio Sedis Apostolicæ... est multoties approbata* (apud Labbe, edit. Venetæ, tomo 10, col. 306). Cum Vulfadus ad sedem Bituricensem fuisset promotus, Patres Concilii Tricassini anni 867, ad Nicolaum I Pontificem ita scripserunt : *Vestram denique inter hæc sanctissimam, præstantissimam ac piissimam Paternitatem, cum omnis supplicationis devotione petimus, ut... fratris et consacerdotis nostri Wlfadi ordinationem, cujus restitutioni et promotioni propitiari dignati estis, largitione quoque usus. Pallii confirmare et condecorare dignemini.* Suas etiam preces adjunxit rex Carolus Calvus : *In cujus ordinationis maturatione*, ait, *quia vestra licentia, pro jam dicto imminenti periculo expectata non est, a vestra benignissima Sanctitate petimus indulgendum. Præterea... Wlfadum Pallio Apostolicæ auctoritatis exornando decoretis, et decorando confirmetis.*

Idem Nicolaus I, in suo responso ad consultationes Bulgarorum, hujus temporis disciplinam palam omnino fecit : *Et ita demum Episcopos sibi constituat* (Archiepiscopus), *qui ei decedenti successorem eligant. Et propter longitudinem itineris non jam huc consecrandus, qui electus est, veniat : sed hunc Episcopi, qui ab obeunte Archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant : sane interim in throno non sedentem, et præter corpus Christi non consecrantem, priusquam Pallium a Sede Romana percipiat : sicut Galliarum omnes, et Germaniæ, aliarumque Archiepiscopi agere comprobantur.* Ergo, si agatur de octavo sæculo, certum est a Romano Pontifice confirmari debuisse Metropolitanos, quamvis eorum ordinatio Synodis permissa esset.

II. Anterioribus etiam sæculis reqnisitam fuisse dictam confirmationem, saltem probabilius est. Equidem, absolute loquendo, potuisset Sedes Apostolica Metropolitarnm ordinationem ita Synodis committere, ut non rcquireretnr ipsius approbatio seu confirmatio. Id si fecisset, jus illud acquisivissent Synodi ex indulto Romanorum Pontificum, ut patet. Qnod autem id non concesserit Sedes Apostolica, sed sibi Metropolitanorum Occidentis approbationem et confirmationem reservaverit, probabilius saltem faciunt sequentes rationes.

1° Octavo sæculo ex disciplina *generaliter vigente* requirebatnr dicta confirmatio, prout evincnnt citata documenta. Aliunde nullum assignari potest Concilii generalis aut Sedis Apostolicæ decretum, quo statutum sit ejusmodi confirmationem, etsi antea non rcquisitam, in posterum tamen necessariam fore. Ergo signum est, semper necessariam fuisse dictam confirmationem. Clamitat cum Febronio tota Jansenistarum turma, disciplinam hanc a falsis Isidori decretalibus ortum duxisse. Sed falsæ illæ decretales editæ sunt octavo sæculo, non antea : et hoc ipso octavo sæculo *generalis* erat disciplina, dictam confirmationem requirens. Numquid falsæ decretales statim ac confectæ sunt, aut etiam antea, generalem et priori contrariam in Occidcnte disciplinam inducere potuerunt?

2° Certum est in Illyrico non potuisse Metropolitanos a Synodis ordinari : siquidem expresse eorum ordinatio reservata erat Romanæ Sedis Vicario, nimirum Thessalonicensi Archiepiscopo. Cum ita egerit Sedes Apostolica quoad Illyricum, vcrisimile non est, ab ipsa ita permissam fuisse aliarum regionum Synodis Mctropolitarum ordinationem, ut non remaneret necessaria Romani Pontificis approbatio seu confirmatio.

3° In singulis Occidentis rcgionibns alicui Episcopo Vicarii Apostolici munus Romani Pontifices conferebant. Ejusmodi munus gerebat in Gallia Arelatcnsis Episcopus, in Hispania Hispalensis, in Illyrico Thessalonicensis etc. Ingens autem potestas

hisce Vicariis Sedis Apostolicæ committebatur. Ipsorum erat ortas inter Episcopos lites dirimere, Concilia nationalia convocare et iis præsidere, omnibus generatim ecclesiasticis negotiis superintendere. Porro nulla est ratio cur sub potestate ejusmodi Vicariis Apostolicis commissa, facultas etiam approbandi et confirmandi Metropolitanos comprehensa non censeatur. Objiciunt, inter facultates ipsis datas non legi datam esse illam de qua disserimus : sed respondent Bianchi et Zaccaria : neque contrarium legitur.

4° In Oriente non tantum Patriarchis reservata erat Metropolitanorum ordinatio, sed etiam cæterorum confirmatio. Scribebat Innocentius I Antiocheno Patriarchæ : *Sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu conscientiaque tua sinas Episcopos procreare* (apud Constant, col. 851). Quis putet, Romanos Pontifices, qui tale jus in Patriarchis orientalibus sartum tectum volebant, confirmationem saltem Metropolitanorum (dum eorum ordinationem, ob difficultates itineris, in Synodo fieri permittebant) non sibi reservasse?

5° Vacante Mediolanensi sede, misit S. Gregorius Magnus Joannem subdiaconum, cum hocce mandato : « Quanto Apo« stolica Sedes Deo auctore cunctis prælata constat ecclesiis, « tanto inter multiplices curas et illa nos valide sollicitat, « ubi ad consecrandum Antistitem, *nostrum expectatur arbi« trium.* » Postea mandat ut Joannes *consecrari faciat* Constantium, presbyterum, si tamen constiterit suffragia in eum convenisse: *Tunc eum a propriis Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu, facias consecrare ; quatenus hujusmodi servata consuetudine, et Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, et a se concessa aliis jura non minuat* (libro 2 epistolarum, epist. 29). Porro verba hæc indicant requisitum fuisse Romani Pontificis assensum et arbitrium, quoad constituendos Metropolitanos; quamvis ordinari potuerint ab Episcopis comprovincialibus.

Objicies. — In Concilio Aurelianensi anni 538, capite 3, sic

statuitur : « Placuit ut Metropolitani a Metropolitanis omni« bus, si fieri potest, præsentibus comprovincialibus, ordi« nentur, ita ut Metropolitano ordinandi privilegium maneat, « quem ordinationis consuetudo requirit. » Alios similes textus congerunt adversarii, et concludunt necessariam non fuisse Romani Pontificis confirmationem, cum de illa mentio nulla fiat. — Respondeo conclusionem esse prorsus illegitimam. Ex eo quod in iis textibus non exprimatur confirmandos esse a Sede Apostolica Metropolitanos, nequaquam sequitur haud fuisse de jure necessariam illam confirmationem.

Cum e contra necessariam illam videamus octavo sæculo, et sub S. Gregorio Magno; idemque suadeant allata indicia, et tandem nihil in contrarium adduci valeat, concludenda est dictæ confirmationis necessitas.

Conclusio VIª. — *Non tantum Metropolitanos, sed alios etiam Occidentis Episcopos debuisse olim a Romano Pontifice confirmari probabilius est.* — I. Quam potestatem agnoverunt Romani Pontifices in Patriarchis orientalibus, hac procul dubio potiri se existimarunt, et revera potiti sunt, in suo Occidentis patriarchatu. Atqui agnovit Innocentius I nullos a Metropolitanis Antiocheni patriarchatus ordinari potuisse Episcopos absque consensu, ac proinde absque confirmatione Antiocheni Patriarchæ. Sic enim scripsit ad Alexandrum Antiochenum Antistitem (apud Coustant, col. 851) : *Itaque arbitramur, frater charissime, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu conscientiaque tua sinas Episcopos procreare. In quibus hunc modum recte servabis : ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu : vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire.* Id autem declarat Innocentius I, tanquam ex Nicæno canone tenendum : *Revolventes itaque,* ait, *auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum.* Nicænus autem canon Alexandriæ et Antiochiæ Episcoporum auctoritatem ad normam Episcopi Romani esse dixerat. « Si igitur, inquit Zac-

« caria, Episcopos Antiocheno patriarchatui subjectos a suo
« Patriarcha confirmandos Innocentius edicit, multo magis
« occidentales Episcopi Romani Pontificis confirmationi ob-
« noxii erunt. » (*Antifebronius vindicatus,* diss. 8, c. 2, n. 3.)

II. Certa omnino est posita conclusio quoad provincias Illyrici. Prænotandum autem est, jam a remotissima antiquitate, morem fuisse Romanæ Sedis, in suum Vicarium constituere aliquem ex Episcopis singularum Occidentis regionum. Quoad provincias Illyrici, Vicarium Apostolicum exstitisse, Thessalonicensem Archiepiscopum, jam a tempore Damasi Papæ, et dein sub Pontificibus Siricio, Anastasio, Innocentio I et Bonifacio I, invictis documentis constat. Quoad Gallias, Sedis Apostolicæ vices agebat Arelatensis Episcopus. Et post baptisma Clodovei regis, quoad provincias hujus principis ditioni subditas, Vicarius Apostolicus constitutus est sanctus Remigius Rhemensis Archiepiscopus. Jam ab anno 473 Sedis Apostolicæ Vicarii erant Hispalenses Episcopi quoad totam Hispaniam (vide apud Bianchi, *Potesta et Polizia della Chiesa,* tomo 5, parte 1, l. 3, c. 1, § 3), quod ita in præcipuis regionibus exstiterit Vicarius Apostolicus aliquis ex Episcopis, explorata res est, et extra omnem controversiam apud eruditos. Quo prænotato, dicimus, in provinciis Illyrici, nec Metropolitanos, nec etiam alios Episcopos ordinari potuisse, absque consensu seu confirmatione Vicarii Sedis Apostolicæ, id est, Thessalonicensis Archiepiscopi. Constat autem ex sequentibus documentis:

1° Sic habet epistola Siricii Papæ, anni 385, ad Anysium Thessalonicensem Episcopum, et Sedis Apostolicæ Vicarium (apud Coustant, col. 642) : « Etiam dudum, frater carissime,
« per Candidianum Episcopum, qui nos præcessit ad Dominum,
« hujusmodi litteras dederamus, *ut nulla licentia esset sine*
« *consensu tuo in Illyrico Episcopos ordinare præsumere* Multa
« enim gesta sunt illic per contentionem ab Episcopis in ordi-
« nationibus faciendis, quod tua melius novit caritas.... Ad
« omnem hujusmodi audaciam comprimendam, vigilare debet

« instantia tua, Spiritu in te Sancto fervente; ut vel ipse, si « potes, vel quos judicaveris Episcopos idoneos cum litteris « dirigas dato consensu, qui possit, in ejus locum qui defun- « ctus vel depositus fuerit, catholicum Episcopum et vita et « moribus probatum, secundum Nicænæ Synodi statuta, vel « Ecclesiæ Romanæ clericum de clero meritum ordinare. »

2° In epistola Xisti III, 8 julii 435, sic habetur de Anastasio Thessalonicensi Archiepiscopo, et Sedis Apostolicæ Vicario : « Dilectissimis fratribus universis Episcopis Synodo apud « Thessalonicam congregandis, Xistus... Nos fratri et Coepi- « scopo nostro Anastasio tantum tribuimus, quantum deces- « soribus ipsius a nostris decessoribus attributum... : habeant « honorem suum Metropolitani singularum (*supple* provincia- « rum), salvo hujus privilegio, quem honorare debeant am- « plius honorati. In provincia sua jus habeant ordinandi; *sed « hoc inscio vel invito,* quem de omnibus volumus ordinatio- « nibus consuli, *nullus audeat ordinare.* Ad Thessalonicensem « majores causæ referantur Antistitem. Ipsum major cura « respectet eos qui ad episcopatum vocantur, discutiendi sol- « licitius et probandi. » (Apud Coustant, *Romanorum Pontificum epistolæ,* tomo 1, col. 1263.)

3° S. Leo Magnus ad Metropolitanos Illyrici hæc scribit, de Anastasio Thessalonicensi Archiepiscopo, et Sedis Apostolicæ Vicario : « Ut vero vestræ dilectioni provinciæ suæ ordinatio « permittitur sacerdotum, ita fratrem et Coepiscopum no- « strum Anastasium *de ordinando Antistite volumus consulatis.* « *Cui Metropolitani Episcopi consecrationem statuimus reservari.* » (Opera S. Leonis, in editione fratrum Ballerinorum, tomo 1, col. 618.)

Ipsimet Anastasio hac de re ita scripsit idem S. Leo : « Nul- « lus te inconsulto per illas ecclesias ordinetur Antistes : ita « enim fiet, ut sint de eligendis matura judicia, dum tuæ di- « lectionis examinatio formidetur. Quisquis vero a Metropo- « litanis Episcopus contra nostram præceptionem, præter « tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status

« sui noverit esse firmitatem, eosque usurpationis suæ ratio-
« nem, qui hoc præsumpserint, reddituros. » (Tomo 1, edit. Ballerinorum, col. 621.)

Probant documenta hæc, in Illyrico non potuisse ordinari Metropolitanos nisi a Vicario Romanæ Sedis, Thessalonicensi Archiepiscopo : *Cui,* inquit S. Leo, *Metropolitani Episcopi consecrationem statuimus reservari.* Item probant alios Episcopos, ordinari non potuisse sine *consensu* ejusdem Vicarii Apostolici; ac proinde nisi electio fuisset ab ipso approbata seu confirmata. « Illyricorum Antistitum confirmationem fuisse Aposto-
« licis Vicariis Thessalonicensibus Episcopis servatam, tam
« certum est quam quod certissimum. » (Zaccaria, *Antifebronius vindicatus,* dissert. 8, c. 2, n. 4.)

III. Ad Galliam gressum faciamus. Contendit Thomassinus ordinari potuisse in Galliis Episcopos, quin obtinenda esset a Sede Apostolica confirmatio. Et fatendum est non præsto esse quoad Gallias, sicut pro Illyrico, documentorum copiam, quæ reservatam Sedi Apostolicæ confirmationem expresse decernant. Nihilominus etiam in Galliis assertam reservationem viguisse sufficienter probari potest. Nam,

1° Certum est uni ex Episcopis Galliæ, nimirum Arelatensi Archiepiscopo, solitam fuisse committi a Sede Apostolica jurisdictionem quamdam, in omnes Galliarum provincias ecclesiasticas. Ad Arelatenses nempe Antistites, quatenus Romani Pontificis Vicarios, pertinebat omnibus ecclesiasticis negotiis superintendere, exortas inter Episcopos lites (nisi ipsiusmet Sedis Apostolicæ judicium pro sua gravitate requirerent) dirimere ac componere, Concilia convocare atque iis præsidere; quæ tamen omnia peragere debebant, salvis Metropolitanorum juribus. De hac Arelatensis Præsulis potestate testimonium habemus in litteris, quas sancto Leoni Magno miserunt Arelatensis provinciæ Episcopi : *Cui* (aiunt) *id etiam honoris dignitatisque collatum est, ut non tantum has provincias potestate propria gubernaret, verum etiam omnes Gallias, sibi Apostolicæ Sedis vice mandata, sub omni ecclesiastica regula contineret* (opera

S. Leonis, tom. 1, pag. 996, edit. Baller.). Jam vero nulla ratio est, cur sub hac generali potestate non censenda sit comprehensa etiam potestas electos Episcopos approbandi et confirmandi; ita ut, sicut in Illyrico ordinari a Metropolitanis non poterunt Episcopi, absque Thessalonicensis Præsulis consensu, ita nec in Galliis, nisi annuisset Arelatensis Archiepiscopus. Objicitur : in documentis, quæ facultates exprimunt Arelatensibus Archiepiscopis, tanquam Sedis Apostolicæ Vicariis, concessas, non legitur confirmandas ab ipsis fuisse Episcoporum electiones. Sed respondent Bianchi et Zaccaria : *Neque legitur contrarium* (*Antifebronio,* tomo 3, pag. 154, edit. Cesenæ 1770).

2° Etsi desit documentorum copia, unum tamen habemus quo rem plane evinci existimat Zaccaria. Inconsulto Romano Pontifice, ordinaverat Hilarius, Arelatensis Antistes, nonnullos Episcopos, quos suos esse suffraganeos contendebat. Id porro tanquam delictum memorat imperator Valentinianus III, in sua contra Hilarium edita constitutione : *Hilarius enim* (inquit) *qui Episcopus Arelatensis vocatur,* ECCLESIÆ ROMANÆ URBIS INCONSULTO PONTIFICE, *judicia sive ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasit* (opera S. Leonis, t. 1, col. 642, editionis Ballerinorum). « Quod si ipse, qui Romani « Pontificis in Gallia vices agebat, tenebatur Sedem Aposto- « licam consulere, quis sibi persuadeat cæteris Metropolitanis « licuisse ordinare Episcopos, eadem non consulta Sede? » (Zaccaria, *Antifebronio,* tomo 3, pag. 154, edit. Cesenæ 1770.)

IV. Quoad Italiam et Hispaniam non est cur supponatur disciplina diversa ab ea quæ viguit in Galliis et Illyrico.

V. Etiam in Africa debuisse olim Episcopos a Sede Apostolica confirmari, tanquam probabile sustinet Zaccaria.

Anno 386 ad Episcopos Africæ scripsit Siricius Papa epistolam, in qua reperiuntur verba hæc : *Primum, ut extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est Primalis, nemo audeat ordinare.* Circa istam epistolam, et citatum ex illa textum, nonnulla sunt prænotanda.

1° Dictam epistolam supposititiam Quesnellus, alteratam Papebrochius existimavit. Sed genuinam eam esse peremptorie probarunt Schelstratus.., Natalis Alexander.., Coustant (*Romanorum Pontificum epistolæ*, tomo 1, col. 643), Bianchi (*Potesta e Polizia della Chiesa*, tomo 5, pag. 84 et seq., edit. Romæ 1750), et Ballerini fratres (in sua editione operum S. Leonis, tomo 3, col. 1005).

2° Locum citatum sic legendum putavit Quesnellus (in sua editione operum S. Leonis, tomo 2, codic. canonum Eccles. Romanæ, capite ultimo) : *Primum ut extra conscientiam Sedis Apostolicæ nemo audeat ordinare Primates.* Ex antiquioribus autem et melioribus manuscriptis probant Coustant et Ballerini, legendum esse textum, prout illum supra posuimus. Quibus prænotatis, de sensu illorum verborum inquirendum est.

Primo, si vera foret lectio Quesnelliana, sequeretur *Primates* saltem Africæ a Romano Pontifice confirmari debuisse. Primates autem erant proprie, et quoad totam Africam, Carthaginenses Episcopi : nam in cæteris africanis provinciis agebat Primatis seu Metropolitani vices antiquior Episcopus. Sed cum rejicienda sit lectio illa Quesnelli, ut volunt eruditi, alterius, quæ genuina et vera reputatur, quærendus sensus est. Igitur,

Secundo, existimant nonnulli verba ista, *hoc est Primatis*, addita fuisse ab africanis Antistitibus; ita ut textus a Siricio in Africam missus hoc modo exstiterit : *Primum ut extra conscientiam Sedis Apostolicæ nemo audeat ordinare*. At tam gravem interpolationem ab Episcopis africanis factam non admittit Zaccaria. Et putat ab ipsomet Siricio Papa scripta esse verba hæc, *hoc est Primatis*. Qua admissa hypothesi,

Tertio, sensum ita explicat Zaccaria : quemadmodum in Illyrico et aliis Occidentis provinciis aderat aliquis Episcopus a Romano Pontifice tanquam *Vicarius Apostolicus* constitutus, qui nempe quoad totius alicujus regionis provincias ecclesiasticas Summi Pontificis vices ageret, huicque Romani Pontificis

nomine electos Episcopos confirmandi potestas commissa esset, africanis pariter Primatibus verisimile est a Sede Apostolica officium fuisse commissum, ut de ordinandis Episcopis Romanum Pontificem certiorem facerent. Ut ergo Episcoporum ordinatio non fieret *extra conscientiam Sedis Apostolicæ*, satis erat ut non fieret *extra conscientiam Primatis ;* quia nempe hujus officium erat Romani Pontificis assensum obtinendi (vide apud Zaccariam, *Antifebronio*, tomo 3, pag. 156, edit. Cesenæ 1770).

Conclusio VII^a. — *Etiam quando et ubi vigebat olim disciplina ut alii præter Romanum Pontificem Episcopos ordinarent et ordinando confirmarent, interveniebant identidem Romani Pontifices, et ex sua sola auctoritate, quoties id expedire arbitrabantur, Episcopos constituebant. Remissive.* — Vide id probatum secunda conclusione sequentis paragraphi, ubi idem simul probamus quoad electionem.

§ II.

Quænam fuerit vetus disciplina quoad Episcoporum *electionem*.

Conclusio I^a. — *Episcoporum electio Romano Pontifici olim non erat reservata : fiebat per provinciæ Episcopos, ac per suffragia cleri ecclesiæ viduatæ, concurrente etiam aliquatenus populo.* — Quod non fuerit Romano Pontifici reservata, omnino certum est, ut satis patebit ex modo adducendis documentis; neque ulla exstat de hoc controversia.

Quasnam autem præcise partes in eligendo Episcopo habuerint, sive proviuciæ Episcopi, sive viduatæ ecclesiæ clerus, sive principes et populus, haud ita planum est, ut non multum desudent eruditi in hisce enucleandis quæstionibns. Nec mirum, cum agatur de re, quæ (ut ait Christiauus Wolf) varias variis sæculis mutationes passa est.

1° *Documenta quæ probant, ad provinciæ Episcopos præcipue pertinuisse electionem.* — Attendendus imprimis canon quartus

Nicænæ Synodi : *Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia, constitui. Si autem sit hoc difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel viæ longitudinem, tres omnino eumdem in locum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus scriptisque assentientibus, tunc ordinationem* (χειροτονίαν) *fieri. Eorum autem quæ fiunt, confirmationem in unaquaque provincia a Metropolitano fieri.* Vox χειροτονία intelligenda est de electione simul et consecratione, prout adnotant eruditi.

Jam antea Laodicena Synodus, canone 13, ita præscripserat: *Ut Episcopi, Metropolitarum et eorum qui sunt circumcirca Episcoporum judicio constituantur. Turbis non esse permittendum, eorum qui sunt in sacerdotio constituendi, electiones facere* (vide apud Christ. Lupum, operum tomo 1, pag. 239, edit. Venetiis 1724).

Joannes scholasticus in sua collectione canonum, titulo 7, citatum Nicænum canonem ponit sub hac rubrica : *Oportere Episcopum, tum a Metropolitano, tum etiam ab omnibus ejusdem provinciæ Episcopis ordinari, vel præsentibus ipsis, vel scripto consentientibus ; ac non multitudini permittere electiones facere* (vide apud Christianum Lupum, loco citato).

Observandum est et tenendum (ait S. Cyprianus, epist. 64), *quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit.*

Tandem apertum omnino est testimonium Petri Alexandrini Episcopi, qui sancto Athanasio successit : *Sacros Ecclesiæ canones præscribere, ut episcopatus detur, consensu Episcoporum, suffragiis cleri, et populi postulatione* (apud Theodoretum, libro 4, cap. 20 : et textum hunc citat Christ. Lupus, in scholio ad canonem Nicænum quartum).

Evincunt allata documenta præcipuas in electione partes ad provinciæ Episcopos pertinuisse. Quod autem, juxta citatum Nicænum canonem, deberent omnes provinciæ Episcopi conve-

nire, « quoad Metropolitas receptum est (ait Christianus Lupus, « citato loco), non quoad provinciales : horum electioni in « quibusdam regionibus assistere et præsidere perseveravit « solus *interventor* seu *visitator* Episcopus : atque ita servatum « semper per Italiam, Illyricum et Gallias, liquet ex epistolis « sancti Ambrosii, sancti Leonis, ac Gregorii Magni. »

2° *Etiam ad clerum viduatæ ecclesiæ pertinuit per suffragia Episcopum eligere, concurrente aliquatenus populo.* — Jam adduximus Petri Alexandrini verba, quibus asserit jubere canones ut Episcopi eligantur, non tantum *consensu* Episcoporum, sed etiam *suffragiis cleri, et populi postulatione.* « Ait (S. Cyprianus) « electione totius fraternitatis, id est, cleri et plebis esse « suffragium ; judicium autem seu confirmationem, esse præ« sentium Episcoporum. » (Christ. Lupus, in scholio ad canonem 4 Nicæni Concilii.)

« Existimant quidam, plebem a canone (Nicæno 4) fuisse « privatam omni suffragio : at male. Nimis manifestum est, « et apud Orientis et apud Occidentis ecclesias, etiam postea « plebem *postulasse* et *suffragatam*, idque ex præscripto ca« nonum ; et contra eorumdem præscriptum frequenter usque « ad effusum sanguinem tumultuatam. » (Christ. Lupus, loco citato.)

Nulla ratio sinit, inquit S. Leo, *ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis, cum Metropolitani judicio consecrati* (S. Leo, edit. Ballerinorum, t. 1, col. 1420, epist. 167).

Juvat etiam hæc adducere S. Gregorii Magni verba ad Ravennatensem Metropolitam (Epistolarum libro 7, epist. 50) :

« Hortamur ut fraternitas vestra eum quem uno consensu « omnes elegerint, ad se faciat evocari ; quem cauta ex om« nibus examinatione discutite. Et si..., fidelium personarum « relatione, ejus vobis quidem vita placuerit, ad nos eum « cum decreti pagina, vestræ quoque addita testificationis « epistola, destinate ; quatenus ejusdem a nobis Ecclesiæ, dis« ponente Domino, consecretur Antistes. »

Scribebat Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus ad Hincmarum Laudunensem Episcopum : « In Rhemensi provincia « si fuerit defunctus Episcopus, ego, et non tu, visitatorem « ipsi viduatæ designabo ecclesiæ, et electionem cum de- « creto canonico præcipiam fieri. Et si in partes se eligentium « vota diviserint, meum et non tuum erit eligere, qui majo- « ribus et ordinandum studiis juvetur et meritis : et meum « est ordinandum examinare, non tuum. Tuum est autem « cum aliis mecum ordinare Episcopum ; et litteris canonicis, « quas ordinatus ab ordinatoribus suis jubetur accipere, post « me in tuo loco subscribere. » (*Opusc.* contra Hincmarum Laudunensem, cap. 6.)

Suam de tota electionum veteri disciplina mentem sic paucis exprimit Zaccaria : « Vel a vicinioribus Episcopis (cum « Metropolitano in Synodum apud ecclesiam Pastore vidua- « tam, aut apud metropolim, coactis), vel a Metropolitano, ad « cleri populique suffragia, coram Episcopo visitatore (quem « in Africa *interventorem* seu *intercessorem* appellabant) col- « lecta atque examinata, Episcopos fuisse olim delectos, « libens assentior. » (*Antifebronius vindicatus*, dissert. 8, cap. 1, n. 2.)

Hisce attentis, videtur sic exprimi posse generalior priscorum temporum quoad electiones disciplina : *Primo*, necessarium erat populi suffragium. *Secundo*, non sufficiebat suffragium populi ; sed necesse erat ut accederet etiam suffragium cleri ecclesiæ viduatæ. *Tertio*, non sufficiebat plebis et cleri suffragium, sed requirebatur Episcoporum provinciæ consensus. Unde, nisi simul concurrerent tria hæc, pro peracta non habebatur electio. *Quarto*, tandem, canonice facta electio vim non habebat, nisi confirmaretur. Dicimus ita intelligendam *generaliorem* priscorum temporum disciplinam. Quod enim nec semper nec ubique jus suffragii proprie dicti plebs habuerit, videtur omnino admittendum.

Ex quo populi jure, quot et quantæ ortæ sint dissensiones et ecclesiarum perturbationes historica testantur documenta :

« Hinc Gregorius Nazianzenus, in defuncti patris encomio, « stultam et temerariam plebem optat excludi ab electioni« bus, easque committi solis clericis et monachis : *sic enim* « *nunquam ecclesiis male esset.* » (Christ. Lupus, loco cit.)

Haud exiguas postea partes in electionibus sibi usurparunt principes sæculares, tolerante, ac quandoque etiam expresse consentiente Ecclesia. Ast inde etiam abusus multi.

Hinc, sæculo XII, solis cathedralibus capitulis jus electionis est attributum, juxta votum a Gregorio Nazianzeno, tanto antea tempore, emissum.

Tandem, cum ex illa etiam disciplina frequentissima dissidia, detrimenta multa orirentur, ineunte sæculo XIV, Episcoporum electiones sibi generaliter reservavit Sedes Apostolica, in solis Germaniæ capitulis eligendi jus perseverare permittens.

Iterum autem aliquas in Episcoporum electionibus partes consecuti sunt multi sæculares principes. Nimirum per Concordata obtinuerunt a Sede Apostolica jus nominandi, id est, Summo Pontifici præsentandi seu designandi quos optant elegi ac constitui in Episcopos.

Conclusio IIª. — *Etiam quando viguit exposita disciplina, ut ab aliis quam a Romano Pontifice Episcopi eligerentur et confirmarentur, interveniebat multiplicater Ipsius auctoritas, imo ex sua sola auctoritate, ubi id expedire arbitrabatur, Episcopos Ipse constituebat.* — 1° « Nihil eorum quæ ad ejusmodi ele« ctiones pertinent (sive eligendos, sive electores, sive ipsius « electionis formam spectes) designare erit, de quo Apostoli« lica Sedes pro sua auctoritate multa sæpius non præscri« pserit observanda. Imo quæ saltem in *Occidente* servata est « universa electionum norma, eam ad Romanorum Pontificum « leges prorsus exactam invenies. Confer decretales epistolas « Siricii ad Himerium et ad orthodoxos ; Innocentii I ad Vi« ctricium et ad Synodum Toletanam ; Zozimi ad Patroclum, « itemque ad clerum ordinem plebemque Massiliensem ; Cœ« lestini ad Episcopos per Viennensem et Narbonensem pro-

« vincias; S. Leonis ad Anastasium Thessalonicensem; Sym-« machi ad Cæsarium Arelatensem; S. Gregorii Magni, lib. 2, « epistolam 19 veteris editionis. » (Zaccaria, *Antifebronius vindicatus*, dissert. 8, cap. 1, n. 3.)

2° « Si quæ super electionibus controversia oriebatur, ad « Romanos Pontifices dirimenda mittebatur; quemadmodum « in Hispaniis contigit, unde Minicii et Rufini ad Innocen-« tium I, Sylvani et Irenæi ad Hilarium causam delatam « novimus. Hæc aliaque exempla congerit clarissimus Pater « Bianchi, tomo 4, capite 3, § 2. » (Zaccaria, loco citato.)

3° Interdum electiones a Summis Pontificibus improbatas legimus, aliosque electis, ex suæ Sedis jure, suffectos. Refert Optatus Milevitanus (libro 1, contra Parmen.) missos in Africam fuisse Eunomium et Olympium Episcopos, ut duos de episcopatu contendentes removerent, et unum ordinarent. *Necesse est fateri* (ait in hunc Optati locum Albaspinœus) *hos duos Episcopos a Summo Pontifice fuisse missos; alioquin potestatem non habuissent alium in Africa ordinandi*. Vacante Ravennatensi sede, electi fuerant Donatus et Joannes. Utrumque rejecit Gregorius Magnus, et ipsemet Marinianum elegit et ordinavit (Epistolarum libro 1, epist. 57, juxta novum ordinem). Ariminenses Odcatinum sibi elegerant. Eum rejecit idem S. Gregorius, et litteris Episcopo *visitatori* mandavit, ut, vel electores alium ex illius ecclesiæ gremio eligerent, vel ille quem ipse indicabat præficeretur. Et notetur id non fecisse S. Gregorium ex metropolitico jure, cum Ravenna jam tunc metropolis esset, eique sedes Ariminensis subjiceretur.

4° Anno 649, per Orientem grassante Monotelitarum hæresi, Martinus I Joannem Philadelphiensem, tanquam suum Legatum destinavit, cum potestate constituendi Episcopos, atque etiam presbyteros et diaconos : *Ut sic prosperans in Domino, ea quæ desunt corrigas; et constituas per omnem civitatem earum quæ sedi tum Hierosolymitanæ tum Antiochenæ subsunt, Episcopos, et presbyteros et diaconos : hoc tibi omnimodo facere præcipientibus nobis, ex Apostolica auctoritate, quæ data*

est nobis a Domino per Petrum sanctissimum et Principem Apostolorum ; propter angustias temporis nostri, et pressuram gentium : ne usque in finem in illis partibus deficiat sacerdotalis decoris eximius ordo (Epistola 5, apud Mansi, tomo 10, col. 806). Nullus autem ex orientalibus Patriarchis aut Metropolitanis ullas de hoc interventu querelas emisisse refertur.

5° Præsentem conclusionem tuetur et pluribus factis firmat Pius VI (in Brevi *Quod aliquantum*, t. 1, p. 172, collectionis Brevium a D. Guillon editæ Parisiis 1798), in hunc modum : « Neque ideo Romani Pontifices unquam suam auctoritatem « otiosam quiescere pertulerunt. Nam divus Gregorius « Magnus delegavit Joannem subdiaconum, qui Genuam pro- « ficisceretur, ubi plures erant Mediolanenses, ut eorum « perscrutaretur voluntates supra Constantio ; quæ si in « ipsius favorem perdurarent, eum in Episcopum Mediolani « tunc a propriis Episcopis, *cum Pontificiæ auctoritatis assensu* « faceret consecrari. Rursus in epistola ad diversos Episcopos « Dalmatiæ præcepit, ex B. Petri Principis Apostolorum au- « ctoritate, ut nulli penitus, extra consensum permissionemque « suam in Salonitana civitate manus imponere præsumerent, « nec quempiam in civitate ipsa aliter quam ipse diceret Epi- « scopum ordinare ; et si præceptionem suam transgrede- « rentur, Dominici corporis et sanguinis participatione « privarentur, et quem ordinavissent, non haberetur Episco- « pus. Item, epistola ad Petrum Episcopum Hydruntinum, « eidem mandavit, ut, defunctis Episcopis Brundusii, Lupiæ « et Gallipolis, ad illas se conferret, et visitationem pera- « geret, curaretque ut iis præficerentur sacerdotes tanto « ministerio digni, qui ad Pontificem venirent, ut munus « consecrationis reciperent. Postmodum, epistola ad Medio- « lanenses approbat, quod in locum defuncti Episcopi Con- « stantii eligerent *Deus dedit*, cui si nihil esset quod per sacros « canones posset obviare, decrevit quod ex sua auctoritate « solemniter ordinaretur. S. Nicolaus I non destitit increpare « Lotharium regem, quod ad episcopatum viros sibi solum

« gratos in regno suo efferri studeret ; adeoque Apostolica « auctoritate injunxit, sub divini judicii obtestatione, ut in « Trevirensi urbe et in colonia Agrippinæ, nullum eligi pate- « retur, antequam relatum super hoc Pontificio esset Aposto- « latui. Insuper Innocentius III Sennensem Antistitem recenter « reprobavit, eo quod se ultro episcopali solio immiserit, « antequam a Romano Pontifice ad illud vocaretur, vel in illo « firmaretur. Similiter quoque dejecit Conradum Episcopum « a sede tum Hildesiensi, tum Wirtzburgensi, eo quod utram- « que inconsulto Romano Pontifice arroganter assumpserit. « Petiit humiliter S. Bernardus ab Honorio II, ut Albericum « Catalaunensem suo suffragio electum confirmare dignaretur. « Quod plane ostendit sanctum abbatem agnovisse nullius « momenti Episcoporum electiones esse, nisi Apostolica inter- « cederet approbatio. »

Probant facta hæc, ita olim ad alios pertinuisse Episcopos eligere aut confirmare, ut nequaquam exclusum censeretur jus Romani Pontificis; sed e contra bene intelligeretur, supremam in hac re potestatem penes ipsum permanere. In praxi tamen, nonnisi raro et exigente aliqua extraordinaria causa, solebant Romani Pontifices intervenire, et præter solitam formam Episcopos constituere.

§ III.

Potestas Episcopos eligendi ac confirmandi, aliis quam Romano Pontifici olim competens, ex ipsius Romani Pontificis voluntate et concessione tota defluxerat.

Prænotanda. — I. Duobus superioribus paragraphis exposuimus quænam fuerit vetus disciplina, circa Episcoporum electionem et ordinationem ac confirmationem. Cujus expositionis hæc summa est : 1° ad Romanum Pontificem pertinuit Orientis Patriarchas confirmare. 2° Ad orientales Patriarchas pertinebat suorum patriarchatuum Metropolitanos ordinare, ac proinde eosdem approbare seu confirmare : cæteros Ori-

entis Episcopos ordinabant Metropolitani, approbante tamen seu confirmante Patriarcha. 3° In Occidente, ad Romanum Pontificem primitus pertinebat Metropolitanos ordinare, ac proinde eos approbare ac confirmare. 4° Ob longinquitatem ac difficultates itineris, indulsit Sedes Apostolica ut possent Occidentis Metropolitani in Synodis ordinari. 5° Suffraganeos suos in Occidente ordinabant Metropolitani. 6° Ad electionem quod attinet, sive in Oriente sive in Occidente, fuit simul penes comprovinciales Episcopos, clerum viduatæ ecclesiæ, et ejusdem ecclesiæ populum.

Sex illa capita tanquam *certa* tradidimus et probavimus. Duo alia posuimus dumtaxat tanquam *probabilius* vera, videlicet : 1° Postquam Romani Pontifices indulserunt ut Occidentis Metropolitani possent in Synodis ordinari, eorum confirmationem sibi reservarunt. 2° Quoad cæteros etiam Episcopos, qui a respectivis Metropolitanis ordinabantur, necessaria erat confirmatio Sedis Apostolicæ.

II. Sub præsenti paragrapho, adversariis duo illa ultima capita negantibus, dicemus, *transeat*. Contendunt nempe adversarii, potuisse (in Galliis saltem et aliis quibusdam regionibus) ita ordinari Metropolitanos in Synodis, et suffraganeos a suis respective Metropolitanis, ut necessaria non foret Summi Pontificis confirmatio. Ad hanc ergo eorum opinionem dicimus hic, *transeat*. Non quod illam admittamus : absit : sed ad abundantiam juris, et quia, permissa etiam hac hypothesi, erroneum et absonum peremptorie probatur eorum schismaticum systema, quod hic explodere intendimus.

III. Totus ergo controversiæ cardo is est : an Romani Pontifices, quando recentioribus temporibus Episcoporum electionem et confirmationem sibi reservarunt, jus Episcopis et Synodis competens sibi injuste usurpaverint ? Dicunt adversarii : hac agendi ratione, *jus alienum* Romana Curia invasit. Nos dicimus : hac agendi ratione *jus suum*, quod ab aliis exerceri olim permiserat, Sedes Apostolica resumpsit, atque ad fontem a quo defluxerat revocavit. Id si verum sit, parvi

refert, quod hi vel illi has vel illas partes circa Episcoporum electionem et confirmationem antiquitus habuerint; dummodo constet, quidquid juris habuerunt, id eos a Sede Apostolica recepisse, nec alium exstitisse horumce jurium originalem fontem. Porro id omnino constare, probatur sub præsenti paragrapho, argumentis sequentibus :

ARGUMENTUM I. — *Ex historia.* — Rem probabimus per partes, hac triplici propositione : 1° quidquid juris circa Episcoporum confirmationem habuerunt in Oriente alii præter Romanum Pontificem, a Sede Apostolica receperunt : 2° si quid juris circa Episcoporum confirmationem habuerint in Occidente alii præter Romanum Pontificem, item a Sede Apostolica receperunt : 3° quidquid juris circa Episcoporum electionem habuerunt alii præter Romanum Pontificem, sive in Oriente, sive in Occidente, pariter a Sede Apostolica receperunt.

I. *Quidquid juris circa Episcoporum confirmationem habuerunt in Oriente alii præter Romanum Pontificem, a Sede Apostolica receperunt.*— 1° Eruditis explorata res est, ab Apostolo Petro constitutas fuisse in Oriente duas principales sedes Alexandrinam et Antiochenam. Id testantur S. Leo, S. Gelasius, S. Innocentius I, S. Chrysostomus, et tota antiquitas. Nec minus certum est, tres dumtaxat primitus exstitisse patriarchales sedes, Romanam scilicet, Alexandrinam et Antiochenam. Hierosolymitana patriarchalis non erat Nicæni Concilii tempore; sed Metropolitano subjecta. Constantinopolitana vero nonnisi multo tardius in patriarchalem evecta est. Id probamus infra (parte 6, sect. 1, cap. 1, § 2). Hic dumtaxat unum aut alterum documentum adducemus, quo probetur, fundatas revera a Petro Apostolo fuisse, ambas Orientis patriarchales sedes, Alexandrinam videlicet et Antiochenam. In celebri decreto Gelasii, in Concilio Romano anni 494, sic legitur : « Illud « etiam intimandum putamus, quod... sancta Romana Catho- « lica et Apostolica Ecclesia, nullis synodicis constitutis cæ- « teris ecclesiis prælata est; sed evangelica voce Domini et « Salvatoris nostri Primatum obtinuit, *Tu es Petrus*, inquien-

« tis, *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ* « *inferi non prævalebunt adversus eam;* et *Tibi dabo claves regni* « *cœlorum :* et *Quæcumque ligaveris...* Est ergo *prima* Petri « Apostoli Sedes Romana Ecclesia, *non habens maculam neque* « *rugam nec aliquid hujusmodi.*

« *Secunda* autem sedes, apud Alexandrinam beati Petri « nomine a Marco ejus et discipulo et evangelista, consecrata « est. Ipseque a Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum « veritatis prædicavit, et gloriosum consummavit martyrium.

« *Tertia* vero sedes, apud Antiochiam ejusdem Beatissimi « Petri Apostoli nomine habetur honorabilis; eo quod illic, « priusquam Romam venisset, habitavit. »

Hanc patriarchalium Orientis sedium a Petro Apostolo originem, quam tota testatur antiquitas, anno 858, in suis *responsis ad consulta Bulgarorum* sic iterum exprimebat Nicolaus I : « Desideratis nosse, quot sint veraciter Patriarchæ. « Veraciter illi habendi sunt Patriarchæ qui sedes apostolicas « per successiones Pontificum obtinent; id est, qui illis præ- « sunt ecclesiis quas Apostoli instituisse probantur : Roma- « nam videlicet, et Alexandrinam et Antiochenam. *Romanam,* « quam sanctorum Principes Apostolorum Petrus ac Paulus « et prædicatione sua instituerunt, et pro Christi amore fuso « proprio sanguine sacraverunt. *Alexandrinam* quam evange- « lista Marcus discipulus et de baptismate Petri filius a Petro « missus instituit, et Domino Christo cruore dicavit. *Antio-* « *chenam...*, quam Beatus Petrus, priusquam Romam veniret, « per annos aliquot gubernavit. Constantinopolitanus autem « et Hierosolymitanus Antistites, licet dicantur Patriarchæ, « non tantæ tamen auctoritatis quantæ superiores existunt. « Nam Constantinopolitanam ecclesiam nec Apostolorum « quisquam instituit; nec Nicæna Synodus, quæ cunctis Sy- « nodis celebrior et venerabilior est, ejus mentionem aliquam « fecit... » (Vide reliquum documentum infra parte 6, sect. 1, cap. 1, § 2.)

Ergo revera historice prorsus certum est patriarchales

Orientis ecclesias a Petro Apostolo fundatas et constitutas fuisse.

2° Stante autem hac dictarum sedium patriarchalium origine, dicimus a Beato Petro Apostolo ejusque successoribus repetendam esse totam jurisdictionem, quam sedes illæ habuerunt in reliquas Orientis ecclesias. Id omnino evincit argumentum, quo generatim probat Pius VI, episcopales gradus, seu distinctionem sedium in patriarchales, primatiales, metropolitanas et suffraganeas, non aliunde ortum habuisse, quam a Petri et successorum ejus auctoritate.

Sic nempe argumentatur Pius VI, *in responsione de Nunciaturis*, cap. 9, sect. 1, n. 8 et 9 : « Dicite, quæso, unde gra-
« duum distinctio, vi cujus, prout ab Ecclesiæ exordiis factum
« est, unus Episcopus pluribus aliis Episcopis quocumque
« tandem nomine præsideret? *Non a jure divino :* quippe
« ordo episcopatus, ut ipsimet sentiunt, unus est et par in
« omnibus. *Non ab universali Concilio :* quippe longe jam ante
« invaluerat ea distinctio, quam de cogendo universali Con-
« cilio cogitaretur. *Non a provincialibus Synodis :* quippe pro-
« vinciarum distinctionem antecedere debuit ipsa graduum
« distinctio, qua unus in definita quadam regione cæteris
« ejusdem provinciæ Episcopis præesset. *Non ex pacto convento*
« inter nonnullos Episcopos, quibus commodum visum esset,
« hanc hierarchiæ formam instituere : nam nec isti minuere
« poterant aut alteri subjicere auctoritatem sibi divinitus
« tributam; nec præter divinum institutum alterius cujusvis
« auctoritatem amplificare; aliunde nec successoribus eam
« legem præscribere potuissent, cui se ipsi sua voluntate
« subjecissent. »

« Sola ergo suprema Petri ejusque successorum auctori-
« tas.., antiquioribus sæculis, patriarchatus et primatias insti-
« tuit; certoque ordine edixit, ut pluribus Episcopis unus
« præficeretur, et uni plures subessent, ita tamen ut omnes
« *Ecclesiæ Matri* sine ullo discrimine subjicerentur. *Ostentant*
« *quidem* (inquit Thomassinus) *non paucæ* (Ecclesiæ) *fundatores*

« *Apostolos. At unius Petri administratio, quas illustravit eccle-* « *sias, eas gradu honoris et potestatis præ cæteris conspicuo de-* « *coravit* (*Vetus et nova disciplina*, parte 1, l. 1, c. 14, n. 1). « Et rursus luculentiori sermone : *Privilegio Petri, supra cæ-* « *teros Apostolos evecti, contineri Patriarcharum, Primatum, et* « *Metropolitanorum omnium privilegia. Hæc enim omnia in eo* « *sita sunt quod præsint Episcopi alii aliis. At Christus Aposto-* « *lis solum Petrum præesse jussit. Hinc ergo perspicue illud effi-* « *citur, quascumque Episcoporum supra alios Episcopos præcel-* « *lentias, ceu radios a sole luminis fonte, ab hac prærogativa* « *manasse.* » (*Vetus et nova disciplina*, loco cit., n. 4.)

Cæterum a Petro jura sua omnia recepisse Orientis Patriarchas et ipsimet Patriarchæ, et omnes Orientales perpetuo tenuerunt. Hinc quando in Chalcedonensi Concilio tentavit Constantinopolitanus Episcopus, obsecuudante imperatore, patriarchalem dignitatem et secundum inter Patriarchas locum consequi, necnon jus ordinandi provinciarum Ponti, Thraciæ et Æliæ Metropolitanos, non ab alio id obtineri posse existimatum est quam a Romano Pontifice. At sanctus Leo id recusavit ; et canon Chalcedonensis 28, quo hæc jura Constantinopolitano Episcopo adscribebantur irritus et inanis remansit. Et nonnisi longo post tempore, consentientibus tandem Romanis Pontificibus, jurisdictionem patriarchalem Constantinopolitana sedes obtinuit.

3° Quod Orientales Patriarchæ debuerint a Romano Pontifice confirmari, est factum historicum, quod supra (§ 1, concl. 1) certum omnino probavimus. Ergo non potuerunt ullam patriarchalem jurisdictionem habere nisi a Romano Pontifice. Ergo neque potuerunt habere aliunde quam a Romano Pontifice jus ordinandi, et ordinando approbandi et confirmandi Metropolitanos patriarchatui suo subjectos. Ergo revera quidquid juris habuerunt Orientis Patriarchæ sive in sui patriarchatus Metropolitanos, sive in Metropolitanorum illorum suffraganeos, totum habuerunt a Romano Pontifice.



4° Idem *a fortiori* concludendum venit de jure quo potiti sunt Orientis Metropolitani suos ordinandi suffraganeos. Ut patet applicando citatum Pii VI argumentum.

Ergo, attentis documentis historicis, omnino pro certa tenenda est propositio hæc : « Quidquid juris circa Episco- « porum confirmationem habuerunt in Oriente alii præter « Romanum Pontificem, a Sede Apostolica, id est, a Petro « vel ab ejus successoribus receperunt. » Jam ad Occidentem gressum faciamus.

II. *Si quid juris circa Episcoporum confirmationem habuerint in Occidente alii præter Romanum Pontificem, a Sede Apostolica receperunt.* — 1° Ad rem faciunt hæc Innocentii I verba : *Cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam et Insulas interjacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes. Aut legant, si in his provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit* (1) (Epist. 25, ad Decentium Eugubinum Episcopum ; apud Coustant, col. 856). Ex illo documento sic arguimus : *Primo,* cum nulla ecclesia in Occidente constituta sit, nisi auctoritate Petri vel successorum ejus, neque ulla sedes in metropolitanam erecta est nisi eadem Romani Pontificis auctoritate. Ergo jus metropoliticum nulla sedes in Occidente accepit nisi a Romano Pontifice. Ergo *primo* si jus habuerint olim Occidentis Metropolitani suos suffraganeos ita ordinandi, ut necessaria non foret Romani Pontificis confirmatio, hoc ipsum jus eis a Romano Pontifice concessum est.

Secundo, cum omnes Occidentis Ecclesiæ auctoritate Romani Pontificis fuerint constitutæ, Episcopi singularium sedium

(1) Asserere ausi sunt nonnulli cum Febronio errasse Innocentium I, et verisimilius constitutas in Occidente fuisse episcopales sedes ab aliis quam a Petro et ejus successoribus. Quæ impudentia plane ostendit quam bene senserint hujusce documenti vim.

totum jurisdictionale jus suum a Romano Pontifice receperunt. Ergo si uniuscujusque provinciæ Episcopi potuerint Metropolitanum suum synodice ordinare, ita ut necessaria non fuerit confirmatio Romani Pontificis, hoc ipsum jus Episcopis illis ab eodem Romano Pontifice collatum est. Quod postremum sic etiam ostendi potest : Occidentis Metropolitani, ex dictis, jus metropoliticum non habuerunt nisi a Romano Pontifice : ergo potuit Romanus Pontifex jus illud eis non concedere nisi ab ipso fuissent ordinati : ergo si postea Metropolitani potuerint ordinari a suis suffraganeis in Synodo, et sic jus metropoliticum acquirere, id non potuit contingere nisi ex concessione et approbatione Romani Pontificis. Ergo revera quidquid juris, circa Episcoporum confirmationem habuerunt in Occidente, sive Metropolitani, sive Episcopi provinciæ in Synodum adunati, totum a Sede Apostolica defluxerat.

2° Jam historice supra (§ 1, conclusione 4) probavimus, debuisse primitus Occidentis Metropolitanos a Romano Pontifice ordinari, nec nisi ex Indulto Romani Pontificis, ob longinquitatem et itineris difficultates id permittentis, potuisse ordinari in respectivis provincialibus Synodis. Ergo si jus habuerint Episcoporum Synodi Metropolitanos ita ordinandi, ut necessaria non foret Sedis Apostolicæ confirmatio, jus illud a Romanis Pontificibus defluxit.

3° Nulla ratio est supponendi originem hujusce juris Episcopos confirmandi, in aliis Occidentis regionibus aliam fuisse ac in Anglia. Sed in Anglia quidquid juris alii præter Romanum Pontificem habuerunt, circa Episcoporum ordinationem seu confirmationem, a Sede Apostolica provenit; ut constat ex hac sancti Gregorii Magni epistola ad Augustinum monachum Anglorum apostolum : « Et quia nova Anglorum « ecclesia ad Omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino lar« giente et te laborante perducta est, usum tibi Pallii in ea « (ad sola missarum solemnia agenda) concedimus : ita ut per « loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuæ ditioni

« subjaceant : quatenus Londinensis Episcopus civitatis sem-« per in posterum a Synodo propria debeat consecrari, utque « honoris Pallium ab hac Sancta et Apostolica (cui auctore « Deo deservio) Sede percipiat. Ad Eboracam *(Yorck)* vero « civitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse judi-« caveris ordinandum : ita ut si eadem civitas cum finitimis « locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim Epi-« scopos ordinet, ut Metropolitani honore perfruatur ; quia « et ei quoque, si vita comes fuerit, Pallium tribuere, Domino « favente, proponimus... Tua ergo fraternitas non solum eos « Episcopos, quos ordinaveris, neque eos tantummodo qui « per Eboracensem Episcopum fuerint ordinati, sed etiam « omnes Britanniæ sacerdotes habeat, Domino Deo nostro « auctore, subjectos. » (Libro 12 epistolarum, epist. 15 veteris editionis.)

En ergo ecclesiarum Angliæ exordium et primævam constitutionem : duo constituti sunt Metropolitani ; unicuique subjecti suffraganei duodecim ; et Augustino Londinensi Metropolitano, tanquam Sedis Apostolicæ Vicario, jurisdictio in hos et omnes futuros Britanniæ Episcopos tribuitur. Unde, quæso, jus suum habuerunt isti Metropolitani? Unde Londinensis provinciæ Synodus prærogativam desumpsit Metropolitanum suum ordinandi? Nonne horum jurium unicus fons Romana Sedes? Quod autem tunc peregit S. Gregorius Magnus, idem ipsius antecessores peregerant per varias Occidentis provincias, quando in eis fides propagabatur; excepto quod non statim in pluribus constitutos fuisse Metropolitanos, et horum (quando constituti sunt) non ubique Synodis permissam fuisse eorum ordinationem, historice constat, ut supra ostendimus.

4° Tandem quidquid juris habuerunt circa Episcoporum ordinationem et confirmationem, sive Metropolitani, sive Synodi Occidentis, nisi habuerint a Romano Pontifice, dicant adversarii unde deprompserint. Retrogrediamur usque ad primum qui in Occidente constitutus sit Metropolitanum. Huic

scilicet (sive Carthaginensis Episcopus fuerit, sive alins) quisnam, quæso, metropoliticum jus contulit? An aliquis Orientis Patriarcha? Sed Orientales Patriarchæ in Occidente nunquam jurisdictionem habuerunt. An Concilium aliquod œcumenicum? Sed vim habere non potnerunt œcumenici Concilii decreta nisi per confirmationem Romani Pontificis. An Christus ipse denuo in terris apparuit, ut per seipsum primam Occidentis metropolitanam sedem erigeret, et jus metropoliticum ei annecteret? Sed deliramentum illud confutat perpetua Ecclesiæ praxis, qua semper tanquam institutionis mere ecclesiasticæ metropolitana jura habita sunt. Remanet ergo ut a Romano Pontifice, Occidentis Patriarcha, et supremo simul universalis Ecclesiæ Pastore, prima Occidentis metropolitana sedes erecta sit, et tum alia metropolitica jura, tum etiam illud speciale jus suffraganeos suos ordinandi acceperit. Et quod de primo dicitur, id et de singulis postea in Occidente institntis Metropolitanis dicendum est, ut patet.

Item retrogrediamur ad primam provincialem Synodum quæ in Occidente jus habuerit suum Metropolitanum ordinandi? Undenam hoc ei jus contigit? Cum, ex dictis, hujnsce provinciæ Metropolitanus jus metropoliticum non habeat nisi a Papa, et quale a Papa ei concessum est, non potest jus illud metropoliticum accipere a coadunatis suffraganeis, nisi ipse Papa ejusmodi Synodo facultatem dederit, jura metropolitica conferendi. Id nisi Papa concesserit, poterunt quidem suffraganei Metropolitanum valide consecrare; sed is nullam ex tali ordinatione jurisdictionem consequetur.

Ergo revera, attenta ecclesiarum Occidentis historica origine, omnino colligitur veritas hujus propositionis : « Si quid « juris circa Episcoporum confirmationem habnerint in Occi« dente alii præter Romanum Pontificem, a Sede Apostolica « receperunt. »

III. *Quidquid juris circa Episcoporum electionem habuerint alii præter Romanum Pontificem, sive in Oriente, sive in Occidente, a Sede Apostolica receperunt.* — Nam 1°, initio locum

non habuit electionis forma per comprovinciales Episcopos et per clerum et populum ecclesiæ viduatæ. Sanctus Paulus Timotheum Ephesi, Titum insulæ Cretæ, Dionysium Areopagitam Corinthi, Episcopos ordinavit. Sanctus Joannes Polycarpum Smyrnæ Episcopum dedit. S. Petrus Evodium sibi successorem in sede Antiochena constituit. Ipse S. Marcum Evangelistam Alexandriam misit. « Ac prope innumerabiles « missi fuerunt ad populos absentes et infideles, qui per « Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam et Bithyniam solo « Apostolorum judicio ecclesias ab ipsis fundatas pastorali « officio gubernarent. » (Pius VI, in Brevi *quod aliquantum*, collectio Brevium, a D. Guillon edita Parisiis 1798, tom. 1, pag. 168.)

Equidem adhibita est electionis forma ad eligendum unum qui succederet in Apostolatu de quo prævaricatus erat Judas. At qua de causa, sic exponit S. Chrysostomus (hom. 3, in Act. Apost., tom. 9, pag. 25 editionis Benedictinorum) : « Quid ergo? An Petrum ipsum eligere non licebat? Licebat « utique; sed ne videretur ad gratiam facere, abstinet. »

2° Ille ad quem originarie pertinuit tota potestas Episcopis jurisdictionem conferendi, seu eos confirmandi, hoc ipso potuit confirmare quos volebat, et quos nolebat absque jurisdictione relinquere. Ergo potuit solis a se electis et approbatis jurisdictionem conferre. Ergo habuit simul originarie totum jus eligendi; ita ut nonnisi ex ipsius concessione aliis competere potuerit jus aliquod circa eligendos Episcopos. Sed ex documentis historicis probatum est, ad Romanum Pontificem pertinuisse originarie totum jus Episcopos confirmandi, eisque jurisdictionem conferendi : ergo et ad ipsum originarie pertinuit jus eligendi.

Argumentum II. — *Ex sacra Scriptura.* — 1° Petro dictum est : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Et, tota testante traditione, potestas his verbis Petro collata, agnoscenda etiam est in Petri successoribus Romanis Pontificibus. Porro ut sit Romanus Pontifex quoad

totam Ecclesiam quod est fundamentum quoad totum ædificium, necesse est ut tota potestas regiminis ab ipso accipiatur. Nam fundamentum totum ædificium sustinet; ita ut columnæ ac lapides fundamento superpositi vim quam habent sustinendi fabricam, totam quantam habeant a fundamento, quo innituntur. Jam vero tota potestas Ecclesiam regendi non acciperetur et derivaret a Romano Pontifice, nisi ad ipsum pertineret tota potestas constituendi Episcopos, per quos variæ Ecclesiæ partes regantur. Ergo revera ad ipsum pertinet plena potestas Episcopos eligendi, mittendi et cum jurisdictione constituendi.

2° Petro dictum est, *pasce agnos, pasce oves;* quæ verba, tota testante traditione, plenam exprimunt Romani Pontificis potestatem totum ovile pascendi, regendi et gubernandi. Porro talem potestatem non haberet, si non posset Episcopos eligere et constituere, qui varias Ecclesiæ partes sub ejus suprema auctoritate gubernent. Si nempe alii præter ipsum et independenter ab ipso valeant Episcopos eligere et confirmare, falsum est ipsi competere plenam potestatem totum ovile pascendi.

3° Ecclesiæ constitutionem exprimit sacra Scriptura sub metaphoris *regni, civitatis* et *ovilis;* quæ metaphoræ formam monarchicam aperte denotant. Nam *regnum* non est, nisi ab uno, idest, a rege gubernetur: et ovile regitur a solò pastore, non autem simul ab ovibus, quæ potestatem a pastore independentem habeant. Jam vero si possint Episcopi ab aliis independenter a Romano Pontifice eligi et confirmari, verus monarcha non est Romanus Pontifex.

Argumentum III. — *Ex Conciliis.* — 1° Concilium Florentinum ita pronuntiavit: « Definimus, sanctam Apostolicam « Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere « Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse « Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum « Patrem et Doctorem existere; et ipsi in Beato Petro *pas-*

« *cendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universam, a Christo* « PLENAM *potestatem esse.* » Porro si alii præter Romanum Pontificem possent independenter ab ipso Episcopos eligere et confirmare, non *plena,* sed valde mutila et trunca foret Romani Pontificis potestas quoad regendam Ecclesiam. Plena sane nunquam diceetur illius regis potestas, in cujus regno provinciarum gubernatores ab aliis independenter ab ipso constitui possent. Cum ergo non minus olim quam nunc *plena* fuerit in Romano Pontifice regiminis potestas, utpote a Christo cum hac plenitudine ipsi tradita, repugnat potuisse antiquitus Episcopos eligi ac confirmari independenter a Romano Pontifice. Ergo qui olim hanc potestatem Episcopos eligendi et confirmandi habuerunt, nonnisi dependenter a Romano Pontifice, ac proinde ex ipsius consensu et concessione, eam habuisse censendi sunt.

2° Inter damnatas a Martino V in Concilio Constantiensi Wiclefi propositiones, hæc erat 37ª : *Ecclesia Romana est synagoga Satanæ; nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum.* Hinc esse Papam *proximum* et *immediatum* Christi in terris Vicarium, tanquam dogma catholicum tenendum est. Porro non esset in regenda Ecclesia proximus et immediatus Christi Vicarius, si alii præter ipsum Episcopos eligere et confirmare independenter ab ipso valerent. Tunc enim variæ diœceses legitime regerentur non per potestatem ab ipso acceptam, sed per potestatem acceptam aliunde. Episcopi nempe potestatem acciperent a Christo per suos electores et confirmatores a Papa diversos, et in hoc ab ipso independentes. Ergo isti electores et confirmatores essent *immediati* et *proximi* Vicarii Christi, in conferenda Episcopis jurisdictione. Ergo nisi isti electores et confirmatores potestatem quam olim exercuerunt, a Papa receperint, falsum est Papam esse proximum et immediatum Christi Vicarium.

3° Concilium Lateranense IV, ex græcis et latinis constans sic habet : *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum.* Porro jurisdictionem

ordinariam non haberet Romanus Pontifex in aliquam diœcesim, si posset ab aliis independenter ab ipso legitime constitui in hac diœcesi Episcopus. Vel enim posset hunc Episcopum ejicere, et alium ipse constituere, vel non : si prius, ergo non possent independenter ab ipso ulli electores aut confirmatores Episcopum legitime constituere ; et quod olim id legitime fecerint, non potuit contingere nisi ex ipsiusmet Romani Pontificis concessione : si posterius, ergo non habebit Papa ordinariam jurisdictionem et principatum ordinariæ jurisdictionis in hac diœcesi.

Objicies. — Episcopus habet jurisdictionem *ordinariam* in sua diœcesi, et tamen possunt parochi ab aliis legitime constitui, et ita ut non possint ab Episcopo nisi ex causa canonica removeri. Ergo pariter *ordinaria* esse potest in diœceses Romani Pontificis jurisdictio , quamvis alii jus habeant Episcopum eligendi et confirmandi.

Respondeo. — Nego paritatem. Nam ideo potest parochus ab aliis (verbi gratia a Papa vel Concilio œcumenico, et quibus Papa vel Concilium id tribuerit) independenter ab Episcopo constitui, quia Episcopus suam ordinariam jurisdictionem habet subordinatam superiori jurisdictioni, et ab ista superiori restringibilem, nimirum ipsi non competit jurisdictionis ordinariæ *principatus.* At Papa illum principatum habet; unde repugnat posse hanc suam ordinariam jurisdictionem restringi.

4° In Concilio Lateranensi V, approbavit Leo X Concordatum, quo Episcoporum nominationem regi concedebat, eorum autem provisionem, id est, electionem et confirmationem, sibi reservabat. Simul autem irritam et schismaticam declaravit Pragmaticam Sanctionem in Galliis anno 1438 editam, qua independenter a Sede Apostolica tentata fuerat priscæ disciplinæ circa Episcoporum electionem et confirmationem instauratio. Hæc a Leone X, *ex suæ potestatis plenitudine* decreta, approbavit Concilium. Ergo existimaruut Patres hujus Concilii posse revocari a Romano Pontifice potestatem, quam olim

alii præter ipsum habuerunt, Episcopos eligendi ac confirmandi : ergo existimarunt hancce potestatem non potuisse aliis competere, nisi dependenter a Romano Pontifice, et ex ipsius permissione seu concessione : ergo existimarunt hancce priscam aliorum potestatem, originarie a Romano Pontifice defluxisse.

5° Tridentinum Concilium (sess. 23, canone 8) ita definivit : *Si quis dixerit Episcopos qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.* Iste canon generalis est quoad loca et tempora. Unde verus etiam est quoad tempus quo viguit prisca disciplina de qua loquimur. Ergo etiam tunc potuit Romanus Pontifex in omnibus diœcesibus constituere Episcopos ab ipso solo *assumptos*, id est, electos et confirmatos, et hi Episcopi fuissent legitimi. Ergo etiam tunc potuit revocare et annullare jus Episcopos eligendi et confirmandi quod alii præter ipsum habebant. Ergo jus illud fuit ab initio et semper a Papa revocabile. Ergo jus illud stare non potuit nisi ex concessione Sedis Apostolicæ. Ergo originarie à Romano Pontifice totum defluxerat.

Idem sic ex citato canone concludi potest : semper verum fuit et erit, Episcopum a Papa assumptum et missum esse legitimum. Ergo antiquitus etiam legitimus fuisset Episcopus quem ipse solus Papa elegisset et confirmasset. Hoc autem verum esse non potest, nisi simul verum sit potuisse a Papa illegitimos reddi Episcopos ab aliis electos et confirmatos. Nam admitti nequit duplicem olim exstitisse in Ecclesia auctoritatem independentem, quarum utraque potuerit in eadem sede vacante Episcopum legitimum constituere : tum quia repugnat Christum Ecclesiam suam constituisse cum illo manichæismo duplicis supremæ et ab invicem independentis potestatis; tum quia simul duo Episcopi eamdem diœcesim regendi potestatem habere nequeunt. Ergo si vere potuerit Papa Episcopos legitime constituere cum sola sua electione et confirmatione, potuit hoc ipso illegitimos reddere electos et con-

firmatos ab aliis. Ergo potuit semper irritum reddere jus illud quod habuerunt olim alii præter ipsum, Episcopos eligendi et confirmandi. Ergo jus illud vim nunquam habere potuit nisi ex ejus concessione.

In eodem Concilio Tridentino, sessione 24, capite primo *de Reformatione,* quoad Episcopos ecclesiis præficiendos, sic legitur : *Omnes vero et singuli, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus, quacumque ratione, a Sede Apostolica habent...* Porro verba hæc supponunt, nullis competere ullum jus circa Episcopos constituendos, nisi *a Sede Apostolica* jus illud habeant.

Sub finem ejusdem capitis, declaratur : *Nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quam ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat ut... idoneos Pastores singulis ecclesiis præficiat : idque eo magis, quod ovium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium et sui officii immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus.* Ergo præficere idoneos Pastores *singulis ecclesiis* ad Romanum Pontificem pertinet, non ex jure humano, sed ex jure divino ; cum ad id strictissime teneatur *ex officio muneris sui ;* quod sane munus non a Concilio aliquo, sed a Christo institutum est. Jam vero, si alii præter Papam, et independenter ab ipso, Episcopos eligere et confirmare valeant, falsum est ad ipsum de jure divino et ratione muneris sui pertinere officium Episcopos idoneos *singulis ecclesiis* præficiendi. Ergo etiam olim, dum alii præter Papam Episcopos eligebant et confirmabant, id ad ipsos pertinere non potuit nisi ex concessione et commissione Papæ ; quatenus nempe Papa eorum ministerio uti voluit ad hoc suum proprium munus explendum.

ARGUMENTUM IV. — *Ex variis dogmaticis definitionibus ac declarationibus, et Pii VI auctoritate.* — 1° In Bulla *Auctorem fidei,* tertia ex damnatis propositionibus hæc est : « Insuper « quæ statuit, Romanum Pontificem esse caput ministeriale ;

« — sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona Beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii « accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi Vicarius, « ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia; — « hæretica. » Ex illa damnatione sic arguimus : ut Romanus Pontifex sit verus Christi Vicarius et caput *in universa Ecclesia*, necesse est ut talis sit quoad unamquamque diœcesim. Porro si possent alii, independenter ab ipso, Episcopum in aliqua diœcesi eligere et confirmare, non esset Romanus Pontifex quoad illam diœcesim verus Christi Vicarius et caput. Nam ut talis sit, necesse est ut ad ipsum pertineat principalis potestas hanc diœcesim gubernandi : atqui in dicta hypothesi, potestatem hanc non haberet Romanus Pontifex. Nam ipse haberet dumtaxat potestatem corrigendi et deponendi hujus diœcesis Episcopum officio suo male fungentem, atque ipsi præcipiendi; potestas autem Episcopum eligendi et legitime ac cum jurisdictione constituendi, pertineret ad electores et confirmatores. Sed posterior hæc potestas tanta est, ut illa carens Romanus Pontifex, jam in vero et proprio sensu *caput* hujus diœcesis dici non possit. Essent enim duo capita ab invicem independentia quibus subjaceret illius diœcesis regimen. Alterum ad quod pertineret Episcopum eligere et cum jurisdictionali potestate constituere : alterum, cui constitutus Episcopus quoad suæ potestatis usum subordinaretur. Porro qui dicitur *caput*, ita non vocatur nisi per similitudinem cum humano corpore, in quo unicum supponitur caput, et non duplex. Ergo révera, in dicta hypothesi, Romanus Pontifex vere non esset *Christi Vicarius* et *in universa Ecclesia caput*. Ergo quidquid potestatis olim habuerunt alii præter ipsum, in eligendis et confirmandis Episcopis, non habere potuerunt nisi dependenter ab ipso, ac proinde ex ipsius assensu et concessione.

2° In Brevi dogmatico *super soliditate*, 28 novembris 1786, postquam memoravit Pius VI : « Quod Petri successor, hoc « ipso quod in Petri locum succedit, assignatum sibi habeat

« jure divino Christi gregem universum, ut simul cum epi« scopatu potestatem accipiat universalis regiminis, » ita subjungit : « Cæteris porro Episcopis suam cuique peculiarem « gregis portionem, non divino, sed ecclesiastico jure, non « Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus sit, « ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. « Cujus assignationis *summam auctoritatem* quisquis Romano « Pontifici abjudicare volet, eum necesse est in legitimam tot « in orbe toto Episcoporum successionem invadere, qui « ecclesias Apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab « aliis divulsas, aut invicem unitas reguut, ad easque regendas « a Romano Pontifice missionem acceperunt. » Et ibi adducit idem Pius VI celebre dictum S. Leonis Magni : *Si quid Christus commune cum Petro cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit*. Ergo juxta doctrinam a Pio VI traditam, *summa auctoritas* suum cuique Episcopo gregem assignandi, ita ut Episcopus ordinariam jurisdictionem exercere valeat, ad Romanum Pontificem pertinet. Ergo si olim potuerint Episcopi ab aliis quam Romano Pontifice eligi et confirmari, sicque potestatem regiminis consequi, hoc induci non potuit, nisi ex Romani Pontificis voluntate seu concessione.

3° In eodem Brevi *super soliditate*, approbando citat Pius VI hæc Ivonis Carnotensis, de Sede Apostolica loquentis, verba : « *Cujus judiciis et constitutionibus obviare, plane est hæreticæ* « *pravitatis notam incurrere :* ad quam *principaliter et genera*« *lissime pertineat, tam Metropolitanorum quam cæterorum Epi*« *scoporum consecrationem confirmare vel infirmare.* » Ergo potestatem, quam olim habebant alii Episcopos eligendi ac confirmandi, potuit Romanus Pontifex revocare : ergo potestas hæc erat a Romano Pontifice dependens, seu ex ipsius assensu et concessione.

In *responsione super nunciaturis* (capite 8, sectione 2, n. 25), idem Pius VI, devios quosdam Germaniæ Metropolitanos sic alloquitur : « Vosque etiam atque etiam precamur, ut veri-

« tatem *e dogmatis fonte profectam* toto animo amplexi, pro « certo habeatis, Primatum hunc divinitus institutum, non « iis dumtaxat fuisse limitibus circumscriptum, ut Petrus « ejusque successores, Ecclesiæ universæ caput effecti, et « vicaria Jesu Christi vice fungentes, malis occurrerent, et « fratres errantes ac negligentes in viam reducerent, et e « socordia excitarent; sed *auctoritatem secum ferre stabilem,* « *perpetuam, numeris omnibus absolutam, pascendi, regendi et* « *gubernandi, tam populos, quam populorum ipsos Pastores.* » Profecto, si quando potuerint alii, independenter a Romano Pontifice, Episcopos eligere et confirmare, falsum erit Romano Pontifici *de jure divino* competere auctoritatem *perpetuam et numeris omnibus absolutam,* populos et populorum Pastores regendi atque gubernandi. Dicenda erit e contra valde *incompleta* et *mutila* potestas hæc regiminis a Christo ipsi tradita. Quis enim *numeris omnibus absolutam* vocabit potestatem illius regis, ad quem non pertineret singularum regni sui provinciarum gubernatores constituere? Sane, si gubernatores provinciarum, independenter a Rege, ab aliis eligi et constitui valeant, tali regi nonnisi partem regiæ potestatis competere dicendum est. Ergo stare nequit cum dogmate catholico hypothesis illa, quod olim independenter a Romano Pontifice potuerint Episcopi eligi et confirmari. Ergo, qui potestatem Episcopos eligendi et confirmandi olim habuerunt, non aliunde quam ex concessione Sedis Apostolicæ habere potuerunt.

4° Citat et approbat Pius VI, in Brevi *super soliditate,* censuram Facultatis Parisiensis, qua damnavit hanc propositionem Marci Antonii de Dominis : *Monarchiæ formam non fuisse immediate in Ecclesia a Christo institutam.* Et aliunde ex aliis multis capitibus tanquam certum et omnino tenendum probant theologi catholici, Ecclesiam a Christo cum forma monarchica institutam fuisse. Porro, ut pluries jam diximus, verus monarcha ille non est, in cujus regno possunt provinciarum gubernatores ab aliis constitui independenter ab ipso. Ergo, quod olim alii præter Romanum Pontificem potuerint

Episcopos eligere et confirmare, induci legitime non potuit nisi ex assensu et concessione totius Ecclesiæ monarchæ Romani Pontificis.

ARGUMENTUM V. — *Ex praxi Sedis Apostolicæ.* — 1° Si Romani Pontifices sibi potestatem multoties vindicaverint Episcopos ex solo suo arbitrio constituendi, etiam eo tempore quo vigebat exposita vetus disciplina, signum est eam disciplinam ex eorum concessione fuisse inductam, et ipsorum potestati remansisse subjectum. Atqui revera olim Romani Pontifices, quando id utile existimabant, Episcopos ipsimet passim ordinabant et constituebant, prætermissa dicta disciplina. Id factis probatum est supra (§ 2, conclusione 2).

2° Idem probat ipsa etiam recentior praxis, qua Romani Pontifices Episcoporum electionem et confirmationem sibi reservarunt, et contra quam adversarii tanto cum strepitu clamitant. Quidquid enim effutiant, ubi agitur de inducta per Romanos Pontifices generali disciplina, valet semperque valebit *ab actu ad posse* argumentum. Nequit enim Christus permittere, (pro ea, quam Ecclesiæ suæ usque ad finem mundi promisit, assistentia) ut in ea inducatur generalis disciplina prava ac noxia, qua læderentur jura ab ipso Christo Episcopis et conciliis tradita, ac consequenter ipsamet subverteretur divina Ecclesiæ constitutio. Hanc Romani Pontificis in materia generalis disciplinæ infallibilitatem in tractatu *de Papa* probabimus.

§ IV.

Totius capitis conclusio.

Cum ergo quodcumque jus Episcopos eligendi et confirmandi, quibuscumque olim quocumque modo pertinens, e Romani Pontificis concessione totum quantum defluxerit, quando recentioribus temporibus Apostolica Sedes jus illud sibi reservavit, non alienum invasit, sed quod suum erat,

nec alienari unquam potuerat, resumpsit. Lamentantur heterodoxi scriptores hancce disciplinæ mutationem. At justissimis de causis, et cum summa Ecclesiæ utilitate inductam fuisse, a quampluribus primi subsellii viris luce meridiana clarius ostensum est.

Pro venenatis ergo habendi sunt illi omnes libri, qui adhuc hodie Galliæ bibliothecas opplent, in quibus, tum aperte, tum etiam sæpius indirecte et subdole obtruditur, dominandi cupiditate abreptos Romanos Pontifices, dicto prisco jure Metropolitanos et provincialia Concilia spoliasse : suam in hac re potestatem eos prætergressos fuisse : id faventibus falsis decretalibus inductum : dejectam inde, non sine ingenti Rei Catholicæ detrimento, Conciliorum et Episcoporum majestatem atque auctoritatem : posse adhuc Episcopos, præsertim ubi urgens causa id videretur exigere, in *originaria* sua jura regredi; ita ut denuo valeant canonice institui Antistites a Concilio provinciali, absque Bullis Pontificiis, etc. Tota hæc pestifera doctrina schisma procul dubio recundit et hæresim. Quod venenum nisi seminariorum professores (in Gallia præsertim) alumnis suis apprime notum faciant, eosque a peste hac summopere abhorrere procurent, satis officio suo facere haudquaquam videntur.

CAPUT II.

FORMA EPISCOPOS CONSTITUENDI JUXTA PRÆSENTEM DISCIPLINAM, ID EST, PER PROVISIONEM IN CONSISTORIO.

Cum multa hic exponenda veniant, ea distribuemus in distinctos paragraphos.

§ I.

De transitu ab antiqua ad hodiernam disciplinam synopsis historica.

1° In ipsis Ecclesiæ exordiis, Episcopos eligebant, ordinabant et constituebant, tum ipse Petrus, tum alii etiam Apo-

toli : cum hoc tamen discrimine, quod potestas hæc in Petro esset ordinaria, ac proinde ad successores suos transmittenda, et simul independens : in aliis autem Apostolis, facultas hæc a Christo accepta ecclesias fundandi et Episcopos eis ordinandi et præficiendi, extraordinaria fuit et personalis, seu cum ipsorum personis extinguenda, et Petro Apostolorum Principi subjecta.

2° Postmodum inducta est, et per plura sæcula viguit, superiori capite exposita vetus disciplina.

3° Media ætate, multi irrepserunt abusus, tum ex parte sæcularium principum, qui electionum libertatem sæpe opprimebant; tum ex parte Metropolitanorum, qui præ metu indignis et anticanonice electis manus imponebant. Hinc frequentiores hac de re lites et ad Sedem Apostolicam recursus. Ac sæpe Romani Pontifices factas electiones et confirmationes annullabant, et alios Episcopos constituebant.

4° Solis cathedralibus capitulis, excluso jam laicorum interventu, jus electionis devolutum est. At sic etiam multa oriebantur dissidia, detrimenta multa.

5° Sæculo decimo quarto, Benedictus XII, qui anno 1334 ad Summum Pontificatum evectus est, sibi reservavit provisiones omnium ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium et episcopalium, quas *apud Sedem Apostolicam* vacare contingeret. « Exinde per sequentes Romanos Pontifices « reservatio facta fuit simpliciter et generaliter quoad « omnes ecclesias episcopales, tum apud Sedem Aposto- « licam, quam extra Curiam vacantes, ut patet in secunda et « tertia regula Cancellariæ. » (Ferraris, V. *Episcopus*, art. 2, n. 6). Sic cathedralibus capitulis periit jus Episcopos eligendi, facta dumtaxat exceptione quoad cathedralia Germaniæ capitula.

6° « Sicuti per reservationes pontificias, ad Sedem Apostolicam sæculo XIV provisiones sive nominationes fuere de- « volutæ, atque eo titulo electiones canonicæ quodammodo « abolitæ; ita jus confirmandi Episcopos Metropolitanis

« ademptum et Sedi Apostolicæ reservatum fuisse compertum est. Indignum quippe credebatur, ut a Romano Pontifice ad episcopatum designatus, a Metropolitano confirmationem petere et accipere juberetur. » (Apud Ferraris, post verbum *confirmatio, additiones novissimæ*, n. 3)

« Hodie non ab alio quam a Romano Pontifice fieri potest (Episcoporum confirmatio), ex *regula* 2 (alias 3) *Cancellariæ*, quæ Sedi Apostolicæ reservat provisiones omnium cathedralium. Et licet in Germania, ex vi concordati, Episcopi adhuc eligantur a collegiis canonicorum cathedralium, Romani tamen Pontificis auctoritate confirmantur : sicuti etiam confirmantur et instituuntur a Romano Pontifice Episcopi illi, qui, vi privilegiorum apostolicorum, a regibus et principibus nominantur et designantur. » (Ferraris, V. *Episcopus*, art. 2, n. 14 et seq.)

§ II.

Juxta hodiernam disciplinam, exceptis paucis Germaniæ diœcesibus in quibus adhuc hodie Episcopi a capitulo eliguntur, promotio quæ fit a Papa, in Consistorio, electionis et confirmationis vim habet Et ex ea disciplina sequitur, posse hodie a canonistis prætermitti longam, et in qua olim exponenda multum desudandum erat, de electionibus legislationem.

I. « In præsenti rerum statu, et pro ea quæ nunc viget in Ecclesia disciplina, electio ad episcopatus sibi vindicat locum in sola Germania. Reliqui episcopatus conferuntur a Papa in Consistorio, aut omnino libere, aut prævia nominatione regum et principum, quibus jus est idoneas personas ad illos nominandi. Atque in his postremis ipsamet episcopatus collatio a Papa facta in Consistorio, vim habet electionis simul et confirmationis : quod docuerunt Innocentius.., Glossa.., Azorius (*Instit. Moral.*, parte 2, l. 3, c. 29, q. 6), Fagnanus (in cap. *Eam. te*, n. 15, *de Rescriptis*); atque ex ipsis verbis liquet, quæ a Papa in Consistorio pronuntiantur : *Auctoritate Dei Omnipotentis Patris et Filii et*

« *Spiritus Sancti, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac* « *nostra, Ecclesiam N... de persona N... providemus, ipsumque* « *illi in Episcopum præficimus et Pastorem ; curam et admini-* « *strationem ipsius eidem in spiritualibus et temporalibus plenarie* « *committendo.* » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 5, c. 5, n. 3, editionis in libros 13 distributæ.)

Idem Benedictus XIV (constitutione *in supremo,* tomo 4 ipsius bullarii, n. 63), quemdam Episcopum consistorialiter promotum et nondum consecratum sic alloquitur : « In po- « stremo secreto Consistorio per nos habito.., te in Justinopo- « litanum Episcopum proposuimus. Cumque de eo episcopatu « provisum tibi fuerit..., *electus* ipse merito dici potes ac « *confirmatus.* Communis quippe doctorum sententia est, « provisionem in Consistorio factam habere vim *electionis* « *insimul et confirmationis.* Ita post Glossam (in cap. 1, *de ele-* « *ctione*, in 6) docent Ripa.., Fagnanus.., Barbosa.., et a nobis « quoque advertitur in nostro tractatu *de Synodo diœcesana.* »

II. Perdurat adhuc hodie in nonnullis Germaniæ diœcesibus cathedralis capituli antiquum jus eligendi Episcopi. Id testatur Pii VII constitutio *de salute*, pro nova circumscriptione diœcesium regni Borussici, die 17 julii 1821 edita (in bullario continuato, tomo 15, pag. 403, edit. Romæ 1853); ubi paragrapho 22 sic habetur : « Rem denique Germaniæ gratissi- « mam simulque prælaudato Borussiæ regi acceptissimam « nos esse facturos judicantes, si electionum jure in Transrhe- « nanis ecclesiis retento ac confirmato, et in Cisrhenanis « cessato per Apostolicas dispositiones anni 1801, nunc in « ipsis Cisrhenanis diœcesibus præfati regis temporali dominio « subjectis idem jus electionis redintegretur, quoad capitula « ecclesiarum ad Germaniam pertinentium, nempe Coloni- « ensis, Trevirensis, Wratislaviensis, Paderbornensis, et « Monasteriensis; decernimus ac statuimus..., ut in singulis « illarum sedium vacationibus..., infra consuetum trimestris « spatium, dignitates et canonici capitulariter congregati, et « servatis canonicis regulis, novos Antistites, ex ecclesiasticis

« quibuscumque viris regni Borussici incolis, dignis tamen, et « juxta canonicas sanctiones idoneis, servatis servandis ad « formam sacrorum canonum, eligere possint. Ad hujusmodi « autem electiones jus suffragii habebunt canonici tam nume- « rarii quam honorarii. »

III. Jus *nominandi* quod habent hodie ex concordatis multi principes, non est jus *eligendi*, sed designandi dumtaxat personas, quas a Summo Pontifice eligi et confirmari optant. Id evincunt citata Benedicti XIV verba. Est autem attendendum discrimen istud electionem inter et regiam nominationem. Nam si regia *nominatio* vim *electionis* haberet, per ejusmodi nominationem certa quædam jura consequeretur Episcopus nominatus. Ei vero tribuenda non sunt jura hæc, quia regia nominatio non est electio in sensu juris, sed mera personæ designatio.

IV. Amplissima et difficultatibus refertissima est in jure materia hæc de eligendis et postulandis Episcopis, prout facile perspiciet qui titulum *de electione et electi potestate* in primo decretalium libro, et in *sexto*, pervolverit : reperiet enim septem supra centum hac de re prolata decreta. Et facile perspicitur multis legibus opus fuisse ad vitandas factiones fraudesque ac lites, quando Episcopi electio ad cathedralis canonicos, vel ad totum clerum cum assensu populi pertinebat. Locum autem habebat *postulatio*, quando persona defectu aliquo laborabat, ob quem eligi valide non poterat, nisi superior prius dispensationem concessisset. Verbi gratia, quando electores pro Episcopo habere volebant alterius ecclesiæ Episcopum, vel aliquem clericum requisita ætate carentem, vel alio defectu (dispensabili tamen) laborantem, non eligebant, sed *postulabant;* id est, petebant a Summo Pontifice, ut eum tali dispensaret, et eum in Episcopum confirmaret. Accedente autem dispensatione, postulatio eamdem vim habebat ac electio. Ast quoties ille in quem concurrebant suffragia defectum canonicum non habebat, locus erat electioni, non postulationi.

Jam vero cum hodie, ut dictum est, jus Episcopos eligendi cathedralibus capitulis, ac quibuslibet aliis, Sedes Apostolica generaliter ademerit, sibique reservaverit, ita ut nonnisi exceptionaliter in Germania, ut diximus, perseverare permissa sit contraria disciplina, non est cur modernus canonista, in excutiendis illis quamplurimis circa ejusmodi electiones juris dispositionibus desudet atque immoretur.

Equidem in supradictis nonnullis Germaniæ diœcesibus, in quibus a cathedrali capitulo etiamnum Episcopus eligitur, maximi interest ut clerus apprime notam habeat canonicam celebrandæ electionis formam : et forsan haud probabunt ex iis regionibus aliqui omissam a me hac de re disceptationem. Omittendam duxi, ne, cum tam paucis utilis hodie esse possit, perperam volumen auxisse videretur.

Cæterum quæ in dictis Germaniæ diœcesibus a cathedralibus capitulis fiunt Episcoporum electiones, non aliter vim habent quam si confirmentur a Romano Pontifice. Fit autem confirmatio hæc per promotionem in Consistorio.

§ III.

De processu et formalitatibus promotioni consistoriali præmittendis, quid statuerit Tridentinum Concilium.

Enumeratis variis dotibus, quæ in promovendo ad episcopatum a sacris canonibus requiruntur, sic statuunt Tridentini Patres (sess. 22, *de Ref.*, cap. 2) : *Quarum rerum instructio, si ejus notitia nulla aut recens in Curia fuerit, a Sedis Apostolicæ Legatis seu Nuntiis provinciarum, aut ejus Ordinario, eoque deficiente, a vicinioribus Ordinariis sumatur.* Iterum autem hac de re agens Synodus, sessione 24, capite 1 *(de Ref.)*, sic decernit : *Quoniam vero in sumendo de prædictis omnibus qualitatibus gravi idoneoque bonorum et doctorum virorum testimonio, non uniformis ratio ubique (ex nationum, populorum, ac morum varietate) potest adhiberi, mandat sancta Synodus, ut in provinciali Synodo per*

Metropolitanum habenda, præscribatur quibusque locis et provinciis propria examinis seu inquisitionis aut instructionis faciendæ forma, Sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videbitur ; ita tamen ut, cum deinde hoc examen seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio, ac professione fidei ab eo facta, quamprimum ad Sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur ; ut ipse Summus Pontifex plena totius negotii ac personarum notitia habita, pro gregis dominici commodo, de illis si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, ecclesiis possit utilius providere. Omnes vero inquisitiones, informationes, testimonia ac probationes quæcumque de promovendi qualitatibus et ecclesiæ statu, a quibuscumque, etiam in Romana Curia, habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Consistorio, et alios tres Cardinales diligenter examinentur : ac relatio ipsa Cardinalis relatoris et trium Cardinalium subscriptione roboretur : in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirment, se, adhibita accurata diligentia, invenisse promovendos qualitatibus, a jure et ab hac sancta Synodo requisitis, præditos : ac certo existimare sub periculo salutis æternæ, idoneos esse, qui ecclesiis præficiantur : ita ut relatione in uno Consistorio facta, quo maturius interea de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Consistorium judicium differatur, nisi aliud Beatissimo Pontifici videbitur expedire.

Quæ in hisce Tridentinis decretis præscribuntur, sic breviter exponi possunt : 1° debet fieri inquisitio, tum de qualitatibus promovendi, tum de statu ecclesiæ cui præficiendus est. 2° Inquisitio seu informatio hæc debet esse juridica, seu fieri adhibitis testibus et per instrumentum publicum. 3° Formam autem ejusmodi inquisitionis non omnino determinavit Tridentina Synodus, sed Conciliis provincialibus determinandam et Romano Pontifici approbandam reliquit. 4° Promovendus examinari debet de scientia. 5° Professionem fidei debet emittere. 6° Tota hæc informatio diligenter recognosci debet a Cardinali qui de ea in Consistorio relaturus est, et a

tribus aliis Cardinalibus. 7° Fieri non debet promotio, nisi quatuor dicti Cardinales affirment, et quidem *sub periculo salutis æternæ*, repertas a se fuisse in promovendo quali'ates omnes a jure requisitas. 8° In primo Consistorio facienda est dumtaxat dicta relatio a Cardinale relatore; non autem pronuntianda promotio. Remitti nempe debet promotio, nisi aliter Summo Pontifici visum fuerit, ad aliud Consistorium; in quo, facta iterum relatione, promovendus Pontificia auctoritate provisus de vacante ecclesia renuntietur.

§ IV.

De processu et formalitatibus ante promotionem in Consistorio, quid statuerit Gregorius XIV.

Edidit Gregorius XIV, die 15 maii 1591, celebrem hac de re Constitutionem, quæ incipit *onus Apostolicæ*. Quid autem in ea disponat Pontifex vix potest clarius exprimi, quam transcribendo sequentes ipsiusmet Constitutionis paragraphos :

« § 3. In hac parte providentia dicti Concilii Tridentini « minime defuit, cum statuerit ac mandaverit, ut in provin« ciali Synodo per Metropolitanum habenda præscribatur « quibusque locis et provinciis propria examinis seu inquisi« tionis aut instructionis faciendæ forma, Romani Pontificis « arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis utilis atque « opportuna esse videretur.

« § 4. Verum neque id hactenus nisi a paucissimis factum « est, neque spes est, nisi longissimo temporis spatio, ut ab « omnibus fiat...

« § 5. Habita igitur cum venerabilibus Fratribus nostris, « Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus matura deliberatione, « ac de eorum unanimi consilio et assensu, præsenti nostra « perpetuo valitura constitutione decernimus, ut cum *extra* « *Romanam Curiam* examen, instructio sive inquisitio facienda « erit, nemo omnino cujuscumque status, gradus, conditio-

« nisve fuerit, inquisitionem prædictam sibi arrogare præsu-
« mat; sed integrum hoc negotium iis qui a prædicto Triden-
« tino Concilio designantur, Apostolicæ videlicet Sedis Legatis
« seu Nuntiis provinciarum, aut ejus de quo inquisitio fit
« Ordinario, eoque deficiente, Ordinariis vicinioribus relin-
« quatur; nisi justis de causis, nobis aut pro tempore existenti
« Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri hoc
« munus quandoque committendum esse visum fuerit. Quod
« si forte aliquis prædictorum, consanguinitate aut affinitate
« usque ad tertium gradum inclusive promovendum contin-
« geret, ille quidem eo casu censeatur exclusus; atque ad
« eum qui proxime sequitur, hoc est, si Legatus excludendus
« erit, ad Nuntium; si Nuntius, ad Ordinarium; si Ordina-
« rius, ad viciniorem Ordinarium, inquisitionis officium defe-
« ratur.

« § 6. *In Curia* vero hæc functio spectet, vel ad eos Cardi-
« nales qui a nobis, vel pro tempore existente Romano Pon-
« tifice, deligentur; vel ad Cardinales earum provinciarum
« seu regnorum apud nos et Sedem Apostolicam protectores,
« in quibus ecclesiæ ipsæ consistunt, si tamen ad ipsos hujus-
« modi vacantium ecclesiarum relatio pertinebit. Quod si de
« Episcopo vel Metropolitano extra Romanam Curiam degente,
« ab una ecclesia ad aliam, ex aliqua gravi et justa causa
« transferendo agetur, hoc munus, deficiente Legato vel
« Nuntio Apostolico ejus provinciæ aut regni, ubi ecclesia
« ipsa a qua transfertur sita erit, ad Metropolitanum si Epi-
« scopus, ad Suffraganeum vero antiquiorem residentem, si
« Metropolitanus transferendus erit, pertinere declaramus...

« § 7. Declaramus et statuimus, tam Legatos sive Nuntios,
« quam Ordinarios, vel alios ab hac Sancta Sede forte dele-
« gandos, non per auditores aut vicarios, aliosve ministros,
« sed per seipsos inquirendi munus exercere debere; quam-
« vis ab hujusmodi personis aliisque viris peritis adjuvari
« possint. Et si Prælatus inquirens per se non posset, ob lo-
« corum distantiam, testes examinare circa articulum aliquem

« (ut legitimos natales, vel ætatem aut aliquid ejusmodi), li-
« cebit ei articulum illum alteri personæ in dignitate eccle-
« siastica constitutæ subdelegare, non autem universam inqui-
« sitionem....

« Declaramus ac statuimus, non esse (in vita ac doctrina
« promovendi investiganda) eam rationem adhibendam, ut
« ab ipso promovendo articuli offerantur, ac testes produ-
« cantur; sed oportere ut Prælatus qui munus inquirendi
« suscepit, articulos conscribat; atque ipse ex officio suo illos
« testes vocet atque examinet, quos de rebus inquirendis sin-
« cerum ac fidele testimonium daturos esse existimet. Verum
« ut inquisitio prædicta facilius ac plenius perfici atque
« expediri queat, utile erit, si Prælatus qui inquisitionem
« facturus est, vel a promovendo, vel ab alio aliquo confici
« curet schedulam, in qua sint ordine descripta nomen pro-
« movendi, cognomen, patria, parentes, ordo, gradus, pro-
« fessio, functio, si quam is forte exercuit, loca in quibus theo-
« logiæ vel juri canonico operam dederit, aut longo tempore
« versatus fuerit, denique amici ac familiares qui tam ipsum
« quam parentes ejus intime norint. Quod si promovendus
« documentum aliquod exhibere voluerit, unde ipsius ætas,
« gradus, dignitas, sacri ordines, functio, officia, muneraque,
« aut aliquid ejusmodi comprobetur, admittendum ac pro-
« cessui inserendum erit, modo documentum publicum seu
« authenticum fuerit.

« § 8. Illud quoque prohibendum censuimus ac expresse
« prohibemus, ne ad testimonium dicendum de fide catho-
« lica, vita, moribus, doctrina, atque aptitudine ad regendam
« ecclesiam quilibet homines admittantur; sed viri tantum
« graves, pii, prudentes, docti, qui de qualitatibus promo-
« vendorum rectum judicium ferre valeant. Proinde tam
« cognati ac nimium familiares, quam inimici atque æmuli
« excludendi sunt.

« Porro testes ejusmodi Prælatus, qui examen seu inquisi-
« tionem habiturus erit, seorsum ac sigillatim examinabit:

« et, si quando judicaverit expedire, eis ad memoriam redu-
« cet tum juramenti vim, perjurii gravitatem....

« § 9. Quamvis autem qualitates omnes promovendorum, « quæ in generalium Synodorum decretis, aliisque canonicis « sanctionibus continentur, probe cognitæ esse debeant iis, « quibus inquisitionis officium demandatum est, quales sunt « natum esse ex legitimo matrimonio, atque ex parentibus « catholicis, annum trigesimum jam explevisse, sacris ordini- « bus, saltem ante sex menses, initiatum esse, gradum do- « ctoratus aut licentiæ in theologia vel jure canonico, aut « certe publicum alicujus academiæ testimonium obtinuisse, « quo ad alios docendos idoneus esse declaretur; ad hæc in « ecclesiasticis functionibus diu esse versatus; item fidei pu- « ritate, innocentia vitæ, prudentia, usu rerum, integra fama, « doctrina denique præditum esse; tamen quia circa doctri- « nam plures fraudes committi solent, et sæpe contingit, ut « nonnulli scientia vacui, de solo doctoris titulo aut privile- « gio glorientur, volumus ut de eorum etiam doctrina dili- « genter inquiratur, qui vel doctoratus aut licentiæ titulis et « privilegiis gaudent, vel etiam a publicis academiis testi- « monium habuerunt quod idonei essent ad alios docendos, « nisi forte aliquorum insignis doctrina ex publica eorum « functione notoria esset. Ita vero inquisitio facienda erit, ut « quibus in locis, quanto tempore, et quo fructu, theologiæ « vel juri canonico promovendus operam dederit cognosca- « tur....

« Quod autem ad regulares pertinet, cum ad cathedrales « ecclesias promovendi fuerint, ne fraus ulla subrepere pos- « sit, in eo quod idem Concilium Tridentinum statuit, ut « regulares a suis superioribus sufficientis doctrinæ testimo- « nium habeant; declaramus, nomine superiorum eos dumtaxat « intelligendos esse, qui nullum sui ordinis superiorem agno- « scunt....

« § 10. Post inquisitionem vero de fide, vita, moribus, « doctrina et prudentia promovendi, necnon informationem

« de statu ecclesiæ, aliisque necessariis rebus, quæ pariter « coram superius expressis Prælatis, juxta ejusdem Concilii « decreta fieri debet; professio fidei catholicæ a promovendo « facienda erit; quam quidem ab eo dumtaxat recipiendam « esse declaramus, ad quem inquisitio pertinebit, nisi forte « qui professionem emissurus est, a Prælato inquirente longe « distet; tunc enim is Prælatus, ex subdelegatione inqui- « rentis, professionem admittere debet, cui promovendus « vicinior erit... Recipiet autem Prælatus professionem pro- « movendi, præsente notario publico, ac testibus; atque eam « a se admissam ac receptam propriæ manus subscriptione « testabitur. Is quoque qui professionem ejusmodi fecerit, « in eo loco ubi proprium nomen profitentis exprimi solet, « nomen suum manu propria adscribet. Denique his peractis, « notarius publico instrumento fidem faciet de professione « prædicta, adhibitis testibus, ut præfertur.

« Ubi vero totum examen seu inquisitio de persona pro- « movenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum « redacta, cum toto testimonio, ac professione fidei emissa, « ad hanc sedem quam primum clausa et obsignata in forma « authentica transmittenda erit.

« In qua re observari volumus ut professio fidei iisdem, « omnino verbis descripta sit, quæ in ea forma continentur, « quam felicis recordationis Pius Papa quartus statuit obser- « vandam....

« § 11. Processus autem sic formati, et ad Curiam trans- « missi, a Cardinale cui proponendi munus incumbet et a « tribus prioribus ordinum Cardinalibus (1), ut moris est, « subscribentur et expedientur.

« Volumus autem, ut Cardinalis relator moneat promo- « vendum si præsens in Curia fuerit, ut juxta Concilium Late- « ranense novissime celebratum, omnes Cardinales, sive

(1) Id est a primo Cardinali Episcopo, a primo Cardinali presbytero, et a primo Cardinali diacono.

« majorem partem collegii adeat, antequam ecclesiam proponat, ut quæ a referente collega sunt audituri, oculata « fide, quantum ad personam promovendi attinet, cognoscere « possint. »

§ V.

De processu et formalitatibus promotioni consistoriali præmittendis, quid statuerit Urbanus octavus.

Edidit Urbanus VIII, anno 1627, instructionem, qua determinatur modus servandi in praxi varias Concilii Tridentini et Gregorii XIV hac de re prescriptiones. Juxta illam Urbani VIII instructionem fiunt adhuc hodie processus informativi circa Episcopos, antequam in Consistorio a Papa promoveantur. Quapropter eam hic insereudam duximus.

I.

« Circa personas ad quas spectat dictos processus conficere. »

« Si processus inquisitionis conficiendus sit extra Romanam Curiam, hoc munus spectat ad Legatos Sedis Apostolicæ, vel ad Nuntios provinciarum in locis, in quibus commorantur ; si non adsint Legati, neque Nuntii, spectat ad Ordinarios personarum promovendarum, et ipsis deficientibus, ad Ordinarios viciniores : qui ordo gradatim servandus est, nec quisquam debet sibi hoc munus arrogare præter ordinem supradictum, nisi Romano Pontifice per speciale mandatum alicui alteri illud demandare placuerit. Quo casu apparere debet de mandato speciali in principio processus.

« Si aliquis ex Prælatis, ad quem ordine supradicto spectat processum conficere, consanguinitate, vel affinitate usque ad tertium gradum inclusive promovendum contingat, ille excludatur ab hoc munere : quod eo casu deferatur ad illum, qui proxime sequitur, servato eodem ordine, et gradu,

« Si quis etiam sit legitime impeditus, ut per seipsum processum conficere non possit, et ea adimplere, quæ continentur in paragrapho inferius scripto, qui incipit, *quicumque confecturus est,* ea cura transferatur eodem ordine, et gradu, ad alium Prælatum viciniorem Prælato impedito.

« Si processus sit conficiendus in Romana Curia, videndum est, an ecclesia, vel monasterium, cui est providendum, sit ad nominationem, vel præsentationem imperatoris, vel alicujus regis aut principis : quo casu munus conficiendi processum in Curia spectat ad Cardinalem, qui apud Pontificem, et Sedem Apostolicam est protector illius provinciæ, in qua sita est ecclesia vel monasterium.

« Quod si ecclesia, vel monasterium non sit ad nominationem, aut præsentationem, ut præmittitur, processus conficiendus erit per Cardinalem a Romano Pontifice deligendum, qui de hujusmodi deputatione curabit aliquid apparere, vel saltem vigore suæ assertionis aliquid narrari a notario in principio processus.

« Quando contingat processum confici debere de qualitatibus Archiepiscopi, vel Episcopi extra Romanam Curiam degentis, qui ab una ad alteram ecclesiam sit transferendus, hoc munus, deficiente Legato, vel Nuntio Apostolico illius provinciæ, vel regni ubi sita est ecclesia, a qua aliquis transferendus erit, spectat ad Metropolitanum, si persona transferenda est Episcopus, si vero est Metropolitanus, spectat ad Episcopum suum suffraganeum antiquiorem residentem.

« Si Prælatus inquirens ob locorum distantiam non posset commode per seipsum testes examinare super aliquo articulo, ut puta, super legitimis natalibus, ætate, aut aliquo ejusmodi, licebit ei partem illam alteri personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ subdelegare, non autem universam inquisitionem.

« Quoad processus conficiendos, pro habenda informatione status ecclesiarum, vel monasteriorum, quibus providendum erit, hoc etiam conficere debent iidem Prælati, qui processum

de qualitatibus promovendorum confecturi sunt. Si vero contingat in alia provincia, vel regno esse ecclesiam, et in alia promovendum, tunc Prælatus inquirens poterit subdelegare Episcopo, qui erit vicinior ipsi ecclesiæ, vel monasterio, munus conficiendi processum super statu dictæ ecclesiæ, vel monasterii. »

II.

« *Quomodo conficiendi sint processus, ut dici possint et videantur confecti per viam inquisitionis.* »

« Quicumque confecturus est processum inquisitionis in qualitates promovendi, etiamsi sit Legatus, non per suos vicarios, auditores, vel alios ministros, sed per seipsum id munus exercere debet, licet possit ab hujusmodi personis, vel aliis viris peritis adjuvari. Hæc autem in specie servanda sunt :

« Non recipiantur testes a promovendo, vel pro parte sua inducti, neque articuli ab ipso, vel nomine suo producti; sed Prælatus inquirens interrogatoria, seu articulos per seipsum formatos habeat, et super eis examinet testes, quos de rebus inquirendis sincerum et fidele testimonium daturos esse existimet. Ipse ex officio suo secreto vocari mandet, et secreto examinet, ipsemet recipiat in manibus suis singulorum testium juramentum, quod ab Episcopis præstetur tacto pectore; a cæteris vero inferioribus cujuscumque qualitatis sint, tactis sacris Scripturis : et ita respective referat notarius processum scripturus, qui etiam referat, testem fuisse ex officio vocatum, et examinatum a Prælato inquirente. Insuper Prælatus ipse testes interroget super unoquoque articulo : ipsorum autem testium dicta, una cum reliquis hoc negotium tangentibus, scribat aliquis notarius publicus, qui debebit etiam tam dicta testium, quam scripturas, et documenta producenda, ut inferius dicetur, in processum, et in publicum instrumentum reducere. Articuli autem, et interrogatoria inferius describentur. »

III.

« Circa qualitates testium vocandorum, et examinandorum quoad personam promovendi. »

« Testes sint viri graves, pii, prudentes, docti, et qui de qualitatibus promovendorum rectum judicium ferre valeant, sincerumque, ac fidele testimonium verisimiliter sint daturi : præsertim vero hujusmodi qualitates esse debent iu testibus, qui interrogandi erunt de fide catholica, vita, moribus, doctrina, et aptitudine promovendi ad regendam ecclesiam. Scire enim debent ipsi testes, quæ requirantur in eo, qui recturus est ecclesiam cathedralem, ad hoc ut sit idoneus ad alios docendos, aptus ad illam gubernandam, et dignus, qui ad eam promoveatur.

« Non sunt recipiendi in testes cognati, vel nimium familiares, aut inimici, sive æmuli personæ promovendæ.

« In investigandis testium qualitatibus adhibenda est diligentia per Prælatum inquirentem, ut cognoscere possit, quam sint erga promovendum affecti, exindeque conjicere, utrum ex affectu, an ex veritate testimonium dicant.

« Si aliquando Prælato inquirenti ita expedire videbitur, testibus ad memoriam reducet vim juramenti, et gravitatem perjurii, admonebitque ipsos reos futuros apud Deum eorum omnium, quorum, vel committendo, vel omittendo rei erunt, qui promovebuntur, si vel falsa narrando, vel reticendo vera, causa erunt, ut homines indigni, vel minus idonei ecclesiis præficiantur. »

IV.

« Quomodo Prælatus inquirens procedere possit per viam inquisitionis, quando non habet notitiam personæ promovendæ. »

« Si contingat, Prælatum inquirentem non habere sufficientem notitiam personæ promovendæ, ad hoc ut possit deli-

gere et vocare testes ex officio, absque scientia ipsius promovendi, et secreto poterit curare, ut ipsemet promovendus, vel aliquis alius det ei schedulam, in qua sint ordine descripta nomen dicti promovendi, cognomen, patria, ætas, parentes, ordo, gradus, professio, functio, si quam is forte exercuit, loca in quibus theologiæ vel juri canonico operam dederit, aut longo tempore versatus fuerit, amici, et familiares, aliæve personæ, quæ tam ipsum quam parentes ejus intime norint.

« Cum autem hujusmodi schedula petenda sit tantummodo ad habendam extrajudicialem notitiam eorum, quæ Prælatum inquirentem scire oportet pro inquisitione facienda, non debebit ipsa schedula inseri processui, neque de ea aliqua mentio in dicto processu fieri, sed ad partem servari, donec inquisitio perficiatur, et ea perfecta poterit lacerari, si Prælato videbitur. »

V.

« Interrogatoria, quæ necessaria sunt ad inquirendum omnes qualitates, quæ in promovendis requiruntur. »

« 1° An testis cognoscat promovendum, quomodo, a quo tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, æmulus, vel odiosus ?

« 2° An sciat in qua civitate, vel loco, et diœcesi promovendus sit natus, et quæ sit causa scientiæ ?

« 3° An sciat ipsum natum esse ex legitimo matrimonio, atque honestis et catholicis parentibus, et quæ sit causa scientiæ?

« 4° An sciat cujus ætatis sit, præsertim an expleverit annum 30, et quæ sit causa scientiæ ?

« 5° An sciat eum esse in sacris ordinibus constitutum, quibus, a quo tempore citra, præsertim an ante sex menses, et quæ sit causa scientiæ ?

« 6° An sciat eum esse in ecclesiasticis functionibus, et in exercitio ordinum susceptorum diu versatum, in susceptione

sacramentorum frequentem et devotum, et quæ sit causa scientiæ?

« 7° An sciat eum semper catholice vixisse, et in fidei puritate permansisse, et quæ sit causa scientiæ?

« 8° An sciat eum præditum esse innocentia vitæ, bonisque moribus, et an sit bonæ conversationis et famæ, et quæ sit causa scientiæ?

« 9° An sciat eum esse virum gravem, prudentem, et usu rerum præstantem, et quæ sit causa scientiæ?

« 10° An sciat eum aliquo gradu in jure canonico, vel in sacra theologia insignitum esse; quibus in locis, quanto tempore et quo fructu ipsi theologiæ, vel juri canonico operam dederit, et an vere ea doctrina polleat, quæ in Episcopo requiritur, ad hoc ut possit alios docere, et quæ sit causa scientiæ?

« 11° An sciat eum aliquo munere aliquando functum esse, vel circa curam animarum, aut regimen ecclesiæ se exercuisse, et quomodo in eis se gesserit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integritatem, et mores, et quæ sit causa scientiæ?

« 12° An sciat eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores, sive doctrinam, vel aliquo corporis, aut animi vitio, aliove canonico impedimento teneri, quominus possit ad ecclesiam cathedralem promoveri, et quæ sit causa scientiæ?

« 13° An eum idoneum existimet ad bene regendam ecclesiam cathedralem, et præsertim eam, ad quam ipse est promovendus, an dignum, qui ad illam promoveatur, et an ipsius promotionem eidem ecclesiæ utilem, et proficuam futuram esse censeat, et quare ita existimet?

« Depositiones testium seriatim, et per extensum scribantur: neque præcise affirmationes, seu negationes tantummodo admittantur. »

VI.

« Quæ requiruntur ad perfectam inquisitionem, præter ea, quæ ex testibus habebuntur. »

« Quoad sacros ordines, petendæ sunt a promovendo, et processui inserendæ originales Bullæ, vel litteræ testimoniales collationum ipsorum ordinum : vel saltem earum exemplaria in forma authentica, præsertim si testes in sufficienti numero non deposuerint, se non modo vidisse eum cantantem Epistolam et Evangelium, vel celebrantem, sed etiam legisse dictas Bullas, vel litteras testimoniales, vel interfuisse collationibus ordinum ei collatorum.

« Quoad gradum, similiter inserendum est processui privilegium originale, vel ejus exemplar in authentica forma.

« Si Prælato inquirenti, vel promovendo videbitur, processui etiam adjungantur aliqua Brevia, litteræ patentes, vel aliæ scripturæ, aut publica documenta, quibus major, aut melior probatio habeatur de natalibus, et functionibus promovendi, vel aliud ejusmodi : præsertim si testes circa ea sufficienter et plene non deposuerint, recipiantur et adjungantur.

« Si forte promovendus nullum habet gradum in sacra theologia, vel in jure canonico, necesse est, ut præter probationem aliunde habendam circa ejus doctrinam, juxta præinsertum decimum interrogatorium, pro parte promovendi exhibeatur publicum alicujus academiæ testimonium, quo idoneus esse declaratur ad alios docendos, quæ populum christianum scire oportet.

« Persona promovendi enuntietur hac nota, videlicet si sit Prælatus admodum, R. P.; si vero non sit, R. N. N... Promovendus nunquam vocetur *electus*, neque ipse se talem vel nominet, vel scribat, nisi ubi præcesserit electio capituli, aut conventus. »

VII.

« Quid servandum quoad probationem doctrinæ quando promovendi orti sunt in provinciis, in quibus non sunt universitates studiorum, neque consuetum est suscipi gradum aliquem. »

« In hujusmodi locis et personis sufficiet, si testimonio virorum gravium, et sacræ theologiæ vel juris canonici peritorum constet, promovendos ea scientia theologiæ vel canonum vere pollere, ut idonei sint ad ea docenda, quæ populum christianum scire oportet, ac muneris sibi injungendi necessitati valeant satisfacere : ideo formandum erit interrogatorium ad hunc sensum : juxta quod si testes deposuerint, se de scientia promovendorum certos redditos esse, ex eo quod prædictos promovendos specimen suæ doctrinæ publice vel privatim dedisse cognoverint, hoc modo sufficiens causa scientiæ dici poterit : alias non plene probabunt doctrinam ad mentem supradictæ constitutionis Gregorii decimi quarti. »

VIII.

« Quid servandum si promovendus sit regularis. »

« Omnia, quæ servari debent in promovendo ad ecclesiam cathedralem, si sit secularis, servanda etiam sunt, si sit regularis.

« Sed quia regulares non solent ut plurimum suscipere insignia doctoratus in universitatibus studiorum, necesse est juxta decretum Concilii Tridentini, ut promovendus regularis a suis superioribus regularibus testimonium habeat sufficientis doctrinæ, et quod sit aptus ad alios docendos. Nomine autem superiorum intelligendi sunt dumtaxat, qui nullum sui ordinis superiorem agnoscunt, sive ii cujusvis ordinis abbates, magistri, ministri, aut præpositi generales, vel quarumlibet congregationum præsidentes, sive definitores, aut visitatores, capi-

tulum generale repræsentantes, sive alio quocumque vocabulo nuncupentur : et in eorum absentia ipsorum vicarii, seu commissarii generales, vel in Romana Curia procuratores generales ordinum aut congregationum succeduut.

« Animadvertendum tamen, quod præter suprascriptum superiorum testimonium, est etiam aliunde inquirendum in hujusmodi regularium doctrinam, quemadmodum dictum est de seculari, qui habet suæ doctrinæ testimonium a publica aliqua academia. »

IX.

« *Quid servandum in translatione alicujus Episcopi ad alteram ecclesiam.*

« Servanda est eadem forma inquirendi ex officio, quæ superius dicta est.

« Si Episcopus transferendus promotus fuit post publicationem Concilii Tridentini, et constat in processu tunc temporis confecto, plene probata esse omnia requisita, sufficiet inquirere et testes examinare supra infra scriptis articulis : si vero non constet de hujusmodi probatione in totum, vel in partem, expediens erit testes examinare super omnibus articulis superius descriptis, vel saltem super illis, de quorum probatione non constiterit, et præterea super articulis sequentibus erunt utroque casu omnino examinandi testes, et de contentis in eis facienda inquisitio ex officio, videlicet :

« 1° An testis cognoscat Episcopum transferendum, quomodo, a quo tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, æmulus, vel odiosus ?

« 2° An sciat ipsum consecrationis munus suscepisse, et quæ sit causa scientiæ ?

« 3° An sciat per quot annos fuerit Episcopus illius ecclesiæ, et quæ sit causa scientiæ ?

« 4° An sciat eum in sua ecclesia et diœcesi assidue resedisse ?

« 5° An sciat eum diligenter, et sæpe dictam suam ecclesiam et diœcesim visitasse, opportune omnibus necessitatibus occurrisse et providisse, ejusque decreta et mandata debitæ exequutioni demandari curasse, et quæ sit causa scientiæ?

« 6° An sciat eum sæpe solemniter celebrasse, ordinationes juxta necessitatum exigentiam habuisse, confirmationis sacramentum ministrasse, cæteraque pontificalia exercuisse, et quæ sit causa scientiæ?

« 7° An sciat eum pietatis, charitatis et prudentiæ in gubernando specimen dedisse, ac verbo et exemplo profecisse, et quæ sit causa scientiæ?

« 8° An sciat eum prudenter ubilibet et diligenter se gessisse in defendendis, conservandis, et augendis jurisdictionibus spirituali et temporali, juribus ac bonis omnibus suæ ecclesiæ, et quæ sit causa scientiæ?

« 9° An sciat vera ea doctrina ipsum ad præsens pollere, quæ in Episcopo requiritur, ad hoc ut possit alios docere, et quæ sit causa scientiæ?

« 10° An dignum eum existimet, qui transferatur ad ecclesiam N., et an censeat ejus translationem fore ipsi ecclesiæ N. utilem et proficuam, et quare ita existimet et censeat? »

X.

« Quid servandum circa inquisitionem faciendam in qualitates eorum, qui in Consistorio promovendi sunt vel confirmandi ad dignitates abbatiales et prioratus, et regimina monasteriorum, vel alias regularium præfecturas. »

« Eadem omnia servanda sunt, quæ dictum servari debere in promovendis ad ecclesias cathedrales; præsertim quando, præter curam et regimen monachorum, annexa est monasterio jurisdictio spiritualis vel temporalis in populum.

« Ideo super ejusdem interrogatoriis examinandi sunt testes, mutatis tamen mutandis, respectu ecclesiæ cathedralis, et respectu monasterii, vel dignitatis regularis.

« Addatur interrogatorium circa professionem ordinis, et tempus a quo eam emisit : circa vero ætatem sufficiat interrogare, et scire cujus ætatis sit, non restringendo se ad trigesimum annum expletum; postea enim videbitur, an in hujusmodi promovendo sit ætas legitima respectu dignitatis, ad quam promoveri debet.

« Quoad doctrinam, cum promovendi ad hujusmodi dignitates regulares non sint per Concilia generalia adstricti ad gradum doctoratus, sive licentiæ, vel ad publicæ academiæ testimonium, et nihilominus æquum sit, ut ea doctrina polleant, qua onus sibi imponendum sustinere valeant; Prælati inquirentes studiose ac diligenter inquirere debebunt super doctrinam ejusmodi personarum, juxta modum et formam superius notatam, ut Romanus Pontifex habita informatione, quænam sit promovendi doctrina, judicare possit, an sit talis, qualem dignitas illa exigit et requirit. »

XI.

« Circa fidei professionem emittendam a promovendis, tam ad ecclesias cathedrales, quam ad dignitates regulares. »

« Fidei professio debet emitti in manibus Prælati, ad quem inquisitio (servato ordine superius dicto) pertinet, a quo si promovendus longe distet, poterit idem Prælatus subdelegare receptionem dictæ professionis Ordinario, cui promovendus vicinior erit.

« Prælatus recipiet professionem fidei a promovendo, præsente notario publico, ac testibus. Ipse autem promovendus eam emittet genibus flexis ante Prælatum, et in fine tangendo ambabus manibus sacrosancta Evangelia, et spondendo, vovendo, ac jurando, prout in forma, ea deosculabitur.

« Profitens duobus in locis, in quibus nomen, et cognomen suum exprimendum erit, ea duntaxat sua propria manu adscribet.

« Prælatus propriæ etiam manus subscriptione in fine exemplaris dictæ professionis testabitur, eam a se receptam fuisse sub hac forma: ego N. fidei professionem juxta suprascriptam formam a R. P. D. N. in manibus meis ad verbum emissam recepi, et ita testor manu propria.

« Demum notarius, qui præsens fuit, publico instrumento, in calce ejusdem exemplaris immediate post subscriptionem Prælati inquirentis extenso, fidem faciet de prædictæ professionis emissione ac receptione, præsentibus testibus, quorum nomina et cognomina exprimet.

« Maxime curandum est, ut exemplaria professionis fidei transmittantur absque mendis, ne levibus quidem, cum nec in minimo liceat immutare formam a Sede Apostolica præscriptam, nimisque non modo notarii scribentis, sed etiam præcipue Prælati inquirentis incuria circa hoc, notetur in Sacro Consistorio, quando in eo fit relatio processus et mendorum in professione fidei repertorum; cum necesse sit, ea etiam nominatim referre. Ideo expediens erit ad tollendam occasionem errorum provenientium ex incuria scribentis, ut ubique imprimantur exemplaria, juxta formam Romæ impressam, et maxima diligentia adhibeatur, ne mendose imprimantur. Cum vero transmittenda sunt instrumenta professionis fidei, hæc ipsa subscribantur a profitente, et a Prælato inquirente, et in eisdem notarius extendat instrumentum, prout dictum est. »

XII.

« *Interrogatoria pro habenda informatione status ecclesiæ.* »

« 1° An testis sciat in qua provincia sita sit civitas N., cujus situs, qualitatis et magnitudinis sit, quot confletur domibus, et a quot Christi fidelibus inhabitetur, cujus dominio in temporalibus subjaceat, et quæ sit causa scientiæ?

« 2° An sciat in illa civitate esse ecclesiam cathedralem, vel metropolitanam, sub qua invocatione; cujus structuræ

et qualitatis, an aliqua reparatione indigeat, et quæ sit causa scientiæ?

« 3° Si est ecclesia archiepiscopalis, an sciat, quot Episcopos suffraganeos habeat, et qui sint; si est episcopalis, an sciat cui Archiepiscopo sit suffraganea, et quæ sit causa scientiæ?

« 4° Quot et quales sint in dicta ecclesia dignitates, et canonicatus, et alia beneficia ecclesiastica, quis sit numerus omnium presbyterorum et clericorum inibi in divinis inservientium, quæ sit dignitas major post pontificalem, quales sint redditus dignitatum, canonicatuum, et aliorum beneficiorum, et an adsint præbenda theologalis, et pœnitentiaria, et quæ sit causa scientiæ?

« 5° An in ea cura animarum exerceatur, per quem, an sit in ea fons baptismatis, et quæ sit causa scientiæ?

« 6° An habeat sacrarium sufficienter instructum sacra suppellectili, cæterisque rebus ad divinum cultum et etiam pontificalia exercenda necessariis, chorum, organum, campanile cum campanis, et cœmeterium, et quæ sit causa scientiæ?

« 7° An sint in ea corpora, vel aliquæ insignes Reliquiæ Sanctorum, quomodo asserventur, et quæ sit causa scientiæ?

« 8° An habeat domum pro Archiepiscopi vel Episcopi habitatione, ubi, et qualem, quantum distet ab ecclesia, et an reparatione indigeat, et quæ sit causa scientiæ?

« 9° An sciat verum valorem reddituum mensæ archiepiscopalis, vel episcopalis, ad quam summam annuatim ascendant, in quibus consistant, an sint aliqua pensione onerati, ad cujus, vel quorum favorem dicta pensio sit reservata, et quæ sit causa scientiæ?

« 10° Quot existant in illa civitate ecclesiæ parochiales, et unaquæque habeat fontem baptismalem, quot item in illa existant collegiatæ, quot monasteria virorum, et mulierum, quot confraternitates, et hospitalia, et an ibi sit mons pietatis, et quæ sit causa scientiæ?

« 11° Quantum sit ampla diœcesis, quot et quæ loca complectatur, et quæ sit causa scientiæ?

« 12° An in ea erectum sit seminarium; quot in eo pueri alantur; et quæ sit causa scientiæ?

« 13° An ipsa ecclesia vacet, quomodo, a quo tempore citra, et quæ sit causa scientiæ?

« De statu ecclesiarum, quæ sunt in partibus infidelium, quantum fieri poterit, diligens examen instituatur, neque admittantur tituli in provinciali non descripti, vel qui in scripturis Sacri Collegii non reperiantur. »

XIII.

« *Interrogatoria pro habenda informatione status alicujus monasterii.* »

« 1° In qua provincia et diœcesi sit monasterium, et quæ sit causa scientiæ?

« 2° Cujus ordinis sit, et quæ sit causa scientiæ?

« 3° Quis sit numerus monachorum, et quis eos tanquam caput regere consueverit, et quæ sit causa scientiæ?

« 4° Sub qua invocatione sit ecclesia ipsius monasterii, cujus structuræ et qualitatis; an indigeat reparatione, et quæ sit causa scientiæ?

« 5° Qui sint redditus mensæ abbatialis, vel prioralis, qui redditus mensæ conventualis, et quæ sit causa scientiæ?

« 6° An monasterium habeat aliquam jurisdictionem temporalem, aut spiritualem, quam, et in quos, et quæ sit causa scientiæ?

« 7° An habeat curam animarum, per quem hæc exerceatur, et quæ sit causa scientiæ?

« 8° An vacet, quomodo, et a quo tempore citra, et quæ sit causa scientiæ? »

XIV.

« *Quid agendum, perfecta inquisitione.* »

« Cum totum examen, seu inquisitio de persona promovenda, et informatio de statu ecclesiæ, seu monasterii per-

fectæ fuerint, notarius eas, una cum scripturis et documentis publicis et authenticis, ac professione fidei, instrumentum publicum rediget.

« Si processus inquisitionis confectus fuerit extra Romanam Curiam, Prælatus qui eam confecerit, ad Pontificem clausum et obsignatum transmittet, si ecclesiæ, vel monasteria non sint ad nominationem vel præsentationem imperatoris vel alicujus regis : si vero de hujusmodi nominatione vel præsentatione, transmittet processum ad Cardinalem illius regni vel provinciæ protectorem, in qua est ecclesia, vel monasterium providendum.

« Ipse autem Prælatus, vel per litteras separatas, simul tamen cum processu mittendas, vel per subscriptionem hujusmodi processus significabit, quanta fides testibus examinatis, eorumque dictis, et scripturis productis, suo judicio habenda sit, simul etiam quid de promovendo ipse sentiat.

« Processus sic formatus, et transmissus primum a Cardinale, cui illum in Consistorio referendi munus incumbet, deinde a tribus Cardinalibus prioribus Ordinum subscribetur; et postea fiet relatio in Consistorio.

« Cardinalis relator monere debet promovendum, si præsens in Curia sit, ut juxta Concilium Lateranense novissime celebratum, omnes Cardinales, vel majorem partem Collegii adeat, antequam ecclesia vel monasterium proponatur, ut quæ a refereute collega sunt audituri, oculata fide, quantum ad personam ipsius promovendi attinet, cognoscere possint. »

§ VI.

Decretum S. Congregationis consistorialis diei 19 martii 1631, ab Urbano VIII confirmatum.

« Sacra Congregatio rebus consistorialibus præposita...
« censuit, præfatos processus gradatim confici debere juxta
« dictam Gregorii XIV constitutionem, instructionemque

« supra nominatam ; scilicet : ut in iis regnis ac provinciis in « quibus Legati vel Nuntii Sedis Apostolicæ reperiuntur, ad « eos primo loco pertineat conficiendorum processuum mu- « nus, super iis omnibus ecclesiis ac monasteriis, qui intra « fines uniuscumque eorum legationis seu nunciaturæ conti- « nentur.

« Quod si forte præfati Legati vel Nuntii aliquo modo im- « pediti fuerint, ita ut dictis processibus conficiendis vacare « nequeant, aut certe in dictis regnis et provinciis nullus « adfuerit Legatus vel Nuntius Apostolicus, munus eorumdem « processuum conficiendorum devolvatur ad *Ordinarium* pro- « movendi ; eoque fortasse impedito, transeat ad Ordinarium « viciniorem : nec quisquam pariter dictorum Prælatorum « hanc potestatem in hujusmodi processibus habeat, nisi « speciali Summi Pontificis mandato id ei concessum fuerit.

« Et ne ulla in hoc perturbatio vel ambiguitas oriatur, « eadem Sacra Congregatio censuit, in provinciis regnisque, « in quibus Legati Nuntiive Apostolici reperiuntur, promo- « vendos ad ecclesias cathedrales vel monasteria consisto- « rialia, ut dictum est, debere ante omnia postulare a Legatis « Nuntiisve, ut processum conficiant : quod si forte minus id « ipsi præstare potuerint, debere eosdem litteris, aliove « authentico scripto testari, indicareque Prælato subsequenti, « se legitime impeditos esse ; qui deinde teneatur hujusmodi « litteras aliudve authenticum scriptum initio processus a se « conficiendi inserere : idemque servandum, si forte Ordinario « promovendi impedito, ad proximiorem Ordinarium deve- « niendum erit.

« Nomine autem Ordinariorum eadem S. Congregatio mi- « nime intelligendos in hoc casu judicavit vicarios Episco- « porum, aut vicarios a capitulo sede vacante deputatos, sed « Episcopos tantum.

« Quoniam autem auditum est supradictos Prælatos, ad quos « spectat conficiendorum processuum munus, delegare non- « nunquam totum hoc negotium, visum est eidem S. Congre-

« gationi admonendos esse minime id licere; sed tantum « delegare eos posse ad aliquem articulum; puta super ætate « promovendi, legitimitate, ac similibus; itemque receptio- « nem professionis fidei, atque informatoria super statu « ecclesiæ, quemadmodum in dicta Bulla et instructione « continetur.

« Cumque eadem Bulla atque instructio districte præci- « piant iis, quorum munus est hujusmodi processus conficere, « ut eos per seipsos faciant, S. Congregatio censuit oppor- « tunum fore, si Nuntii Apostolici, aliique admoneantur, ut « hanc rem imprimis servent, neve ullo pacto processus a suis « auditoribus, vicariis, aliisque ministris fieri permittant, « nisi ipsimet intersint. »

In hoc eodem decreto resolvitur etiam quæsitum istud : an Legatis saltem actu legationem exercentibus, dominisve Cardinalibus in curia residentibus, liceret per auditores suos dictorum processuum faciendorum munere fungi, sufficeretque ut ipsi professionem fidei et testium juramentum per seipsos reciperent. Re ad Summum Pontificem delata, « Sanctitas « Sua, perpensa rei gravitate ac magnitudine, judicavit, « dictos processus omnino ab ipsis dominis Cardinalibus fieri « oportere; et si forte ob aliquod impedimentum ipsimet hoc « munus adimplere nequiverint, licere iis vices suas alteri « Cardinali quem requisiverint demandare, ut in propositio- « nibus consistorialibus fieri consuevit. »

§ VII.

De processu et formalitatibus promotioni consistoriali præmittendis, quid statuerit Benedictus XIV, quoad Episcopos *in partibus infidelium*.

Quoad ejusmodi Episcopos prodierat die 9 octobris 1716, Clementis XI jussu, instructio a particulari Cardinalium Congregatione concinnata. Existimans autem Benedictus XIV, neque hanc instructionem, neque alteram Urbani VIII, com-

mode servari posse circa Episcopos ad sedes in *partibus infidelium* existentes promovendos, aliter ipse disposuit in sua constitutione *gravissimum* (18 junii 1757, tomo 4 ipsius Bullarii, n. 65), nimirum :

1° Concinnavit duplicem elenchum interrogationum, quorum prior inscribitur, *interrogatoria super statu ecclesiarum Albaniæ, Macedoniæ, Serviæ, Bulgariæ, Persidis et Armeniæ :* posterior vero, *interrogatoria super statu ecclesiarum maris Ægei.* Voluit mitti utrumque elenchum ad omnes harum regionum Antistites, qui deberent iis interrogationibus respondere ; ita ut responsa hæc tanquam permanens informatio circa ecclesias apud S. Congregationem de Propaganda permanerent. Atque singuli in iis partibus noviter constituti Episcopi, debent pariter ad hæc interrogatoria quoad suam quisque ecclesiam respondere.

2° Quoad informationes circa promovendi qualitates, distinxit duplicem casum : vel Romæ exstant ipsi promovendi, vel duo viri qui de ipsorum qualitatibus testari valeant ; et tunc faciendus est Romæ processus super qualitatibus, juxta elenchum interrogationum, quem ibidem (nempe in eadem sua Bulla *gravissimum*) subjicit : vel Romæ non adsunt promovendi, neque testes idonei ; et tunc judicium S. Congregationis de Propaganda, suadentis Summo Pontifici ut talem promoveat, pro sufficienti informatione habebitur circa qualitates personæ.

3° Quoad Vicarios Apostolicos episcopali charactere insignitos, nullus est faciendus processus super statu ecclesiæ : at super qualitatibus deputandi, distinguitur duplex casus : vel promovendus ipse, aut duo qui de ipso testari possint, Romæ præsentes sunt, vel non ; si prius faciendus est processus coram Auditore Cameræ Apostolicæ : si posterius, loco informatorii processus sufficiet judicium S. Congregationis de Propaganda.

§ VIII.

Exemplum processus circa promovendos, qualis fieri solet in Nunciaturis.

Gratum lectori fore existimavimus, si unum ex ejusmodi processibus hic transcriberemus. Sic enim omnino palam fiet, quomodo hac in re procedi soleat.

Processus inquisitionis, super qualitatibus R. D. Joannis Doney, promovendi ad episcopalem ecclesiam Montis Albani, si Sanctissimo Domino nostro placuerit acceptare dimissionem in ejus manibus sponte datam ab actuali Episcopo Montis Albani, necnon super statu actuali ejusdem ecclesiæ.

Nos Raphael Fornari, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Nicænus et S. D. N. Gregorii divina providentia Papæ XVI, Prælatus domesticus, ac pontificio solio assistens, et apud christianissimum francorum regem Nuntius ordinarius Apostolicus, etc., etc., etc.

Cum ex sacrosancti Concilii Tridentini Summorumque Pontificum decretis, omnes qui metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis ab Apostolica Sede præficiendi sunt, vitæ, morum, ætatis, doctrinæ et capacitatis attestationem dare, et publicam fidei orthodoxæ facere professionem, sicque in S. Romanæ Ecclesiæ, ac S. D. N. Papæ obedientia permansuros jurare ac spondere teneantur, simulque diligenter inquirendum sit super statu ecclesiarum vacantium: cumque R. D. Joannes Doney, a christianissimo francorum rege Ludovico Philippo I ad episcopalem ecclesiam Montis Albani nominatus, ad eamdem sit promovendus, quatenus placeat Sanctissimo Domino acceptare dimissionem propriæ diœcesis in ejus manibus sponte datam ab actuali Episcopo Montis Albani :

Nos ab eo requisiti, ut super præmissis inquisitionem instituamus, hujusmodi petitioni annuimus, ac testes infra nominandos, coram nobis productos et comparentes, omni humano affectu deposito, diligenter ac medio juramento audivimus et examinavimus ; eorumque dicta ac depositiones per dilectum in Christo Reverendum

dominum Petrum Lasagni, auditorem nostrum, et Notarium Apostolicum, juris utriusque doctorem, recipi et in scriptis redigi fecimus, in hunc qui sequitur modum :

Articuli super qualitatibus promovendi. — 1° (Et ibi ponuntur tredecim interrogatoria, ut in supracitata instructione Urbani VIII).

Articuli super statu Ecclesiæ Montis Albani. — 1° (Et ibi ponuntur 13 interrogatoria super statu ecclesiæ, ut in dicta Urbani VIII instructione).

Primus testis super qualitatibus promovendi. — Die 28 mensis decembris anni 1843, comparuit coram Excellentissimo ac Reverendissimo D. D. Archiepiscopo Nicæno, Nuntio Apostolico, meque infra scripto S. Nuntiaturæ Auditore, Notario Apostolico, Reverendus Dominus Josephus..., qui præstito juramento de veritate dicenda, tactisque sanctis Evangeliis, respondit ut infra :

Ad 1um... (Et ibi ponuntur responsa ad tredecim interrogatoria super qualitatibus promovendi).

Secundus testis. — Eodem die 28 mensis decembris 1843, comparuit (etc. sicut pro priori teste).

Primus testis super statu ecclesiæ Montis Albani. — Die 2 januarii, anno 1844 comparuit (etc. et ibi ponuntur responsa testis ad tredecim interrogatoria super statu ecclesiæ).

Secundus testis. — Eodem die 2 mensis januarii anni 1844 comparuit (etc. sicut pro priori teste).

Et absoluto hoc probationum processu, idem Excellentissimus ac Reverendissimus Archiepiscopus Nicænus, Nuntius Apostolicus jussit me infra scriptum S. Nuntiaturæ Auditorem, Notarium Apostolicum hic adjungere fidem baptismatis promovendi, litteras testimoniales suscepti ab eo sacri presbyteratus ordinis, necnon formam professionis fidei ab eodem una cum juramento emissæ.

Ut autem huic originali plena fides adhibeatur, Excellentissimus ac Reverendissimus Nuntius eidem propria manu subscripsit, solitoque ejus ac meo sigillo muniri mandavit. — Datum...

§ IX.

Qua forma a promovendo emittatur fidei professio.

Traditur promovendo folium, in quo impressa habetur formula professionis fidei a Pio Papa IV præscripta. Eam pronuntiat flexis genibus, utraque manu super librum Evangeliorum posita, et eidem subscribit.

In eodem folio Nuntius professionem fidei recipiens ita testatur :

Nos Raphael Fornari..., notum facimus R. D. Joannem promovendum ad ecclesiam..., coram nobis hodie personaliter comparuisse, fideique professionem, juxta formam ex altera parte impressam, in manibus nostris emisisse, omniaque et singula in ea contenta fideliter et de verbo ad verbum, alta voce, flexis genibus legisse, seque illa credere et omni tempore servaturum, et a suis subditis servari curaturum, jurejurando tactisque SS. Evangeliis promisisse, proprium nomen cognomen, et qualitates in eadem fidei professione manu sua scripsisse et subsignasse. In quorum fidem, præsentes manu mea subscriptas, et sigillo meo munitas, per dilectum in Christo R. D. Petrum Lasagni, auditorem nostrum et Notarium Apostolicum expediri fecimus. — Datum...

§ X.

Quomodo fiat promotio in Consistorio.

Tantisper hac in re immutata est praxis ab aliquanto tempore. Hinc quæ traduntur a canonistis, etiam sat recentibus (prout a Lucio Ferraris et ejusdem aut superioris ævi) cum hodierna praxi non omnino concordant. Præcipua breviter adnotabimus.

QUÆSTIO I[a]. — *Quomodo haud a multo tempore fieri soleret promotio in Consistorio.* — 1° Processus informatorius circa

promovendos (sive Romæ confectus, sive extra Curiam per Nuntios Apostolicos aliosve, juxta superius exposita) examinandus tradebatur, tum Cardinali *relatori* (illi nempe qui in Consistorio de eodem processu referre debebat), tum aliis tribus, nimirum, primo e Cardinalibus Episcopis, primo e Cardinalibus presbyteris, et primo e Cardinalibus diaconis.

2° Peracto examine dicti processus, de idoneitate promovendi declarabat Cardinalis relator hoc formula : *Ego N..., sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis, relationem facturus in proximo Consistorio de præmissis, censeo Reverendum N... esse habilem et idoneum, qui ad supradictam ecclesiam N... promoveatur. Romæ ex nostro Palatio, die... Ego N..., Cardinalis N..., qui supra.* Et idem testando subscribebant pariter alii tres dicti Cardinales (vide apud Ferraris, V. *Episcopus*, art. 2, n. 18).

3° Munus *relatoris* explere prærogativa esse solebat Cardinalis *protectoris*. Si nempe regnum, in quo episcopatus ad nominationem regis conferuntur, haberet Romæ aliquem Cardinalem *protectorem*, is quoad promovendos in eo regno *relator* erat. Secus, ille Cardinalis *relatorem* agebat, quem ad id Summus Pontifex deputasset.

4° In primo Consistorio fiebat propositio prima, quam *præconizationem* canonistæ vocant, et cui *vim electionis* esse dicunt. Pro quo adhibebatur hæc brevis formula : *Beatissime Pater, vacat ecclesia N..., per obitum N... Ad jussum Sanctitatis Vestræ, ego N..., Cardinalis N..., proponam Reverendum N..., civitatis N...* (vide apud Ferraris, V. *Episcopus*, art. 2, n. 19).

5° In secundo Consistorio fiebat altera propositio seu relatio, plenior et in extenso. Tum Summus Pontifex dicebat, *quid vobis videtur*. Et debebat unusquisque, quid sentiret patefacere. Postea Sanctissimus, detecto capite, pronuntiabat decretum promotionis seu provisionis, per formulam *auctoritate Omnipotentis*, etc., infra ponendam (vide apud Moroni, *Dizionario*, verbo *Concistoro*, § 2).

QUÆSTIO II*. — *Quomodo hodie fieri soleant in Consistorio Epi-*

scoporum promotiones. — 1° Propositiones pro Consistorio concinnantur a substituto et notario ejusdem Consistorii. Postea typis mandantur, et toti sacro Cardinalium Collegio distribuuntur.

2° Unam ex ejusmodi propositionibus hic transcribemus, ut videat lector quænam in eis forma adhiberi soleat :

« Romæ 1842, ex typographia Reverendæ Cameræ Apo-
« stolicæ. — Eminentissime et Reverendissime Domine. —
« Sanctissimus Dominus noster in proximo Consistorio pro-
« ponet ecclesiam Æsinam, vacantem per dimissionem libere
« et sponte ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino
« Petro, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Ostini, in manibus
« ejusdem Sanctitatis Suæ factam ; ac referet ipsius Ecclesiæ
« statum ; ad quam Sanctitas Sua promovere intendit Eminen-
« tissimum et Reverendissimum Sylvestrum, Sanctæ Roma-
« næ Ecclesiæ presbyterum tituli Sanctæ Balbinæ Cardina-
« lem Belli.

« Æsina Anconitanæ provinciæ civitas, partim in monte et
« partim in planitie posita, trium circiter milliariorum est
« ambitus, et bis mille domos ac 10,000 circiter enumerat
« incolas, qui temporali quoque Sanctæ Sedis Apostolicæ di-
« tioni subjiciuntur. Cathedralis ecclesia sancto Septimio
« martyri, primo illius civitatis Episcopo dicata, boni ædifi-
« cii, nullam expostulat reparationem ; dictæque Sanctæ Sedi
« est immediate subjecta. Ejus capitulum unica tantum
« constat prioratus dignitate, decem canonicis cum præbenda,
« et octo beneficiariis ; nonnullis insuper capellanis et clericis
« ibi divinis inservientibus. Animarum cura penes capitulum
« in præfata cathedrali exercetur per presbyterum, vicarium
« nuncupatum ; ubi fons baptismalis exstat, necnon sacrarium
« omni sacra supellectili, etiam ad pontificalia obeunda
« necessaria satis provisum ; plura insuper sanctorum pignora,
« inter quæ corpus ejusdem sancti Septimii Æsinæ civitatis
« patroni, ac brachium sancti Romualdi, decenter asservan-
« tur. Chorus insuper, organum, turris cum campanis, cœ-

« meterium vero extra civitatem. Æpiscopales ædes cathedrali « proximæ, nuper partim a fundamentis auctæ, ac partim « instauratæ, nullius egent reparationis. Fructus taxati sunt « in libris cameræ ad florenos 350 ; verus autem illorum « valor est non minor 6,000 scutatis monetæ romanæ.

« Præter cathedralem, in dicta civitate tres exstant paro« chiales ecclesiæ sine foute baptismali ; quo tamen nonnullæ « parœciæ suburbanæ sunt munitæ. Exstant pariter septem « virorum ac tria mulierum monasteria, conservatorium, « plura laicorum sodalitia, hospitale, mons pietatis, et semi« narium. Diœcesis ambitus ad 30 circiter milliaria proten« ditur, et quatuordecim sub se loca complectitur.

« Constant hæc ex processu confecto coram R. P. D. Pros« pero Caterini, Sanctitatis Suæ Auditore. Supplicatur pro « expeditione, cum retentione tituli presbyteralis, omnium « quæ obtinet, ac indultorum quibus gaudet, necnon cum « clausulis necessariis et opportunis. »

Quomodo variet hæc formula, quando processus informatorius factus fuit extra Curiam, quando sedes vacat per mortem, quando agitur de promovendo ad titulum *in partibus*, etc., vide apud Moroni (verbo *Concistoro*, § 2).

3° Hodie in Consistorio proponitur promovendus, non jam ab aliquo Cardinali ut antea, sed ab ipsomet Summo Pontifice.

4° Formula qua utitur Summus Pontifex (mutatis quæ pro variis casibus mutanda sunt) est hujuscemodi :

Per obitum bonæ memoriæ Antonii Begni, ultimi illius Episcopi pastoris solatio viduata est ecclesia Feretrana. Illius ecclesiæ statum in propositionibus cognovistis. Ad dictam ecclesiam promovere intendimus dilectum filium Antonium Antonucci, presbyterum ecclesiæ Sublacensis canonicum, juris utriusque, ac sacræ theologiæ doctorem, qui deputatus est a nobis ad ecclesiasticas res obeundas in missionibus Hollandiæ uti vice præses. Ibi charitatis, zeli et religionis eximia præbuit testimonia. — Quid vobis videtur? — Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum

Petri et Pauli, ac Nostra, providemus præfatæ ecclesiæ de persona dicti Antonii, præficientes eum in Episcopum et pastorem, cum decreto vacationis canonicatus quem ut supra obtinet, ac indulto retinendi beneficia omnia compatibilia, quibus gaudet, atque etiam decreto emittendi professionem fidei; illamque sic emissam ad Urbem intra præfixum tempus transmittendi, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur. In nomine Patris, etc.

5° Notetur verba, *quid vobis videtur,* hodie esse mere cæremonialia. Non enim sententiam dant Cardinales in ipso Consistorio.

Item notetur, conferri episcopalem jurisdictionem per hæc verba Summi Pontificis, *auctoritate omnipotentis,* etc.

Tandem notetur, propositionem sic factam a Summo Pontifice et decretum *auctoritate omnipotentis,* etc., vim habere *electionis* et *confirmationis.*

§ XI.

De nonnullis quæ pronuntiatam a Papa promotionem consequuntur.

I. *De schedula et de Bullis.* — 1° Postquam Summus Pontifex legit *folia consistorialia* (in quibus scilicet descriptæ sunt promotiones juxta formulam superiori paragrapho traditam), a Cardinali Vice-Cancellario fiunt *schedulæ,* quibus idem Cardinalis fidem facit de singulis promotionibus; quæ schedulæ pro norma habentur ad conficiendas postea in Cancellaria provisionis Bullas.

2° Expeditur authenticum de facta promotione testimonium, ad unumquemque promotum Episcopum.

3° Quando Episcopus unius diœcesis ad aliam fuit promotus, testimonium de hac promotione quod ipsi mittitur, effectum habet valde notabilem : statim nempe ac ejusmodi testimonium ad notitiam Episcopi translati pervenit, cessat ejus in priori diœcesi jurisdictio, et ad cathedrale capitulum transit; prout dicimus infra, agendo de Episcoporum translationibus.

4° Postmodum in Cancellaria extenduntur et expediuntur provisionis Bullæ; sine quibus receptis et cathedrali capitulo ostensis; nequit novus Episcopus diœcesis suæ possessionem capere, aut ullum in ea jurisdictionis aut administrationis actum valide exercere.

II. *De præstando Sedi Apostolicæ juramento fidelitatis et obedientiæ.* — 1° Diximus supra emittendam esse a promovendis professionem fidei, in manibus illius ad quem pertinet processum informatorium circa promovendos facere. Si nempe promovendus Romæ sit, ad Summi Pontificis Auditorem pertinet dictum processum facere; ac proinde, in cjus manibus emittenda etiam est fidei professio. Si vero in alia regione sit promovendus, fit processus et recipitur fidei professio, a Nuntio Apostolico; aut eo deficiente, ab alio juxta supra transcriptam Urbani VIII instructionem.

2° At præter hanc fidei professionem, tenetur adhuc novus Episcopus post suam in Consistorio promotionem, Romano Pontifici fidelitatis et obedientiæ juramentum præstare. Nimirum,

Si Romæ fuerit, debet illud juramentum præstare coram Cardinali Vice-Cancellario, et iterum coram primo e Cardinalibus diaconis (vide apud Moroni, tomo 15, p. 226, edit. Venet. 1842).

Si alibi fuerit, illud præstare debet in manibus Episcopi consecratoris, intra ipsiusmet episcopalis consecrationis functionem.

3° Formula juxta quam juramentum emittendum est inseritur in ipsismet provisionis Bullis, quæ novis Episcopis expediuntur. Varia autem est hæc formula, pro variis regnis aut regionibus in quibus exstant sedes episcopales quibus providetur (vide Moroni, *Dizionario,* V. *Concistoro,* § 2, tomo 15, pag. 226, edit. Venet. 1842).

4° Tenentur insuper, ex præcepto Tridentini Concilii (sess. 25, c. 2), Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchæ, professionem fidei emittere in primo Concilio *provinciali* cui

interernnt. Et adhibenda est formula Pii IV, prout habetur in Pontificali, sub titulo *ordo ad Synodum*. Non tenentur eam emittere in prima Synodo *diœcesana*, quamvis id laudabiliter nonnulli faciant (Benedictus XIV, de *Syn. diœc.*, l. 5, c. 2, n. 4).

Si quis (quod avertat Deus) dicto præcepto Tridentino obsequi renueret, decernunt Tridentini Patres in hunc modum : *Episcopi comprovinciales statim Summum Romanum Pontificem admonere sub pœna divinæ indignationis teneantur, interimque ab ejusdem communione abstineant* (sess. 25, c. 2, *de Ref.*).

CAPUT III.

DE EPISCOPORUM CONSECRATIONE.

Propositio I. — *Electus et confirmatus, seu in Consistorio provisus, tenetur intra tres menses (a tempore habitæ notitiæ de sua promotione computandos) consecrationem suscipere, sub pœna amissionis fructuum : et nisi intra tres alios menses consecrationem receperit, episcopatu ipso facto privatur.* — Sic decrevit Tridentina Synodus : « Ad majores ecclesias promoti, munus conse« crationis infra tempus a jure statutum suscipiant : et pro« rogationes ultra sex menses concessæ nulli suffragentur. » (Sess. 7, c. 9, *de Ref.*) « Ecclesiis cathedralibus seu superio« ribus, quocumque nomine ac titulo præfecti, etiamsi Sanctæ « Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus consecrationis « intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum « restitutionem teneantur : si intra totidem menses postea id « facere neglexerint, ecclesiis ipso jure sint privati. » (Sess. 23, c. 2, *de Ref.*) Sub hac dispositione comprehenduntur, non tantum ii qui per capitulum electi sunt et postea confirmationem electionis obtinuerunt, sed etiam provisi a Papa in Consistorio, pro quibus, ut diximus, promotio consistorialis vim habet electionis et confirmationis. Loquitur enim Synodus de *promotis*, et de iis, qui quocumque titulo ecclesiis cathe-

dralibus seu superioribus *præfecti* fuerunt. His autem decretis idipsum disponitur, quod in conclusione posuimus, excepta determinatione temporis a quo trimestre computandum sit. Quod vero illud trimestre currere incipiat, a momento quo promotus notitiam recepit promotionis suæ, tenent doctores communiter (vide, apud Ferraris, verbum *Episcopus*, art. 2, n. 22). Cæterum de jure communi, ante Tridentinam Synodum vigente, tenebantur pariter promoti intra dictum trimestre consecrationem recipere, prout canone *quoniam* (2 distinctionis 75), canone *quoniam* (1 distinctionis 100), aliisque documentis constat.

Nota. — Apud Ferraris (verbo *Episcopus*, art. 2, n. 53) asseritur, teneri Episcopum electum et confirmatum intra *tres menses* consecrationem recipere, sub pœna amittendi, non tantum fructus, sed *etiam ecclesiam;* et fundatur assertio Constitutione *cum nobis* Benedicti XIV (in ipsius bullario, tomo 2, n. 36). Id si decrevisset Benedictus XIV, aliquid Tridentinæ sanctioni addidisset, qua sola fructuum amissio in pœnam decernitur, quoad neglectam intra trimestre consecrationem ; et privationis pœna non infligitur, nisi per sex menses consecratio omissa fuerit. Sed dictam constitutionem legi, et nequaquam inveni assertam illam dispositionem.

Propositio IIa. — *Ad validam consecrationem sufficit unus Episcopus : ad licitam autem requiruntur tres, nisi Pontificia dispensatio interveniat.*— 1° Equidem diuturna exstitit hac de re inter doctores controversia. « Animadvertimus (inquit Bene- « dictus XIV), circa quæstionem an Episcopi consecratio ab « uno tantum Episcopo peracta nulla sit, an tantummodo « illicita, tres circumferri auctorum sententias. Quarum al- « tera est pro nullitate... Altera nullam itidem irritamque « asserit ejusmodi ordinationem, nisi Pontificio indulto seu « dispensatione concessum fuerit ut eadem ab uno tantum « Episcopo perageretur... Tertia denique propugnat, quamvis « (juxta disciplinam a sacris canonibus præscriptam) episco- « palis ordinatio ab uno Episcopo, aliis duobus Episcopis ei

« assistentibus sit peragenda (ut legitur in canone *Episcopi* et « canone *Episcoporum* distinctionis 15; et canone *porro* dis- « tinctionis 66), tamen si ab uno Episcopo habeatur, reliquis « duobus nec accitis nec præsentibus nec cooperantibus, « ratam esse et validam, quantumvis illicitam. » (*De Syn. diœces.*, lib. 13, c. 13, n. 4.)

2° At nunc, ob Sedis Apostolicæ decisiones et praxim, tanquam certa tenenda est posita conclusio. Etenim « Romani « Pontifices *frequenter indulta* elargiuntur (sunt verba laudati « Benedicti XIV, loco citato), ut in remotioribus regionibus, « in quibus haud facile tres Episcopi una convenire possunt, « ordinandus consecrationis munus recipiat ab uno Episcopo, « duabus ipsi assistentibus dignitatibus, vel duobus etiam « simplicibus sacerdotibus... In collectione Apostolicarum « Constitutionum, Brevium, et Decretorum pro sacris missio- « nibus Sinarum et Tunkini exhibetur Breve Alexandri VII, « quo Vicariis Apostolicis superstitibus indulgetur, ut in Epi- « scopum præficere valeant sacerdotem, utque illius conse- « cratio ab uno Episcopo, duobus simplicibus sacerdotibus, « vel etiam nullo plane assistente perficiatur. » Ergo persuasum habet Sedes Apostolica, neque duorum aliorum Episcoporum, neque ullius etiam presbyteri assistentiam requiri, ut *valida* sit consecratio, si adsit indultum Pontificium.

Sed etiamsi fiat consecratio absque ullis assistentibus, et absque obtenta Pontificia dispensatione, adhuc valida erit, quamvis illicita. Fuit mature id discussum sub Alexandro VII, occasione alicujus consecrationis ejusmodi, contra formam canonum absque indulto Pontificio peractæ. Præfatus Pontifex « in suis litteris datis 26 novembris 1718.., salutaribus pœni- « tentiis tam ordinatori quam ordinato injunctis, ratam fir- « mamque, sed illicitam consecrationem pronuntiavit. » (*De Synodo diœcesana*, l. 13, c. 13, n. 10.)

PROPOSITIO III^a. — *Nullus Episcopus, nisi commissionem a Papa acceperit, licite potest aliquem in Episcopum consecrare.* —

Quando electio fiebat a cathedralium capitulis et confirmatio suffraganeorum ad Metropolitanum pertinebat, ad hunc quoque spectabat eorumdem consecratio. At vero ex quo Sedes Apostolica episcopatuum provisiones sibi reservavit, simul eidem Sedi Apostolicæ reservata fuit consecrandi facultas. Unde juxta hodiernum jus commune, impertiri nequit consecratio, nisi a Romano Pontifice, vel ab illo Episcopo quem ad id Romanus Pontifex deputaverit. Quod certum esse atque omnino tenendum, satis palam faciunt hæc Benedicti XIV verba (Constitutione *in postremo*, 20 octobris 1756, in ipsius bullario, tomo 4, n. 63, § 15) : « Sublatis electionibus olim celebrari « solitis a canonicis vacantis ecclesiæ..., restitutaque veteri « disciplina, providendi episcopatibus per Apostolicam Sedem « (salvis tamen Concordatis initis cum aliquibus nationibus, in « quibus, retentis electionibus, earum confirmatio reservatur « Summo Pontifici), in eumdem quoque (*Summum Pontificem*) « recidit jus consecrandi Episcopos, vel constituendi delegatos « ad consecrationem peragendam, etsi superioribus sæculis « suffraganeorum consecratio esset Metropolitæ reservata, « nec manus in ea apponeret Summus Pontifex, prælerquam « si quandoque Metropolita injuste suffraganeum consecrare « abnueret... Vigens nunc temporis disciplina describitur a « Gonzalez (in cap. *nec Episcopus*, n. 6, *de temp. ordinat.*) per « hæc verba : *Hodie consecratio Episcoporum, non ex Metropo-* « *litani jussu, sed Pontificis mandato fit. Cum enim Romanus* « *Pontifex sibi reservaverit cathedralium ecclesiarum collationem,* « *similiter ab ejus libito pendere voluit Episcoporum consecra-* « *tionem*. Quod ipsum in Pontificali Romano quoque accurate « describitur (tit. *de consecratione electi in Episcopum*), hæcque « sunt verba : *Nemo consecrari debet, nisi prius constet conse-* « *cratori de commissione consecrandi, sive per litteras Apostolicas,* « *si sit extra Curiam, sive per commissionem vivæ vocis oraculo,* « *a Summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit* « *Cardinalis*. Pergitque Schmier (tom. 1 juris, libro 1, tra- « ctatu 3, cap. 1, n. 569) : moderno jure consecratio Episco-

« porum et Archiepiscoporum, Summo Pontifici reservata « est ; et ab eo specialiter delegandam esse, communiter « dicitur. »

Nota. — Posita est in conclusione vox *licite.* Etenim certum est consecrationem fore validam, etiamsi fieret ab Episcopo commissionem non habente : immo etiamsi fieret ab Episcopo deposito, excommunicato, schismatico aut hæretico ; quia valor pendet solummodo ab episcopali consecrantis charactere.

Propositio IVª. — *Praxis est ut Summus Pontifex facultatem faciat peragendæ consecrationis illi Episcopo quem consecrandus maluerit : cum aliqua tamen restrictione si consecratio Romæ celebranda sit.* — In solita nempe formula Bullæ, quæ ad Episcopum promotum, sed nondum consecratum, expeditur, consecrationem a quocumque maluerit recipiendi facultas ipsi conceditur his verbis : ... *Tibi presbytero, ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habente, munus consecrationis recipere valeas....* Narrat autem Benedictus XIV(Constitutione *in postremo,* 20 octobris 1756, § 16) quomodo ipsius prædecessor Benedictus XIII voluerit formulam illam et praxim moderari in favorem Metropolitanorum, quando de consecrandis suffraganeis ageretur. Nimirum « jussit mandatum *de consecrando,* quod suffraganeo « Episcopo concederetur, in posterum dirigi ad ejus Metro« politanum, tributa simul ipsi facultate, si aliquo detineretur « impedimento, subdelegandi alium sibi bene visum Episco« pum : casu autem sese offerente consecrandi Metropolita« num, constituit ut mandatum *de consecrando* antiquiori Epi« scopo suffraganeo inscriberetur. » Sed nova hæc praxis visa est difficultatibus obnoxia; et jam factus fuerat ad antiquam formulam reditus, quando Benedictus XIV ac Sedem Apostolicam evectus est, prout ipse narrat, citato loco ; quæ formula, eligendum consecratorem relinquens ipsimet consecrando, adhuc hodie in usu est.

At vero si consecratio Romæ facienda sit, debet conse-

crandus in consecratorem eligere « aut unum ex Cardinali« bus episcopali charactere insignitum, aut aliquem ex qua« tuor Patriarchis plerumque in Urbe residentibus...; eo « tantum excepto casu quo nemo ex præfatis oblatum sibi « consecrationis peragendæ munus acceptum haberet : in hac « quippe casus hypothesi, facta est Episcopo consecrando « facultas adeundi alium quemcumque Archiepiscopum, Epi« scopumve, qui ei consecrationem impenderet. » Ita a se dispositum narrat Benedictus XIV (citata Const. *in postremo,* § 16). Casu autem quo Romæ simul adessent Metropolitanus et suffraganeus, constituit idem Pontifex, « ne consecratio suffraganei cuiquam, præter quam suo Metropolitæ, delegetur. » (Ibid.)

PROPOSITIO V^a^. — *Consecratio Episcopi fieri debet die dominica.* — Vide apud Ferraris, verbo *Episcopus,* art. 2, n. 23.

PROPOSITIO VI^a^. — *Qui non est presbyter, an possit valide consecrari in Episcopum, non præmissa presbyteratus collatione, controvertitur.* — 1° Non concordant doctores circa quæstionem facti, an scilicet fuerit unquam ad Summum Pontificatum vel ad episcopatum canonice electus simplex diaconus, antea ipsi non collato presbyteratu, sed tantummodo eidem ministrata episcopali consecratione. « Æneas Parisiensis Episco« pus, in suo libro *adversus objectiones Græcorum* (apud Lucam « de Achery, tom. 7, spicilegii, p. 48) primus in partem affir« mantem concessit; cui quoque adhæsere P. Mabillon..., « Martène..., Sagi..., Sadini... Negantem vero viriliter tuen« tur Morinus... Idipsum asseritur a Juenin...; hæcque ipsa « sententia solide confirmatur ab crudito sacerdote Cata« lano. » Ita Benedictus XIV (Constitutione *in postremo,* 20 octobris 1756, § 10), qui neganti sententiæ adhæret tanquam probabiliori.

2° An autem valida erit, si quando fieri contingat, consecratio diaconi in Episcopum, haud collato prius presbyteratu, pariter controvertitur. Nec mirum, cum pendeat quæstio hæc ab aliis vehementer disputatis, nempe, an episcopatus sit

ordo a presbyteratu distiuctus, num *adæquate* vel potius *inadæquate* distinctus, num character in episcopali consecratione impressus alius sit a charactere impresso in susceptione presbyteratus, vel potius sit ejusdem extensio. Si presbyteratus *eminenter* in episcopatu contineatur, valida dicenda erit consecratio diaconi iu Episcopum, prætermisso presbyteratu : sin vero episcopatus sit ordo a presbyteratu distiuctus, nec presbyteratum eminenter contineat, iuvalida diceuda erit dicta consecratio diaconi in Episcopum.

Cæterum plaue licitam circa præfatas quæstiones controversiam existimasse Benedictum XIV, evincunt hæc ipsius verba : *Cum nemo prohibeat disceptare, num episcopatus sit ordo a presbyteratu distinctus, an character in episcopali consecratione impressus differat, vel potius sit ampliatio quædam characteris in collatione presbyteralis ordinis impressi, itidemque an vetustioribus temporibus a diaconatu factus sit transitus ad episcopatum, ordine presbyterali non antea suscepto* (Constitutione *in postremo,* 20 octobris 1756, § 17).

NOTA. — *Circa quæstionem an Episcopus electus et confirmatus, seu in Consistorio promotus, possit, ante suam consecrationem, Synodum cogere?* — Vix practica est quæstio hæc, cum teneatur ejusmodi Episcopus intra tres menses consecrationem suscipere, ex Tridentino decreto(sess. 23, c. 2); et nequaquam expediat interea Synodum ab ipso (utpote rerum diœcesis nondum satis scio) celebrari. Quo prænotato breviter solvitur difficultas in hunc modum :

1° Potest ejusmodi Episcopus Synodnm celebrare, exhibitis prius confirmationis suæ Bullis. Ita doctores communiter (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœ.*, l. 2, c. 5, editionis in 13 libros divisæ).

2° Id uequit, ante exhibitas præfatas Bullas ; nisi sit Cardinalis (Benedictus XIV, ibid., n. 6 et 7).

3° Archiepiscopus vero id nequit, etiam Bullas exhibendo, et etiamsi jam sit consecratus, nisi Pallium acceperit. Recepto autem Pallio statim Synodum cogere potest (idem, ibid., u. 8).

CAPUT IV.

NOMINATI A PRINCIPE NEQUE LICITE NEQUE VALIDE POSSUNT A CAPITULIS DEPUTARI IN VICARIOS CAPITULARES, AUT SUB ALIO QUOVIS TITULO DIŒCESES AD QUAS NOMINATI SUNT, ADMINISTRARE (UBI DE CARDINALI MAURY ET PARISIENSI CAPITULO).

Quanti momenti sit positæ conclusionis veritatem perspectam omnino atque exploratam habere, vel inde satis colligi potest, quod opinio contraria pluries in Galliis intrusionum scandalum schismatisque periculum excitaverit. Quapropter paulo uberior visa est hac de re instituenda disceptatio, adhibita sequenti paragraphorum serie : 1° juris textus necnon alia quæ materiam illam respiciunt documenta præmittemus; 2° probabimus *electos* ad episcopales sedes, de jure communi, neque licite neque valide posse in earum administrationem quovis modo aut titulo sese ingerere, ante obtentas et ostensas confirmationis Bullas; 3° sub decretali *injunctæ* comprehendi, non tantum *electos,* sed et *nominatos :* horum proinde administrationem quamlibet, ante obtentas et ostensas Pontificias Bullas, illicitam prorsus esse ac irritam; 4° jus commune, *electos* ab administratione arcens, *nominatos* etiam attingere; 5° confutabitur erronea opinio quæ tenet, vi decretalis *nihil,* posse nominatos a rege, certis concurrentibus circumstantiis, diœcesim administrare, ante obtentas Pontificiæ provisionis litteras; 6° explodemus prætensam Galliæ consuetudinem, legitime (ut aiunt) præscriptam, vi cujus nominati a laico principe diœcesim administrare valeant, aut tanquam vicarii a capitulo deputati, aut sub alio quovis titulo; 7° omnino tenendum probabimus, unius diœcesis Episcopum, antequam a vinculo quo huic diœcesi devincitur Pontificia Auctoritate fuerit absolutus, haud posse in vicarium capitularem alterius diœcesis eligi seu deputari; et talem deputa-

tionem, si attentetur, esse prorsus invalidam; 8° tandem concludetur, miserandum in modum errasse, et intrusionis reos fuisse Cardinalem Maury, necnon cathedralis Parisiensis canonicos, qui eum in vicarium capitularem deputarunt.

§ I.

Præmittuntur juris textus et varia quæ ad rem faciunt documenta.

I. *Decretalis* nihil, 44 *de electione*. — Edita est ab Innocentio III in Concilio Lateranensi, anno 1215; et solet contra positam conclusionem objici, ob hanc, quæ in ea occurrit, dispositionem: « Qui ad Romanum pertinent immediate (1) « Pontificem, ad percipiendam sui confirmationem officii, ejus « se conspectui (si commode fieri potest) personaliter repræ- « sentent, aut personas transmittant idoneas..; ut sic demum « sui plenitudinem officii assequantur, cum eis nihil obsti- « terit de canonicis institutis: *ita quod interim valde remoti,* « *videlicet ultra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia,* « *dispensative propter necessitates ecclesiarum et utilitates, in* « *spiritualibus et temporalibus administrent;* sic tamen ut de « rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent. »

II *Decretalis* avaritiæ, 5 *de electione, in* 6. — Edita est a Concilio œcumenico Lugdunensi, sub Gregorio X, anno 1273: « Avaritiæ cœcitas et damnandæ ambitionis improbitas ali- « quorum animos occupantes, eos in illam temeritatem « impellunt, ut quæ sibi a jure interdicta noverint, exquisitis « fraudibus usurpare conentur. Nonnulli siquidem ad regimen « ecclesiarum electi, quia eis, jure prohibente, non licet se

(1) Tunc temporis ad Romanum Pontificem *immediate* pertinebant ad recipiendam confirmationem omnes Metropolitani, et (ex privilegio) aliqui alii, a Metropolitarum jurisdictione exempti: cæteri omnes Episcopi electi, non a Romano Pontifice, sed a suis respective Metropolitanis confirmationem recipiebant; ita scilicet approbante Sede Apostolica, quæ nondum omnes confirmationes sibi exclusive reservaverat.

« ante confirmationem electionis celebratæ de ipsis, administrationi ecclesiarum ad quas vocantur ingerere, ipsam « sibi tanquam procuratoribus seu œconomis committi procurant. Cum itaque non sit malitiis hominum indulgendum, « nos latius providere volentes, hac generali constitutione « sancimus, ut nullus de cætero administrationem dignitatis « ad quam electus est, priusquam celebrata de se ipso electio « confirmetur, sub œconomatus vel procurationis nomine, « aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in totum, gerere « vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos « qui secus fecerint, jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, decernentes eo ipso privatos. »

III. *Decretalis* injunctæ, *anni* 1300. — Habetur inter extravagantes communes, titulo *de electione*, capite 1. In ea sic disponit Bonifacius VIII : « Sancimus, ut Episcopi et alii prælati superiores, necnon abbates, priores et cæteri monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud dictam Sedem promoventur, aut confirmationis, « consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad « commissas eis ecclesias et monasteria, absque dictæ Sedis « litteris hujusmodi, eorum promotionem, confirmationem, « consecrationem seu benedictionem continentibus, accedere « vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere « non præsumant : nullique eos absque dictarum litterarum « ostensione recipiant, aut eis pareant vel intendant. » Sequuntur pœnæ, tum contra eos qui absque obtentis et ostensis dictis litteris Apostolicis administrationem assumunt, tum contra capitula quæ eos recipiunt eisque obediunt.

IV. *Bulla* IN SUPREMO *Clementis XI*. — Edita est Bulla hæc die 24 augusti 1709. Cumque circa ipsam de qua agimus quæstionem tota versetur, quamdam saltem ipsius analysim subjiciendam duximus. In bullario hæc ei rubrica præfigitur : « Declaratio nullitatis electionis seu nominationis R. Francisci « de Solis, Episcopi Ilerdensis, in gubernatorem ecclesiæ

« Abulensis, ab illius decano, capitulo et canonicis, per abu-
« sum laicalis potestatis, factæ. » Vacante nempe Abulensi sede, Hispaniæ rex ad eam nominaverat Franciscum de Solis, Ilerdensem Episcopum ; atque insuper Abulensi capitulo significandum procuraverat, ut eumdem in vacantis diœcesis administratorem deputaret. Regiæ voluntati morem gessere Abulenses canonici, dictum Franciscum de Solis in administratorem deputando, necnon ipse Franciscus de Solis, hanc administrationem acceptando et exercendo. Quod sic enarrat Pontifex :

« Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam, non sine gravi
« animi nostri molestia, pervenit, quod alias tunc existens
« secretarius *universæ* (ut vocant) *expeditionis* charissimi in
« Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici,
« dilectis filiis decano, capitulo et canonicis ecclesiæ Abu-
« lensis, per suas litteras die 4 februarii proxime præteriti
« conscriptas nuntiavit, quod, cum... idem Philippus rex ad
« ecclesiam prædictam venerabilem fratrem Franciscum de
« Solis, Episcopum Ilerdensem.., præsentasset, quia ab illo
« sic præsentato curam et regimen dictæ ecclesiæ quam-
« primum suscipi et assumi cupiebat, eidem secretario man-
« daverat, ut decano, capitulo et canonicis præfatis significa-
« ret, ipsi Philippo regi gratissimum fore, si dictus Franciscus
« Episcopus incunctanter ab eis in provisorem et vicarium
« generalem seu gubernatorem prædictæ ecclesiæ eligeretur
« seu nominaretur, eique jura et facultates (quæ ipsis, illius
« sede episcopali vacante, competebant) attribuerentur, ad hoc
« ut absque ulla mora, donec dictæ ecclesiæ de persona ipsius
« Francisci a nobis provideretur, et litteræ Apostolicæ desuper
« de more expedirentur, eamdem ecclesiam tanquam futurus
« ejus sponsus regere et gubernare posset et valeret : dicti
« vero decanus, capitulum et canonici... secretario præfato
« rescripserunt, se quæcumque jura sibi competentia dicto
« Philippo regi libenter deferre ; paratos se exhibentes illa
« dicto Francisco Episcopo subdelegare, eumque in guber-

« natorem ejusdem ecclesiæ eligere ac nominare... : cum « autem, in præmissorum sequclam, decanus, capitulum et « canonici prædicti, juribus sibi (sicut præmittitur) compe- « tentibus in eumdem Franciscum Episcopum translatis, illum « subinde in provisorem seu gubernatorem dictæ ecclesiæ « eligere seu nominare ausi fuerint ; ipseque Franciscus Epi- « scopus, electionis seu nominationis hujusmodi vigore, « ecclesiam suam Ilerdensem absque nostra licentia deserere, « necnon curam, regimen et guberuium ejusdem ecclesiæ « Abulensis suscipere et exercere præsumpserit, et adhuc « præsumat : explorati vero juris sit, ipsum Franciscum Epi- « scopum minime potuisse nec posse, sub œconomatus, « procuratoris, provisoris, vicarii generalis seu gubernatoris « nomine aut alio quovis quæsito colore seu titulo, curam, « regimen et administrationem ejusdem ecclesiæ Abulensis in « spiritualibus vel temporalibus gerere vel recipere, aut illis « ullatenus se immiscere, antequam a vinculo (quo tenetur « ecclesiæ Ilerdensi cui præest, et a quo nonnisi a nobis « absolvi potest) realiter et cum effectu absolvatur, ac ad « præfatam ecclesiam Abulensem transferatur, eique de illius « persona a nobis provideatur... »

His enarratis, pronuntiat Clemens XI dictæ nominationis ab Abulensi capitulo factæ nullitatem : « Electionem seu nomi- « nationem Francisci Episcopi in provisorem seu gubernatorem « præfatæ ecclesiæ Abulensis ; ac quorumcumque jurium et « facultatum in ipsum translationem seu concessionem, ei ab « eisdem decano, capitulo et canonicis factas ; aliaque omnia « et singula.., electionis seu nominationis ac translatorum... « jurium et facultatum hujusmodi vigore seu prætextu.., « qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata « vel disposita, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) « agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda et ordi- « nanda ;... *penitus et omnino nulla, invalida, inania, irrita,* « *temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata* « *et de facto præsumpta, nulliusque roboris, momenti et efficaciæ*

« *esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore,* tenore præsentium de-
« claramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus. »

Postea in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœnis dicto intruso præcipit Pontifex ut desinat Abulensem diœcesim administrare. Cæteris vero ne ipsi pareant, aut auxilium favoremve præstent, prohibet, sub excommunicatione aliisque pœnis ipso facto incurrendis.

Tandem jubet ut vicarius capitularis, qui antequam nominatus fuisset dictus intrusus diœcesim regebat, illam regere pergeret.

V. *Breve Pii Papæ VII ad Cardinalem Maury.* — « Venerabili fratri Joanni Cardinali Maury, Episcopo Montisfalisci et Corneti, Lutetiam Parisiorum. — Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Litteræ tuæ quinque ab hinc diebus a nobis acceptæ, in quibus de tua in archiepiscopatum Parisiensem nominatione, deque suscepta illius diœcesis administratione certiores nos reddidisti, tantum doloris cumulum cæteris miseriis nostris addiderunt, quantum vix moderate ferre, nullo autem modo explicare valemus. Postquam enim optime noveras nostram ad Cardinalem Caprara, tunc Archiepiscopum Mediolanensem, epistolam, in qua gravissimas causas recensuimus, quibus omnino vetabamur Episcoporum nominationes, rebus sic permanentibus, ab imperatore recipere; postquam noveras res in eadem conditione non modo permanere, verum etiam in deteriores partes auctas, et continenter cum solemni clavium contemptu in pejus augeri : quoniam generalis regularium utriusque sexus suppressio, parochiarum et episcopatuum delectiones, uniones, concentrationes et finium assignationes, nec ipsis quidem episcopalibus suburbicariis exceptis, et omnia hæc ex imperiali tantum et civili decreto, in Italia exinde ansa et attentata sunt, ut de eo quod actum est adversus clerum Romanæ Ecclesiæ, aliarum ecclesiarum Matris et Magistræ, deque plurimis aliis sileamus : postquam, diximus, hæc omnia et singula tibi optime nota et manifesta erant, nunquam putabamus fieri posse

ut præfatam nominationem ab imperatore exciperes, eaque animi lætitia nuntiares, perinde ac si nihil tibi gratius et optatius nihil accidere potuisset.

« Itane igitur immutatus ab eo es, qui in teterrimis gallicanæ seditionis temporibus adeo laudabiliter et strenue pro catholicæ Ecclesiæ causa dixisti, dum modo amplissimis auctus cumulatusque beneficiis, et jurisjurandi religione obstrictus, Ecclesiæ causam deseris; quin etiam de jure, de quo ad vindicandam ipsius Ecclesiæ dignitatem contendimus, particeps fieri non verearis? Itaue auctoritas nostra apud te parum valuit, ut hoc publico facto sententiam quodammodo proferres adversum nos, quibus obsequi et adhærere debebas?

« Ast vero magis etiam magisque animo angimur ex eo quod archiepiscopatus administratione a capitulo emendicata, ad alterius ecclesiæ regimen auctoritate propria, inconsultis nobis, temetipsum transtulisti, neque imitatus es præclarum exemplum Cardinalis Josephi Fesch, Archiepiscopi Lugdunensis, qui habita ad eumdem Parisiensem archiepiscopatum nominatione, adeo laudabiliter duxit a spirituali ecclesiæ administratione, vel ipso suffragante capitulo, sibi omnino abstinendum fuisse. *Mittimus enim inauditum a sæculo esse, ut ad episcopatum nominatus ante canonicam institutionem per vota capituli ad ecclesiæ gubernationem advocetur*. Mittimus...

« Quid tandem agitur? Scilicet agitur de novo in Ecclesiam eoque pessimo exemplo inducendo, propter quod civilis potestas eo paulatim perveniat, ut in vacantium sedium administrationem constituat quos sibi libuerit; quod cum ecclesiasticæ libertati officere, tum invalidis electionibus et schismati latam sternere viam nemo est qui non videat. Præterquam quod a spirituali vinculo quo ecclesiæ Montisfalisci devinctus es, quisnam te dissolvit? Aut quisnam tecum dispensavit ut a capitulo eligi posses et alterius ecclesiæ administrationem suscipere?

« Eam itaque administrationem ut statim dimittas, non imperamus modo, verum etiam precamur et obtestamur, paterna

urgente charitate qua te prosequimur, ne inviti ac dolentes, ex statuto sanctorum canonum procedere cogamur...

« Datum Savonæ, die quinta novembris 1810, Pontificatus nostri anno undecimo. Pius Papa VII. »

VI. *Breve Pii Papæ VII ad Averardum Corboli, Florentinæ metropoleos (sede vacante) vicarium capitularem.* — Ad vacantem archiepiscopalem Florentiæ sedem imperator Napoleo Nanceiensem Episcopum nominaverat, simulque Florentino capitulo jusserat, ut dicto Nanceiensi Præsuli jurisdictionem committeret. Hac de re ad Pium VII, Savonæ tunc temporis sub custodia detentum, præfatus vicarius capitularis, tum suo, tum capituli etiam nomine, litteras direxit, quibus postulabat, num, prævia etiam ipsius demissione, posset capitulum dicto Præsuli ab imperatore nominato jurisdictionem valide conferre. Rescripsit Pontifex sequenti Brevi, cujus simul exemplar Cardinali Maury ac Parisiensi capitulo (1) transmitti curavit :

« Dilecto filio Averardo Corboli, archidiacono metropolitanæ ecclesiæ Florentinæ, et sede archiepiscopali vacante, vicario capitulari, Florentiam.—Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Non valde adlaborandum nobis est, ut percuntationibus, tuo et istius metropolitani capituli nomine, ad nos delatis, respondeamus. Earum summa hæc est : utrum venerabilis frater Episcopus Nanceiensis, nuperrime in Florentinum Archiepiscopum... nominatus, ab eodem metropolitano capitulo, prævia renunciatione tua, in vicarium capitularem seu in ecclesiæ administratorem deputari atque eligi, ac in vim hujusmodi deputationis seu electionis aliquam facultatem, potestatem vel jurisdictionem in eum valide conferri possit?

« Habemus imprimis celeberrimum canonem sacri œcumenici Concilii Lugdunensis II, quo cavetur ne quis ad ecclesiam electus, ipsius administrationem aut regimen ante con-

(1) *Vie du Cardinal d'Astros*, par le R. P. Caussette, pag. 156-157.

firmationem, *sub œconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in toto gerere, vel recipere, vel illi se immiscere præsumat.* Verba sunt adeo generalia et adeo perspicua ut nulli exceptioni vel interpretationi relinquant locum. Huic adstipulantur decretales Bonifacii VIII (*injunctæ*, in extravag. comm. inserta), et Constitutiones Summorum Pontificum Alexandri V, Julii II, Clementis VII, Julii III, quæ canonem illum confirmant atque corroborant, quæque tanta ab universa Ecclesia sunt excepta reverentia, ut iis salutaris, quæ usque nunc viguit, universalis Ecclesiæ disciplina hac in re fuerit sancita atque firmata.

« Porro Synodus Tridentina quæ capitulorum cathedralium officium ecclesia vacante stabilivit, tantum abest ut canoni Lugdunensi et tot SS. Pontificum decretis quidquam derogaverit, ut e contrario manifeste ea supponat; nihil aliud muneris ac proinde potestatis ipsis capitulis incumbere declarans, quam ut œconomum unum vel plures, et officialem seu vicarium infra octo dies constituere teneatur. Eosdem vero œconomos et vicarios seu officiales semel electos, non capitulo obnoxios declarat, sed futuro Episcopo, qui, cum ad eamdem ecclesiam vacantem promotus fuerit, rationem ab eis exigere jubetur officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscumque eorum muneris; eosque punire qui deliquerint etiamsi a capitulo absolutionem ac liberationem obtinuerint. Ex quo duo manifeste apparent, nempe officialibus semel constitutis, non ad capitulum amplius, sed apud ipsos exercitium ecclesiastici regiminis residere; et officialem ipsum capitularem, personam ab Episcopo promovendo plane distinctam esse oportere.

« Est igitur præmemoratus venerabilis frater Episcopus Nanceiensis, juxta canonicas ac Pontificias sanctiones et vigentem Ecclesiæ disciplinam, contra quam nulla dari legitima potest missio, prorsus inhabilis hoc ipso quod nominatus fuerit Archiepiscopus Florentinus, qui in vicarium aut officia-

lem capitularem istius metropolitanæ ecclesiæ constitnatur.

« Verum ex alio etiam capite idem inhabilis habendus est: ex eo scilicet quod ipse alteri ecclesiæ spirituali conjugio est copulatus, quod absque expressa Apostolicæ Sedis dispensatione dissolvi non potest. Quo fit ut Episcopus nnius ecclesiæ ad aliam transferri nequeat, nisi ejnsdem S. Sedis specialissima gratia, minime concedenda nisi justis gravibusque de causis.

« Quæ cum ita sint, profecto intelliges te omnino temere et valde culpabiliter facturum si muneri tuo renuntiaveris, ut alteri aditum aperias, ab Ecclesia præclusnm; et quamcumque capituli deputationem seu electionem, non modo improbandam, verum etiam nullam et irritam fore : quemadmodum ad ulteriorem cautelam, quatenus opus sit, irritam et nullam auctoritate nostra nunc pro tunc declaramus; quoniam adversus sanctissimas Ecclesiæ leges ejusqne vigentem disciplinam attentaretur, et manifeste tenderet ad legitimæ missionis principia obscuranda ac destruenda, atque ad auctoritatem Apostolicæ Sedis spernendam atqne annihilandam... Hanc igitur animi nostri declarationem notam nomine et jussione nostra facias dilectis filiis dignitatibus et canonicis istius metropolitanæ ecclesiæ, quibus singulis et tibi Apostolicam benedictionem ex animo impertimur. Datum Savonæ, die 2 decembris 1810, Pontificatus nostri anno XI. — Pius Papa VII. »

VII. *Breve Pii Papæ VII ad Paulum d'Astros vicario capitulari.* — Ex illo Brevi (quod reperies cum præcedentibus in citato opere *Vie du Cardinal d'Astros*, par le R. P. Caussette, pièces justificatives) ea dumtaxat quæ magis ad rem faciunt transcribemus :

« Itaque, ait Pontifex, ad intercludendam invalidis electionibus et schismati viam, antequam malum hujusmodi invalesceret, nostrum esse judicavimus hæc omnia præfato filio nostro (1) in responsione quam ad ejus epistolam dedimus,

(1) Nempe Cardinali Maury.

significare ; eidemque non modo præcepimus, verum etiam paterna charitate ipsum precati et obtestati sumus, ut administrationem hujusmodi omnino dimitteret... Si præfatus dilectus filius noster in ea administratione (quod minime futurum speramus) perstiterit, Apostolica auctoritate declaramus (firmis semper remanentibus cæteris S. Canonum sanctionibus), administrationem ipsam a dicto Cardinali, ex capituli deputatione assumptam, *fuisse et esse* contra sanctissimas Ecclesiæ leges, ejusque vigentem disciplinam ; ac proinde nullam ei facultatem in quibuscumque spiritualibus ecclesiæ Parisiensis competere, aut per hujusmodi deputationem seu electionem tributam fuisse. Et nihilominus ne ullus supersit dubitandi aut interpretandi locus, et ad uberiorem cautelam, omnem ei potestatem, facultatem aut jurisdictionem adimimus : irritum ac inane declarantes quidquid secus super his scienter vel ignoranter attentari contigerit. Propterea declaramus, solis officialibus capitularibus primitus constitutis jus esse utendi facultatibus, quæ de jure, ut talibus, competunt. Præcipientes tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut statim ac litteras hasce nostras Apostolicas acceperis, eas dilecto filio nostro Cardinali Maury communices ; et exinde si administrationem non dimiserit, in virtute ejusdem sanctæ obedientiæ præcipimus, ut easdem litteras nostras quamprimum notas facias, ne propter hujusmodi actorum nullitatem, perturbationes et laquei fidelium conscientiæ injiciantur... Datum Savonæ, die 18 decembris 1810, Pontificatus nostri anno XI — Pius Papa VII. »

Nota. — Dum e Savona transmitterentur, interceptæ sunt præmissæ litteræ Apostolicæ, per viros a Napoleone custodiendo Romano Pontifici præfectos, nec ad dominum d'Astros pervenerunt nisi mense decembri 1814, typis jam traditæ. Authenticas autem esse, prædicto domino d'Astros testatus est Pater Fontana, Sacræ Congregationis super extraordinariis negotiis præpositæ secretarius, in epistola infra transcripta, qua variis ab eodem domino d'Astros propositis dubiis ac

difficultatibus, dictæ S. Congregationis et Summi Pontificis nomine respondit.

VIII. *Litteræ Pauli d'Astros, anno 1814 ad Romanum Pontificem directæ, quibus plurium dubiorum solutionem expostulat.* —Integras eas litteras reperiet lector in citato jam opere (*Vie du Cardinal d'Astros,* pièces justificatives, n. 8). Hic vero ea dumtaxat quæ ad scopum præcipue pertinent visa sunt inserenda.

« Liceat mihi, Beatissime Pater, ea quæ in his circumstantiis diœcesim Parisiensem ex parte administrando gessi, Sanctitati Vestræ exponere, et ab ea pro deinceps agendis consilium exposcere. Die 10 junii 1808 ecclesia Parisiensis Pastore suo felicis memoriæ Joanne Baptista Cardinali de Belloy orbata fuit, atque eadem die capitulum dictæ ecclesiæ rite congregatum quinque vicarios capitulares elegit, eos ipsos scilicet qui officio vicariorum generalium, vivente supralaudato Pastore, fungebantur; e quorum numero egomet ipse fui.

« Pluribus postea transactis mensibus, Buonaparte pro tunc Galliæ imperator, vi Concordati anni 1801, ad sedem Parisiensem avunculum suum Josephum Cardinalem Fesch nominavit, et continuo ecclesiæ Parisiensis capitulum vicarii capitularis facultates eidem Cardinali contulit; apud quem, ut ipsi prædictas facultates offerret, totum convenit, ipsam diœcesis administrationem delaturum. Et ego quidem, utpote capituli membrum, supradictorum omnium particeps fui... Prædictus D. Josephus Cardinalis Fesch a spirituali ecclesiæ administratione abstinuit. Medio autem anno 1810, cultuum administer, francico jubente gubernio, ad ecclesiarum vacantium capitula scripsit, invitans ut Episcopos nominatos in vicarios capitulares eligerent. Interea Buonaparte, pro tunc imperator, apud prædictum Cardinalem Fesch avunculum suum, ut facultatibus a capitulo oblatis uteretur contendit.

Etvero die lunæ mensis Augusti 20, ejusdem anni 1810, unus e vicariis capitularibus nobis una congregatis nuntiavit, supra memoratum D. S. R. E. Cardinalem optare, ut titulo

vicariorum capitularium renuntiaremus, propterea quod ipsum, qui cardinalitia atque episcopali dignitate fulgebat, ex æquo cum simplicibus presbyteris vicarii capitularis munere fungi minime (ut sibi videbatur) deceret. Hujus renuntiationis pericula atque incommoda demonstrare nisus sum, nec tamen destitum est ab ea propositione... Petitam renuntiationem ecclesiæ ac religioni nocivam mihi videre, proindeque a me dari non posse denuntiavi, nisi forsan ipsum capitulum aliter judicans a me eamdem pro religionis bono expeteret. Interea laudatus Cardinalis Fesch, jure quod ei vi suæ nominationis ad archiepiscopatum Parisiensem competere poterat, cessit.

« Die dominica mensis octobris 14 ejusdem anni 1810, Buonaparte ad eumdem episcopatum D. Joannem Sifrein Cardinalem Maury nominavit ; et capitulum Parisiense, juxta gubernii fraucici votum, in concilio capitulari easdem illi facultates iisdem verbis contulit, quas D. Cardinali Fesch contulerat... Huic propositioni, quantum in me erat, restiti ; canones exposui. Quibus ex adverso prætensam Galliæ consuetudinem, Ecclesiæque pericula, si gubernio resisteremus, objecerunt. Posthabita ergo mea aliquorumque canonicorum obsistentia, prædictus Cardinalis Maury in vicarium capitularem a majore parte capituli eligitur. Protinusque ad eum ejusdem capituli præses et secretarius ac quatuor alii canonici, ut hujus electionis instrumentum ei deferant, deputantur. Quam quidem legationem a me, utpote qui capitulo ex officio præessem, recusari non posse censui, omni muneris quo fungebar obligationi satisfecisse arbitrans, postquam in concilio capitulari meam emiseram sententiam, atque eam quibus in me erat argumentis defenderam. Sanctitati Vestræ, B. P., ut patri filius actus meos, qui forsan redargui merentur, fiducialiter expono...

« Regimen ecclesiæ Parisiensis supra memoratus Cardinalis Maury sine mora sibi vindicavit, et excepto quod titulum *administratoris capitularis* in actis suis retinuit, in omnibus tanquam si revera Parisiensis Archiepiscopus rite institutus

esset, se gessit...Quomodo ac quam ob rêm in carcerem conjectus sim, Sanctitas Vestra discere potuit; atque id imprimis, nempe quod muneris mei renuntiatio prima fuerit conditio quam libertati meæ restituendæ gubernium apposuerit. Die autem 7 ejusdem mensis Januarii (1811) capitulum Parisiense Buonaparte pro tunc imperatorem adiit, ut ei significaret, facultates mihi delegatas, a se revocatas esse. Hæc autem revocatio, in odium religionis vi metuque extorta..., a me semper pro invalida habita fuit. Post nuperos tam faustos eventus, capitulum Parisiense, jam sua fruens libertate, ut administrationi, quam contra canonicas sanctiones contulerat prædicto Cardinali Maury, finem faceret, in sua, concilio diei 9 aprilis ultimo præteriti, deliberatione, omnes generatim vicarios capitulares a prima sedis vacatione electos revocavit; statimque dominos Sincholle d'Espinasse et Jalabert, qui jam ab initio vacationis fuerant electi, et D. de la Myre-Mory..., in vicarios capitulares ex integro reelegit.

« Die 15 ejusdem mensis aprilis libertati restitutus sum... Statim Lutetiam redire..., atque ecclesiæ Parisiensis regimen pro parte excipere festinavi... Ast... mihi primum nuntiatum est, capitulum ad novam mei electionem in vicarium generalem devenire velle : quam electionem me acceptare nullo modo posse declaravi; ea nixus ratione, quia per hujusmodi electionis acceptationem, revocationis tituli mei die 7 januarii 1811 a capitulo factæ, validitatem recognoscerem...

« Utque omnis discordiæ vel species inter Christi sacerdotes auferretur, omnisque scandali fidelium occasio removeretur, hæc capitulo proponenda putavi : 1° quod capitulum me in vicarium capitularem de novo, prout bene sibi placuerit, eligeret; quam novam electionem accepturus essem cum clausula, *salvo jure vicariorum capitularium, qui absque causa canonica expressa revocari a capitulo non possunt.* 2° Quod capitulum mihi quem primo occupaveram inter vicarios capitulares locum addiceret, quem deinde, brevi tempore, aliis vicariis capitularibus... cederem...

« Si Sanctitati Vestræ jubere placuerit ut regimen diœcesis Parisiensis rursus cum aliis vicariis capitularibus assumam, ab illa etiam expeto, ut speciatim quasdam difficultates... decidat.

« 1° Electio D. Joannis Sifrein Cardinalis Maury, nominati ad archiepiscopatum Parisiensem, qua Parisiense capitulum vicarii capitularis munus ei contulit, estne non solum illicita, sed etiam irrita; actusque jurisdictionis quos dictus Cardinalis vi talis electionis attentare ausus est, suntne, non solum illiciti, sed etiam invalidi...

« 4° Habetne capitulum jus ad libitum destituendi seu revocandi vicarios capitulares a se electos, et valetne talis destitutio seu revocatio?...

« Ad pedes etc. 23 novembris 1814. »

IX. *Responsum domino d'Astros, Sedis Apostolicæ nomine, necnon S. Congregationis super extraordinariis negotiis præpositæ, ab ejusdem Congregationis secretario expeditum.*— « Illustrissime domine, datam mihi ad te rescribendi provinciam lubentissime suscipio...; quippe quæ potestatem facit, ut Pontificio nomine te alloquar... Placuit enim Sanctissimo Domino Nostro, referri ad patres Cardinales negotiis totius Ecclesiæ præpositos ea omnia, quæ tuis litteris de re sacra Parisiensi nuntiasti, ac præsertim de Cardinali Maurio, qui in eam per manifestam sacrorum canonum infractionem irrupit...

« Haud tamen dissimulare debeo ægre ipsos (1) tulisse, quod tu, etiam Cardinali Feschio, istius sedis procurationem a canonicorum collegio committendam curaveris, dum ad eam nominatus fuerat. In quo tuam aliquam culpam agnoverunt, ignoscendam tamen; necdum enim tunc didiceras, ut ipse ingenue fateris, quod postea non didicisti solum, sed præclaris factis et doctissimis scriptis luculenter demonstrasti, a Lugdunensis Concilii Patribus illud diserte damnari, ac frustra e gallicani cleri monumentis rei defensionem peti, quæ nonnisi

(1) Nempe dictæ S. Congregationis Cardinales.

alienis Ecclesiæ temporibus, atque ex perniciosissimis imperii cum sacerdotio dissidiis pauca exempla suppeditant.

« Ignoscendum minus erratum visum est, te Cardinalem Maurium publice, et tanquam capituli præsidem adiisse, postquam ipse nominationem acceptaverat, ut de collata eidem ab ipso capitulo vicarii auctoritate certiorem faceres, et gratulareris; postquam scilicet, cum ea res in deliberationem versaretur, collegarum in id connitentium consiliis vehementissime obstitisses. Facto enim te a tua sententia descivisse palam faciebas...

« Cæterum, cum e Lugdunensis canonis præscripto, atque ex complurium Pontificum Constitutionibus, quas nunc optime nosti, Bonifacii VIII præsertim, Alexandri V et Julii II, qui ad episcopales sedes designati sunt prohibeantur earumdem curationem suscipere, antequam Apostolicas de sua institutione litteras adipiscantur, ne ipsorum acta irrita infectaque sint; patet, nedum memoratam Cardinalis Maurii electionem nullius fuisse roboris, sed eodem etiam nullitatis vitio ea omnia laborasse, quæ gessit in diœcesis regimine, quatenus a viro, qui legitima carebat jurisdictione, proficiscebantur.

« Revera quod Clemens XI, de Francisco de Solis ad Abulensem ecclesiam nominato, ipsamque ex auctoritate capituli moderante, decreverat; quod imo ipsa Sanctitas Sua, ne Episcopus Nanceiensis in Florentinam sedem a principe designatus eidem a canonicis proponeretur, edixerat; idem Illustrissimus Pater Pius VII, feliciter sedens, datis ad te litteris, Savonæ die 18 decembris 1810, de Cardinali Maurio confirmavit, irrita ac nullius valoris ejusdem acta denuntians. Non est cur dubites de earum litterarum veritate, quas in Leodiensi libello editas legisti...

« De te autem, quem sodales arbitrantur datis ordinis suffragiis iterum ad antiquum munus adsciscendum esse, quasi rata ac firma esset remotio, quam per summam injuriam de te vix in vincula conjecto decrevere, meminerint ipsi explorati juris esse, vicarium capitularem rite constitutum, ex officio

dimoveri non posse, nisi gravior et justa causa id deposcat, per Apostolicam Sedem probanda... Non erat igitur, cur de tuo jure quæstio fieret, e quo nunquam te decidisse vel subdubitare nefas esset : neque idcirco actum novæ electionis assensu tuo te comprobare oportebat, licet eam adjeceris conditionem, qua vicariorum capitularium jura sarta tecta servanda esse nominatim excepisti...

« Romæ..., die 9 martii 1815... Franciscus Fontana, præpositus generalis Barnabitarum, et a secretis S. Congregationis negotiis ecclesiasticis præpositæ. »

§ II.

Electi ad sedes episcopales de jure communi neque licite neque valide possunt, in earum administrationem quovis modo aut titulo sese ingerere, ante obtentas et ostensas confirmationis litteras?

Cum Episcoporum electionem, prout et confirmationem, jamdudum Sedes Apostolica sibi generaliter reservaverit, ita ut, exceptis nonnullis Germaniæ diœcesibus, in quibus (ex Concordatis) cathedralia capitula Episcopum eligendi jus retinuerunt, cæteris mundi ecclesiis provideatur per consistorialem promotionem, quæ electionis et confirmationis vim habet; mirabitur forte lector immorari me in exponendo quoad ejusmodi *electos* communi jure. Non tamen otiosa disceptatio est. Nam qui erroneam circa *nominatos* a regibus opinionem tuentur, argumentantur a pari, ex eo quod (ut contendunt) olim *electi* potuerint, certis concurrentibus circumstantiis, diœcesim ante confirmationem administrare. Hinc ad plenam dicti erroris confutationem, necesse est præmittere, quid leges ecclesiasticæ circa præfatos electos disposuerint. Quo prænotato, sit

Propositio I[a]. — *Lex generalis est, electis, ante obtentas et ostensas confirmationis litteras, haud licere in diœcesis administrationem sub quovis titulo sese ingerere, et irritum esse quidquid*

secus attentaverint. — Probatur 1°, ex Decretali *avaritiæ* supra (§ 1, n. 2) transcripta; in qua primum dictum jus commune tanquam certum et antea vigens supponitur his verbis : « Quia « eis, *jure prohibente*, non licet, se ante confirmationem ele- « ctionis celebratæ de ipsis, administrationi ecclesiarum ad « quas vocantur ingerere. » Tum prohibetur ne dictæ administrationi se ingerant etiam « sub œconomatus, vel procura- « tionis nomine, aut alio de novo quæsito colore. » Et tandem « omnes illos qui secus fecerint, jure (si quod eis per electio- « nem quæsitum fuerit) eo ipso privatos » declarat illud idem œcumenici Lugdunensis Concilii decretum.

Probatur 2°, ex Decretali *injunctæ* (supra § 1, n. 3). Ibi enim circa omnes qui apud Sedem Apostolicam promoventur, statuitur, non solum necessarias esse litteras Apostolicas, provisionem aut confirmationem continentes, sed requiri ut istæ litteræ *ostensæ fuerint :* « Nullique eos absque dictarum litte- « rarum ostensione recipiant, aut eis parcant, vel intendant.»

Probatur 3°, ex Decretali *nihil* (supra § 1, n. 1). Etenim ibi per modum *dispensationis,* excipitur quidam particularis casus a jure communi exposito. Permittitur nempe *dispensative,* ut ante confirmationem administrare valeant electi *valde remoti, videlicet extra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia, propter necessitatem ecclesiarum.* Porro exceptio firmat regulam. Loquimur in hypothesi, quod dicta exceptio per duas antea citatas Decretales, quæ tempore posteriores sunt, sublata non fuerit, de quo inter doctores disputatur. Illam enim exceptionem excludere, ac proinde illi derogare videntur verba œcumenici Lugdunensis Concilii, necnon Decretalis *injunctæ* Bonifacii VII, et plures subsecutæ Pontificiæ Constitutiones.

Probatur 4°, ex supra allatis, superiori paraphrapho, Pii VII Brevibus. Ita enim intelligendum esse jus commune quoad electos, aperte docet laudatus Pontifex.

Probatur 5°, ex unanimi doctorum sententia. Nullum enim reperies qui non doceat, illicitam atque invalidam esse *de jure*

communi administrationem, nisi electus confirmationis litteras obtinuerit et capitulo ostenderit.

PROPOSITIO II[a]. — *Ut locus sit exceptioni Decretalis* NIHIL, *requiritur electio unanimis, longa distantia, necessitas ecclesiæ, et ut electi Sedi Apostolicæ immediate subjiciantur.* — Etenim in Decretali dicitur « qui ad Romanum pertinent immediate « Pontificem.., valde remoti, si electi fuerint in concordia.., « propter necessitates ecclesiarum. » Vide idem adnotatum a Fagnano (in cap. *nihil, de electione*, n. 11).

Nota 1°. — Cum exceptio in Decretali *nihil* contenta, expresse sanciatur pro iis Episcopis qui *concorditer a capitulis eliguntur*, nequaquam respicit *nominatos a sæculari principe*, ut infra ostendetur. Nec dicatur ad hos posteriores extendendam esse hanc exceptionem, ob rationum paritatem : nedum enim adsit utilitas ut *nominati* a rege administrent antequam confirmationem receperint, id foret quammaxime noxium, ut pariter infra probabitur.

Nota 2°.—An dicta exceptio Decretalis *nihil*, revocata fuerit per subsecutas decretales *avaritiæ* et *injunctæ*, disputatur inter canonistas. Ast doctrina quam sub præsenti capite defendimus, nequaquam pendet ab hujus controversiæ decisione. Nam etiamsi revocata non fuerit Decretalis *nihil*, ac proinde in paucis Germaniæ diœcesibus, in quibus Episcopi a canonicis eliguntur, dari possit locus dictæ applicandæ exceptioni Decretalis *nihil*, at nunquam applicari poterit *nominatis* a principe, ut mox probabitur.

Cæterum revocatam fuisse ejusmodi concessionem Decretalis *nihil*, et deserendam esse contrariam nonnullorum canonistarum opinionem, existimamus cum Alphonso Muzzarelli, qui post citatam Decretalem *injunctæ*, sic disserit : « Cette « Décrétale montre évidemment que la dispense donnée par « le Concile de Latran (nempe in Decretali *nihil*) aux Evêques « élus des églises immédiatement sujettes au Saint-Siége, « n'existait plus... Elle contient par elle seule une révocation « tacite et virtuelle de la dispense du Concile de Latran,

« avec laquelle elle se trouve en manifeste contradiction.
« Ainsi la concession de Latran ne peut plus valoir pour au-
« cun des Evêques élus; d'autant plus que la Constitution de
« Boniface est renouvelée et confirmée par d'autres Consti-
« tutions postérieures; l'une de Jules III, l'an 1533, l'autre
« de Clément VIII. » (*Complément de la correspondance de la Cour de Rome avec Buonaparte*, p. 220, édit. Paris 1814.)

« Il est vrai que malgré les raisons manifestes pour le con-
« traire, il y a quelques canonistes, entr'autres Fagnan et
« Gonzalez (in cap. *nihil, de electione*), qui prétendent que
« les nouveaux Evêques *élus* peuvent prendre l'administration
« des églises vacantes, sans attendre la confirmation du Saint-
« Siége. Ils montrent par là qu'ils supposent encore en vi-
« gueur la dispense du canon du Concile de Latran... Il faut
« conclure qu'ils n'ont point examiné ce point avec dili-
« gence...

« Quoiqu'il en soit, ils y mettent d'ailleurs deux conditions
« essentielles, qui sont positivement celles mises par le Con-
« cile de Latran (id est per supra citatam Decretalem *nihil*)
« et qui ne peuvent être vraies dans le cas qui est mainte-
« nant en controverse : *la première* que ces Évêques *fuerint*
« *concorditer electi*. De là leur opinion ne regarde que les
« Évêques seuls qui sont *élus par les chapitres d'accord*, ce
« qui ne s'observe plus maintenant que dans quelques églises
« d'Allemagne; et, par cette condition, eux-mêmes (*nempe*
« *Fagnanus et Gonzalez*) exceptent les Évêques *nommés par les*
« *princes*, auxquels on n'a jamais donné une telle dispense,
« et auxquels on ne peut l'étendre interprétativement...,
« parce que, comme nous l'avons déjà observé avec Thomas-
« sin, les Évêques nommés d'accord par les nombreux cha-
« pitres des anciens temps, recevaient par l'unanimité de
« tant de suffrages, une preuve comme infaillible de leur ca-
« pacité, ce qui ne peut s'appliquer aux Évêques nommés et
« présentés au gré d'une seule personne. *La seconde* condi-
« tion pour une telle dispense, dit ce même Fagnan, est la

« nécessité ou l'utilité des églises vacantes, *propter necessita-* « *tem vel utilitatem ecclesiarum.* Or, quelle nécessité dans le « cas présent, d'après la disposition du Concile de Trente, « qu'un Évêque élu prenne ou se fasse donner l'administra- « tion de l'église? Il ne peut faire rien de plus que le vicaire « capitulaire délégué par le chapitre. » (Loco citato, p. 225 et seq.) Ostendit postea Muzzarelli, nedum adesse possit ratio utilitatis ad applicandam *nominatis a rege* dispensationem Decretalis *nihil*, id summe noxium et periculosum fore (vide ibidem, pagina 228).

§ III.

Decretalis INJUNCTÆ non tantum *electos*, sed etiam *nominatos* comprehendit, eorumque administrationem quamlibet, ante obtentas et ostensas confirmationis aut promotionis litteras, illicitam atque irritam reddit.

Etenim Decretalis illa non loquitur tantum de *electis*, sed generatim de omnibus *qui promoventur apud Sedem Apostolicam:* atqui nominati a principibus (juxta privilegium ex Concordato eis principibus competens), de iis sunt qui apud Sedem Apostolicam promoventur : ergo Decretalis hæc ejusmodi etiam nominatos comprehendit. Quod autem eadem Decretalis prohibeat et irritet quamlibet eorumdem administrationem ante ostensas promotionis litteras, palam faciunt verba hæc : *ad commissas eis ecclesias... absque dictæ Sedis litteris hujusmodi eorum promotionem... continentibus, accedere... non præsumant : nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant aut eis pareant vel intendant.*

Ita intelligendam esse Decretalem illam evincit insuper Pii VII auctoritas. Nam in supra citatis (§ 1) Brevibus, ad hanc eamdem Decretalem provocat laudatus Pontifex, ut ostendat illicitam et irritam esse *nominatorum* administrationem quamlibet, ante obtentas et ostensas provisionis litteras. Falsum ergo est, quod objecerunt nonnulli, omnes juris tex-

tus dictam administrationem prohibentes, loqui de *solis electis*, non autem de *nominatis* a rege.

§ IV.

Jus commune, quatenus *electos* ab administratione arcet, *nominatos* etiam attingit.

Etiamsi textus omnes juris, dictam administrandi prohibitionem exprimentes, de *solis electis* loquerentur (quod falsum esse probavimus), nihilominus certum foret prohibitionem illam et de *nominatis* esse intelligendam. Quod sic probatur :

1° Supponi nequit Sedem Apostolicam, nominationes electionibus substituendo, dictæ prohibitioni derogare voluisse. Sibi enim electionem reservando, et solam nominationem seu designationem principibus concedendo, procul dubio voluit Sedes Apostolica iisdem principibus *minorem* potestatem tribuere quam electoribus : alioquin *electionem* ipsam eis concessisset. Porro nisi Sedes Apostolica sartam tectam voluerit dictam administrandi prohibitionem, *majorem* principibus quam electoribus potestatem tribuisset. Possent enim principes procurare ut a se nominati diœcesim ante provisionem Apostolicam administrarent. Ergo, ne absurdum supponatur, dicendum est Sedem Apostolicam, nominationes electionibus substituendo, omnino conservatam quoad nominatos voluisse præfatam prohibitionem, de jure communi quoad electos decretam, sese diœcesis administrationi ingerendi, ante obtentas et ostensas Bullas.

2° Idem evincit immensum quod alioquin sequeretur in Ecclesia damnum et periculum. Etenim quoties Summus Pontifex nominatos a rege, tanquam indignos rejiceret, posset rex eosdem, invita Sede Apostolica, diœceseos regimini præficere. Item posset capitulum illos a rege nominatos et a Papa rejectos, in vicarios capitulares deputare; et sic diœcesim, invita Sede Apostolica, regerent. Porro, quod id intenderit

Sedes Apostolica, nominationes regibus concedendo, absonum est supponere.

Dicendum ergo substitutas electionibus nominationes, firmo stante quoad *nominatos* jure, quod circa electos vigebat, de non assumenda administratione ante obtentas et ostensas promotionis litteras.

3° Et ita revera jus quoad dictos nominatos intellexerunt doctores communiter. Inter quos sic habet Ferraris (verbo *confirmatio, additiones*, n. 21) : « Nec tantum in *electione* obti« net hæc juris decisio (1), sed et in præsentatione sive *no« minatione ;* uti, post alios canonistas, tradit Fermosinus, ad « caput 15 tituli *de electione*, quæstione 2, n. 11. *Nam si per« sona præsentati*, ait, *se ingerat ante confirmationem, revera « dicitur intrusus, et subjectus pœnis dicti capitis* AVARITIÆ. « Nullo ergo titulo electi aut nominati se administrationi « ecclesiæ viduatæ ingerere possunt ante confirmationem, « eamque juxta stylum hodiernum in Curia Romana expe« diendam. »

4° Accedit S. Congregationis super negotiis deputatæ declaratio, quam expositam vide ab ejusdem Congregationis secretario Fontana (supra, § 1, n. 8).

5° Tandem accedit Pii Papæ VII auctoritas. Etenim in Brevibus supra transcriptis, ut palam faciat, a jure communi et vigente universali Ecclesiæ disciplina omnino arceri dictos *nominatos* ab omni administratione ante obtentas provisionis litteras, allegat imprimis Lugdunensis Concilii Decretum *avaritiæ*, quod tamen de electis dumtaxat expresse loquitur. Sicque apertissime, quamvis implicite, declarat Pontifex, sub dicto jure communi circa *electos* comprehendi etiam *nominatos*.

(1) Nempe decretum *avaritiæ* Lugdunensis Concilii.

§ V.

Confutatur erronea opinio quæ tenet, vi Decretalis *nihil* posse nominatos a rege in certis circumstantiis diœcesim administrare ante obtentas provisionis litteras.

Hujusce opinionis fundamentum sic exponi potest : « Jus « commune circa *electos* quoad dictam administrandi prohi- « bitionem, *nominatis* etiam applicandum est : sed jus com- « mune, interdicens electis administrationem, admittit « exceptionem in Decretali *nihil* contentam : vi nempe hujus « Decretalis possunt electi ante obtentam confirmationem « diœcesim administrare, *si sint extra Italiam, atque id depo-* « *scat diœcesis necessitas aut utilitas* : ergo hæc etiam exceptio « nominatos attingere censenda est : proinde adhuc hodie « nominati, extra Italiam, si ecclesiæ vacanti id videatur « utile, diœcesim regere poterunt ante præconisationem. « Quod brevius sic exprimi potest : dictum jus commune « circa electos est nominatis applicandum cum exceptione in « Decretali *nihil* contenta: sed semel admissa quoad nominatos « ejusmodi exceptione, poterunt quandoque nominati diœ- « cesim regere ante obtentas provisionis litteras. »

I. Ad hanc argumentationem respondemus : Quod prohibitio administrandi ante obtentam confirmationem, a jure quoad *electos* decreta, sit etiam *nominatis* applicanda, jam probavimus.

Quod autem eisdem *nominatis* nequaquam applicanda sit exceptio Decretalis *nihil*, sic probari potest : ea exceptio, quæ utilis erat quoad electos, nominatis applicata summe nociva foret : ergo Sedes Apostolica nequaquam censenda est dictum jus circa electos ad nominatos extendisse cum ejusmodi exceptione. Probatur antecedens : dispositio Decretalis *nihil*, hæc est : si quis ad sedem vacantem electus sit concorditer, id est, ex *unanimi* canonicorum suffragio, sitque extra Italiam constitutus, et simul diœcesis necessitas aut utilitas deposcat

ut sine mora electus administrationem assumat, huic electo ex *dispensatione* permittitur ante confirmationem diœcesis regimen suscipere. Porro talis dispositio utilis quidem et periculo vacans fuit quoad casum electionis, in dictis circumstantiis factæ. Etenim quando quis ab ecclesiæ vacantis capitulo eligitur *unanimiter*, merito præsumitur dignus et idoneus : non enim solent tot virorum gravium suffragia omnino concordare in eligendo indigno. Unde tunc aut nihil aut parum intervenit periculi, ex eo quod ante confirmationem, exceptionaliter pro locis valde distantibus, talis electus administrare permittatur. Atvero longe aliter se res habet in nominatione a laico principe facta. Quamvis enim dari possit princeps vere pius et Ecclesiæ addictus, qui nonnisi dignos nominare et velit et sciat, tamen succedunt facile alii valde aliter dispositi. Hi vero sibi injuriam reputarent si aliis concessa sibi denegarentur. Ex quo dissensiones et damna multa orirentur. Hinc conditio illa *necessitatis aut utilitatis*, sine qua locum non habet dicta exceptio, nunquam adesse censenda est, quando de *nominatis* a rege agitur. Licet enim in aliquo casu particulari aliqua utilitas exurgere videri possit ex assumpta a nominato ante præconizationem administratione, considerando tamen omnes generatim ejusdem regionis ecclesiarum vacationes, summe noxium foret, quod princeps ea facultate potiretur. Unde utilitas quæ adesse in aliquo casu particulari forsan videri posset, non est nisi apparens et relativa. In re autem, et quoad omnes suos effectus et consectaria considerata, non est utilitas, sed ingens præjudicium summumque periculum. Absit ergo ut censeatur Sedes Apostolica Decretalis *nihil* exceptionem translatam voluisse ad jus nominandi seu designandi, quod per Concordata principibus concessit.

II. Præterea nemo non videt ingens discrimen inter præfatam concessionem quoad electos, et eamdem quoad nominatos a rege. Quodlibet capitulum non poterat eligere nisi unius ecclesiæ Episcopum. Quod si minus idoneum forte eligeret, et is (ad terminos Decretalis *nihil*) ante confirmationem admi-

nistrare permitteretur, non generale, sed in solo illo loco exurgebat damnum. At vero rex ad omnes sui regni vacantes sedes nominat : si indignos nominet, et hi administrare ante Pontificiam provisionem permittantur, contingere potest ut in toto aliquo regno fides et animarum salus periclitetur. Porro id, utpote ex natura sua pravum atque nocivum, nunquam a Sede Apostolica licite aut valide concedi potuit. Ergo absonum est, sub dispensatione in Decretali *nihil*, quoad *electos*, contenta, *nominatos* etiam comprehensos asserere.

III. Et tandem cur adeo pertinaciter propugnant adversarii prætensum illud jus *nominatorum* extra Italiam constitutorum administrandi ante obtentas Pontificias Bullas? Quia, inquiunt, contingere potest, ortis regem inter et Pontificem dissensionibus, ut Sedes Apostolica nominatis Bullas deneget. Fatentur enim, extra hunc casum vix locum esse applicandæ exceptioni Decretalis *nihil*. Stante nempe regem inter et Pontificem concordia, concedunt haud adesse necessitatem aut utilitatem a Decretali *nihil* requisitam, ut ante provisionem Pontificiam administratio permittatur. Ergo planum est velle vos dictam facultatem iis præcise et quidem solis regibus vindicare, qui Sedi Apostolicæ *infensi erunt*. Et in hoc præcise casu *utile* existimatis, ut possint nominati, invito Romano Pontifice, diœceses regere! At quisnam tantus vos regalismi morbus obcæcavit, ut non videatis, in hoc ipso casu summe noxium fore, et hierarchiæ ecclesiasticæ prorsus subversivum, quod possent nominati ante obtentas Bullas diœceses regere?

IV. Præterea, si nominati a rege, ante obtentas Pontificias Bullas administrationem diœceseon quovis titulo suscipiant, certo eos habebit Sedes Apostolica tanquam intrusos : id saltem negare non potestis. Respondetis : in hoc errat Sedes Apostolica. Ad probrum vestrum dico, *transeat :* sufficit hæc Sedis Apostolicæ persuasio, etiamsi foret erronea, ut miserandum vestrum systema prorsus ruat. Nam stante hac persuasione nunquam dari poterit casus *utilitatis*, ob quam solam in Decretali *nihil* permittitur *electis* administratio ante obten-

tam confirmationem. Eccujus enim utilitatis esse potest, administrari diœcesim a viro, quem a rege quidem nominatum, et a capitulo in vicarium capitularem deputatum, at simul a Sede Apostolica *pro intruso* habitum, scient fideles? Nonne statim, vel ex hoc solo pullulare cernitis dissidia, et contentionum faces accendi? Implete quantum libuerit totam diœcesim clamore isto, *errat Sedes Apostolica; legitimus est et jurisdictionem habet nominatus a rege, quem in vicarium capitularem deputarunt canonici!* Quid aliud sonabit vester ille clamor apud quamplurimos, quam schisma, et scandalum? An speratis totum populum vobis potius adhæsurum quam Sedi Apostolicæ, intrusum declaranti quem vos legitimum contenditis? Ergo ex hoc solo, quod Sedes Apostolica pro intrusis habeat et habitura sit ejusmodi nominatos, qui ante obtentas Bullas administrare attentant, *utile* esse nequit ut hæc ipsis administratio committatur : ergo locus esse nequit exceptioni in Decretali *nihil* contentæ. Ergo etiamsi erronea foret dicta Sedis Apostolicæ persuasio (quod dicere nefas est) totum nihilominus vestrum systema rueret.

Advertat autem lector quam arenaceo fundamento hocce systema nitatur. Quibusnam Decretalis *nihil* administrare permittit, ante obtentam Pontificiam confirmationem? An *nominatis* a regibus? Nequaquam : de ejusmodi nominatis ne verbum quidem in hoc Decreto reperitur; neque tunc nominabantur a principe Episcopi, sed eligebantur a capitulis. Conceditur dicta facultas *electis :* at neque electis *omnibus*, sed dumtaxat iis qui debebant confirmationem accipere a Summo Pontifice, quales erant electi in Metropolitanos et pauci alii; non autem iis quorum electio a Metropolitis confirmanda erat. Præterea non conceditur dicta facultas nisi in casu *necessitatis* aut *utilitatis* alicujus diœcesis *extra Italiam positæ* (1). Et

(1) Una ex istis utilitatibus erat, ut præcaveretur detrimentum ecclesiæ ex jure regum percipiendi *regalia*, vacante sede; prout indicat Innocentius III (capite *cæterum, de electione*) his verbis : *Si tanto tempore quousque posset electus*

tandem dispositio hæc sancitur tanquam exceptio ad generalem contrariam regulam ; est nempe derogatio juri communi, ac proinde stricte interpretanda, nec extendenda nisi ad personas in ipsa expressas. Jam vero quid contendant adversarii attendamus : extendenda est, inquiunt, exceptio hæc ad *nominatos* a principe. — Eccur vero ? Nam nisi assertum probetis, tanquam gratuitum rejiciendum erit. — Quia, inquiunt, *par* intervenit quoad nominatos et quoad electos *utilitatis ratio*. Hæc unica eorum responsio ; quæ ex duplici capite falsa est :

1° Quando legislator aliquam personarum classem a lege excipit, etiamsi non minus utile foret aliam classem excipere, si tamen non exceperit, posterior illa classis communi lege obstricta remanebit, et ad eam exceptio extendi nequaquam censenda erit. Porro in Decretali *nihil*, a prohibitione administrandi ante receptam confirmationem excepti sunt nonnulli ex *electis*. Atvero *nominati* a principe nequaquam ibi a dicta prohibitione excepti reperiuntur. Ergo etiamsi par interveniret utilitatis ratio, nihilominus exceptio ad nominatos extendi non posset.

2° Falsum est *parem* intervenire quoad dictos *electos* a capitulis, et quoad *nominatos* a rege *utilitatis rationem*. Nedum utile sit posse diœcesim regere nominatos a principe, ante obtentas provisionis Bullas, id summe noxium pluries pronuntiavit Sedes Apostolica, et per se ita patet, ut nonnisi a regalismo excæcati viri id negare potuerint.

VI. Cæterum etsi olim bona fide aliqui canonistæ rem in dubium vocare potuerint, at nunc de ea disputare nefas foret, postquam peremptoriis auctoritatibus evasit omnino certa. Etenim diœcesis Abulensis et diœcesis Parisiensis, utpote extra Italiam constitutæ, sub hoc respectu in Decretalis *nihil*

confirmationem cum Pallio a Sede Apostolica obtinere, regalia non reciperet ecclesia quæ interim administratione careret, non modicum incurreret detrimentum.

dispositione comprehendebantur. Nihilominus quoad priorem Clemens XI reprobavit *nominatum*, qui ante obtentas provisionis litteras, tanquam vicarius a capitulo deputatus, hujus diœcesis administrationem assumpserat; atque invalide id peractum fuisse declaravit (vide § 1, n. 4). Atque idem declaravit Pius VII quoad Cardinalem Maury, similis attentati reum. Ergo omnino certum est, nihil juvare dictam Decretalem Innocentii III, ad vindicandum *nominatis* aliquod jus administrandi, ante obtentas et ostensas provisionis litteras.

§ VI.

Falsum est exstare in Gallia consuetudinem legitime præscriptam, vi cujus nominati a sæculari principe diœcesim administrare possint, aut tanquam vicarii a capitulo deputati, aut sub alio quovis titulo.

Parisienses canonici, qui Cardinalem Maury ad sedem Parisinam nominatum in vicarium capitularem deputaverant, ut hanc suam schismaticam agendi rationem defenderent, id a se *juxta constantem omnium Galliæ ecclesiarum consuetudinem* factum contenderunt : « L'usage constant de toutes les églises « de France, est et a toujours été, depuis plusieurs siècles, « que les chapitres défèrent aux Evêques nommés par le « souverain tous les pouvoirs capitulaires, c'est-à-dire toute « la juridiction épiscopale. » (*Adresse du chapitre de Paris*, insérée dans le *Journal de l'Empire*, 8 janvier 1811.) Quæ sane assertio, ne egregium mendacium dicenda sit, plane arguit eos hac in re deceptos fuisse. Etenim nullam ejusmodi in Galliis exstitisse constantem et legitime præscriptam consuetudinem,

Probatur I. — *Ex auctorum gallicanorum testimonio.* — In opere *Mémoires du clergé de France* (tom. 10, col. 606, edit. Parisiis 1770) sic habetur : « Depuis que les chapitres des « églises cathédrales ont été privés de la faculté de procéder « aux élections des Evêques, et qu'en exécution du Concordat

« passé entre le Pape Léon X et le roi François I, nos rois « sont en possession de nommer aux évêchés qui viendraient « à vaquer, ils (les chapitres) se sont fortement opposés à ce « que les Evêques nommés gouvernassent leurs diocèses avant « qu'ils eussent des Bulles. »

In opere *la Discipline de l'Eglise de France, d'après ses maximes et décisions*, hæc occurrunt : « Depuis que nos rois sont « en possession de nommer aux évêchés, les nommés par « Sa Majesté obtiennent des Bulles du Pape avant d'exercer « les fonctions du gouvernement spirituel : c'est là l'insti- « tution canonique. La raison en est, qu'il n'appartient pas « aux souverains de donner le pouvoir d'exercer les fonc- « tions spirituelles à ceux qu'ils nomment au Pape. Ce droit « est réservé à l'Eglise ou au Souverain-Pontife. » (Pag. 363.)

« Le Pape Boniface VIII publia la *Décrétale injunctœ,* qui « défend aux Prélats qui ont été pourvus et confirmés, de « s'ingérer en rien dans le gouvernement temporel ou spi- « rituel de leur église, s'ils n'ont reçu les Bulles : à moins « de cela, ils sont privés du droit dont leur promotion les « avait revêtus.

« Alexandre V et Jules II obligèrent les Evêques et abbés « que le Pape a pourvus de lever leurs Bulles dans un an, « sous peine de la même privation... L'usage de l'Eglise uni- « verselle est de ne jamais recevoir les ecclésiastiques dans « les bénéfices ou dans les fonctions ecclésiastiques sans pro- « vision par écrit. » (Pag. 538.)

PROBATUR II. *Ex ipsismet factis quæ allegantur ad probandam dictam consuetudinem.*—Asseritur nempe, tum sub Henrico IV, tum postea sub Ludovico XIV, contigisse, ut Episcopi nominati, ante obtentas Bullas, diœceses administraverint. Neque enim alia hujus rei exempla citantur. Porro allegata ejusmodi facta nedum probent assertam legitimam consuetudinem, contrarium prorsus evincunt.

I. *Expenduntur quæ sub Henrico IV contigerunt.* — Equidem tunc temporis, cum Sedes Apostolica, ob violata multimode

a gubernio gallico Ecclesiæ jura, utque ad saniora consilia regem reduceret, nominatos ab ipso præconizare denegaret, ad id extremi deventum est, ut dicti nominati, parlamentorum et regii consilii edicto gubernandis diœcesibus præficerentur. Quod lugendum atque insanum attentatum sic refertur in opere *Mémoires du clergé de France* (tom. 10, pag. 615, edit. Parisiis 1770) : « La France eut de grandes difficultés « avec la Cour de Rome sur la fin du règne de Henri III, qui « continuèrent dans les premières années de celui de Henri « IV. Pendant ces temps de troubles, les officiers de cette « Cour (1) faisant refus d'expédier des Bulles à ceux que nos « rois avaient nommés aux évêchés, on fut d'avis en France « qu'il convenait, pour arrêter les désordres qui augmen- « taient dans les diocèses pendant les longues vacances des « évêchés, que les Evêques nommés fussent chargés de leur « gouvernement, de même que l'étaient les élus par les cha- « pitres dans le temps que les élections avaient lieu. Il y en « eut qui portèrent leur autorité plus loin, et qui crurent « qu'il était du bien des diocèses qu'ils accordassent des dis- « penses et fissent les fonctions du gouvernement ecclésias- « tique, comme pendant le schisme, pour lesquelles c'était « l'usage dans un temps de paix et d'union de se pourvoir à « Rome. »

Eosdem excessus commemorat Cardinalis d'Ossat, cujus opera pro expediendis apud Sedem Apostolicam negotiis utebatur Henricus IV. Suggerit nempe promittendum Romano Pontifici, omnia in posterum *legitime* processura; sicque obtineri posse existimat veniam quoad præterita indebite peracta; immo forsan et confirmationem eorum Episcoporum qui parlamentorum et regii consilii edictis diœceseon regimini præfecti fuerant. En ipsius hac de re valde attendenda verba :

« Venant au particulier, je commenceray par la crainte

(1) Quoties gallicanis displicet quod fecit Romanus Pontifex, illud non ipsi tribuunt, sed ejus *officialibus*.

« que vous avez du succès de la charge que notre Sainct Père « peut avoir donnée à Monsieur le Légat, et vous diray, que « si vous en craignez l'évènement pardelà, on le craint au- « tant et plus en deça, où l'on a encores pire opinion des « parlemens, et moins d'espérance de notre réformation, « qu'il n'y en a d'occasion : et pourvu que nous nous dispo- « sions à bien faire pour l'advenir, et à recevoir et favoriser « la restauration de l'ordre et discipline ecclésiastique, en « ce qui aura à se faire cy après..., j'ai opinion qu'on ne se « formalisera guères pardeça, ni le Légat pardelà, pour les « désordres passez, et qu'on en passera à peu près par ou « vous voudrez, comme aussi n'a-t-on point de moyen de nous « contraindre; et tachant de tirer ce qui se pourra, on comp- « tera néanmoins en pur gain tout ce que vous leur accor- « derez... Quant au Pape et à son Légat en eux-mêmes, ils « ne regarderont point tant à certaines particularités passées « et faites en tems de trouble, comme à établir en tems de « paix un bon ordre public en toute l'église gallicane pour « toujours à l'avenir... Vous pourriez encores si dextrement « négocier, et donner espérance si certaine de l'avenir, qu'on « vous pourrait accorder des choses, *autrement impossibles*, « comme la confirmation des collations, provisions et autres « dispositions faites par delà, en vertu des arrêts des cours « de Parlement, et du grand conseil. » (Lettres du Cardinal d'Ossat. — Lettre à M. de Villeroy, 16 juillet 1596, n. 67, tom. 1, pag. 190, edit. Paris 1624.)

Agens postea præfatus Cardinalis *de la confirmation générale qu'on demandait au Pape*, nempe quoad dictos parlamenti aut regii consilii auctoritate provisos, *melius et obtentu facilius* existimat, si nihil aliud a Papa postuletur, quam ut *suppleat defectum potestatis eorum qui beneficia contulerunt* (*que suppléer ledit défaut de puissance en ceux qui ont conféré*).

Generalia cleri gallicani comitia anni 1596, in sua ad regem commonitoria allocutione, die 24 januarii habita, sic de præfatis attentatis conquerebantur : « Non seulement, Messieurs

« du grand conseil ont baillé ces économats spirituels, mais « passant plus outre, sur les simples brevets de nomination, « et sans autre provision, ont autorisé et donné pouvoir aux « nommés de s'ingérer et prendre possession des prélatures, « les gouverner et administrer au temporel et au spirituel... « Et cette entreprise a passé jusqu'aux principales charges, « savoir est des archevêchés et évêchés; esquels ils ont donné « pouvoir et autorité aux nommés par Votre Majesté de « prendre possession et s'entremettre du gouvernement tant « spirituel que temporel, comme s'ils eussent eu leur mis- « sion légitime. C'est chose entièrement contre le droit divin, « préjudiciable aux ames de vos sujets, qui, au lieu d'avoir « de vrais pasteurs qui assurent leurs consciences, en ont qui « sont entrés, non par la porte, mais par la fenêtre, et non « de la part de Dieu, mais des hommes. » (*Remontrances faites au nom du clergé par M. Claude d'Agennes de Rambouillet, Évêque du Mans*, citées dans l'opuscule *du Pouvoir prétendu des sujets nommés*, par le Cardinal d'Astros, page 27.)

In supra citato opere *Mémoires du clergé* (tom. 10, p. 618), de generalibus cleri gallicani comitiis anni 1595, sic refertur: « Cette assemblée ne s'opposa pas seulement à ce que les « Evêques nommés (de iis loquitur qui absque obtentis Bullis « regimen assumpserant) gouvernassent leurs diocèses, elle « voulut qu'en cette qualité ils n'eussent aucune diction dans « le clergé; elle alla même jusqu'à donner la préséance sur « eux à des doyens de chapitres. » Hoc ipso anno, die scilicet 17 septembris 1595, rex Henricus IV absolutionem a Sede Apostolica recepit.

Tandem præfati regis Henrici IV decretum diei 1 maii 1596, diœceseon administrationem retraxit ab iis Episcopis, qui absque Bullis et ex solo parlamenti aut regii consilii edicto eam assumpserant, simulque dictam administrationem capitulis (sede vacante) reddidit; excipiendo tamen eos Episcopos ab ipso Henrico IV nominatos, qui episcopali charactere insigniti, administrandi potestatem a capitulis recepis-

sent : « Henri, par la grâce de Dieu, etc... Les troubles et « divisions qui ont eu cours en notre royaume, ont donné, à « notre très-grand regret, sujet et occasion à plusieurs ou- « vertures inusitées et non accoutumées ; et entr'autres, que « vacants aucuns archevêchés, évêchés, abbayes et autres « bénéfices étant à notre nomination, nos privé et grand « conseil, contre ce qui avait été ci-devant observé, auraient « permis aux nommés par nous à aucuns desdits bénéfices, « d'entrer en possession d'iceux et les administrer tant au « spirituel que temporel, en vertu de notre seule nomina- « tion, sans attendre qu'ils eussent obtenu leurs provisions « (intellige Pontificias Bullas), comme il était requis et ac- « coutumé, et aux autres bénéfices commis des économes, « dits spirituels : lesquels nommés et économes ne se sont « seulement ingérés à l'administration du temporel, mais « aussi ont entrepris de créer vicaires, conférer bénéfices, « donner démissoires, et faire autres actes, appartenans à « ceux seulement qui sont légitimement institués et canoni- « quement pourvus, ou aux chapitres, le siége vacant.... « Nous, à ces causes, désirant conserver l'Eglise en son au- « torité et droits, faire cesser lesdits désordres..., inhibons « et défendons auxdits nommés par nous auxdits bénéfices, « et auxdits économes, dits spirituels, de s'immiscer aux « fonctions et charges spirituelles desdits bénéfices, soit de « pourvoir aux bénéfices, donner démissoires, excommunier, « absoudre, ni faire aucuns autres actes dépendans de la « puissance et jurisdiction ecclésiastique et spirituelle, à « peine de nullité de tout ce qui sera par eux fait, géré « et administré, et de privation du droit prétendu par « lesdits nommés auxdits bénéfices : auxquels dits nommés « et économes, dits spirituels, enjoignons en délaisser la « puissance et autorité aux chapitres des églises vacantes, « et autres auxquels de droit ou de coutume elle appar- « tient : si ce n'est que les nommés par nous auxdits ar- « chevêchés et évêchés, ayant l'ordre et consécration épis-

« copale, et pouvoir spécial desdits chapitres de ce faire. »

Jam vero ex adductis documentis hæc concludenda veniunt :

Primo, contigit utique sub Henrico IV ut nonnulli ad diœceses vacantes nominati earum regimen absque Pontificiis Bullis sibi usurpare ausi sunt, sive ex solo regii consilii edicto, sive accedente simul deputatione a capitulo facta : sed hoc contingit discordiarum tempore, necnon cum aperta erga legitimam Sedis Apostolicæ auctoritatem injuria atque violentia.

Secundo, eo ipso tempore, a clero gallicano, atque etiam ab ipsomet rege Henrico IV existimatum est, id plane anticanonicum irritumque fuisse, atque imprimis contra constantem Galliæ consuetudinem attentatum.

Tertio, tanquam anticanonicum et irritum a præfato rege retractum et correctum fuit.

Quarto, quamvis sperasset Cardinalis d'Ossat haud denegaturam Sedem Apostolicam dictos intrusos omnes confirmare, dummodo rex illæsa *in posterum* fore Ecclesiæ jura sponderet, non tamen id obtineri potuit quoad eos, qui ex solo regii consilii edicto administrationem invaserant, et episcopali charactere carebant. Videtur Sedes Apostolica gratiam illam concessisse dumtaxat quoad eos ex dictis intrusis, qui episcopalem consecrationem receperant, et quibus ab ecclesiæ vacantis capitulo administratio demandata fuerat. Non enim eos in suo edicto excepisset Henricus IV, nisi ab ipso Pontifice aut ejus Legato indultum, pro supplenda iisdem jurisdictione prius obtinuisset.

Quæ cum ita sese habuerint, quomodo adversarios non pudet ad probandam quam somniant Galliæ consuetudinem, ea ipsa facta adducere, quæ consuetudinem illam adeo aperte excludunt?

Objicies 1°. — Excipit in suo edicto Henricus IV episcopali charactere insignitos, qui administrationem a capitulo acceperant : ergo tunc temporis recepta in Galliis erat consuetudo,

ut nominati legitime administrare valerent, dummodo a capitulis deputarentur et episcopalem consecrationem accepissent. — Distinguo antecedens : eos excipit Henricus IV, quia indultum quoad ipsos obtinuerat, quod obtinere quoad cæteros verisimiliter non potuerat, concedo : quia in eis jus administrandi, secluso Pontificio indulto, agnoscebat, nego. Etenim dum antea declarat, illegitime administrasse ejusmodi nominatos, qui provisionem Pontificiam non habuerant, non distinguit, sed de omnibus absque exceptione loquitur. Præterea, si capitularis deputatio Pontificias Bullas quoad nominatos supplere potuisset, supplesset etiam quoad nominatos episcopali consecratione carentes. Cum ergo excepti dumtaxat fuerint *episcopali charactere* insigniti, signum est, ita a Sede Apostolica indultum, ne vilesceret ipse episcopalis ordo, atque ut lenius et facilius, post tot et tantas perturbationes, Galliarum ecclesiastica res componeretur. Nec dicatur, gratis supponi hujusmodi indultum Pontificium : nam, ut supra vidimus a Cardinali d'Ossat expressis terminis relatum, a gubernio gallico deliberatum est de *petenda generali confirmatione Pontificia* quoad dictos nominatos, qui regendis episcopalibus aliisque beneficiis regii consilii edicto præfecti fuerant. Dubium non est, quin negotium illud cum Legato Pontificio composuerit Henricus IV, antequam decretum suum ederet; meritoque præsumitur, nonnisi consentiente, et jurisdictionem supplente eodem Legato, sive ipso Romano Pontifice, appositam fuisse in dicto regio decreto exceptionem illam, quoad nominatos episcopali charactere insignitos, et a capitulis deputatos. Præterea indubitati juris semper fuit, Episcopum unius diœcesis, si ad aliam nominetur, non posse ad hanc secundam migrare, nisi a prioris vinculo fuerit Pontificia auctoritate absolutus : nec cessat residendi in priore obligatio, nisi dicta absolutio intervenerit. Quod autem contra illud jus commune aliqua unquam in Galliis exstiterit consuetudo, apertum mendacium est. Porro dicta regii edicti exceptio jus illud commune evertebat, cum agatur de nominatis qui jam aliarum diœceseon Episcopi

erant. Ergo absonum est dicere illam exceptionem consuetudini Galliæ consonam fuisse. Imo supponi vix potest appositam fuisse ab Henrico IV illam exceptionem, nisi consentiente et defectum jurisdictionis supplente Apostolica Sede. Sed esto rex proprio marte dictam exceptionem posuerit : sequeretur dumtaxat Sedem Apostolicam silendum et dissimulandum existimasse, ac singulis qui in hoc casu reperiebantur Episcopis jurisdictionem supplesse. Quæ hypothesis ex parte Romani Pontificis haud repugnaret : ita siquidem disposita tunc erat Sedes Apostolica, testante Cardinali d'Ossat, ut pejora ex parte parlamentorum pertimescens, lucrum reputaret quidquid obtinere posset, in corrigendis ejusmodi præteritis excessibus; ad dissimulandum et perferendum parata, si nonnullorum correctionem obtinere non potuisset, dummodo in posterum res canonice procederent.

Objicies 2°. — Non legimus Papam reclamasse contra administrationem dictorum nominatorum, qui episcopali charactere insigniti, et a capitulo (sede vacante) deputati, diœceseon regimen assumpserant : ergo consuetudo Galliæ jam obtinuerat, ut posset id legitime fieri. — *Primo,* ex eo quod non legatur ejusmodi reclamatio, non sequitur eam non fuisse factam : multa profecto, quæ in componendo illo negotio peracta sunt, ignoramus; sive quod scriptis non sint mandata, sive quod documenta omnia ad nos non pervenerint aut nondum perlecta sint. *Secundo* etiamsi reclamatum non fuisset, nequaquam concludi posset legitimam a Sede Apostolica agnitam fuisse consuetudinem. Argui solummodo posset, maluisse Apostolicam Sedem, pro temporum iniquitate et ne pejora contingerent, quoad nonnulla præterita ejusmodi attentata dissimulare, dummodo res in posterum recte procederent.
« La pratique du Saint-Siége, ait Muzzarelli, est ordinaire-
« ment, dans certains cas particuliers, de ne pas réclamer
« publiquement; d'attendre que la Providence offre d'autres
« moyens; et cela surtout quand la réclamation pourrait
« troubler un arrangement et occasionner de nouveaux incon-

« vénients ; et encore plus, quand la sentence publique por-
« terait de grands embarras pour les fidèles. » *(Complément de la correspondance de la cour de Rome avec Buonaparte,* par Muzzarelli, page 242, edit. Paris 1814.)

II. *Expenduntur quæ sub Ludovico XIV contigerunt.* — Etiam sub isto rege exarsit inter gallicum gubernium et Sedem Apostolicam dissensio. Et in hisce dissensionibus solent adversarii argumenta sua expiscari, ut si quid violenter et injuriose contra Romani Pontificis auctoritatem attentatum reperiant, continuo in gallicanam consuetudinem, atque adeo in jus citra montes jam acquisitum erigant.

Primo. — Enarratur quid contigerit. — « Louis XIV était « homme. Très-irrité de l'opposition que Rome mit à ses « prétentions sur la régale, et pour d'autres faits... il voulut « faire sentir son courroux et inspirer des craintes à la cour « de Rome. De là cette fameuse déclaration du clergé de « France... Rome, offensée à son tour, refusa d'instituer les « Evêques ; et le courroux du prince augmenta... M. Talon « alla jusqu'à proposer de faire sacrer les nommés sans re- « courir à Rome. » (*Du Pouvoir des sujets nommés aux évêchés,* par le C. d'Astros, pag. 47.) De confusione tunc exorta sic meminit coætaneus scriptor Jansenista Arnaud : « Jusques à « quand durera le trouble qui est maintenant dans une grande « partie des évêchés de France? Je n'ai appris que depuis « peu comment tout cela se fait. Par exemple, l'Archevêque « de Sens étant mort, le roi a nommé à Sens l'Evêque de « Poitiers, et à Poitiers l'Evêque de Tréguier, et à Tréguier « un abbé. Cet abbé va conduire l'évêché de Tréguier comme « grand vicaire de l'Evêque de Tréguier, qui va à Poitiers, « où il est nommé grand vicaire de l'Evêque de Poitiers, « nommé à Sens ; et ce dernier est à Sens, le chapitre étant « obligé, bon gré malgré qu'il en ait, de le prendre pour son « grand vicaire. Ne pourrait-on trouver aucun accommodement « pour faire cesser un si grand scandale ?... Ce qui a beau- « coup augmenté la confusion..., c'est qu'au lieu de se con-

« tenter de nommer aux églises vacantes par mort..., on a « fait des translations doublées et triplées, qu'on a ingénieu« sement nommées des *cascades.* » (Arnaud, *Lettres* 356 et 380 *à M. du Vaucel.*) Quod plures ex iis a rege nominatis, et in vicarios capitulares a capitulo deputatis, jurisdictionem exercere non ausi sint, vide in opusculo *du Pouvoir prétendu des sujets nommés aux évêchés*, auctore Card. d'Astros. Plena hæc fuisse violentia et scandalo, quam plurima evincunt coætanea documenta, et ex paucis adductis satis patet. Unde liquet plane deceptos (ne dicendum sit egregie mentitos) canonicos Parisienses, qui Cardinalem Maury in suum vicarium capitularem nominarunt, quando ita asseruere : « Depuis 1681 « jusqu'à 1693, tous les Archevêques et Evêques nommés en « grand nombre pendant ces douze années *allèrent gouverner « paisiblement*, en vertu des pouvoirs qui leur furent donnés « par les chapitres, les églises métropolitaines ou cathédrales « dont ils étaient destinés à remplir les siéges vacants. » (*Adresse du chapitre de Paris,* insérée dans le *Journal de l'Empire,* 8 janvier 1811.)

Secundo. — Facta hæc prætensam legitimam Galliæ consuetudinem non probant. — Etenim ejusmodi facta legitimam consuetudinem constituerent, vel per se sola, vel juncta cum similibus factis quæ sub Henrico IV contigerant, vel ob silentium Sedis Apostolicæ, quæ cum non reclamaverit, dicta facta pro legitimis habuisse censenda foret. Atqui nullum ex his dici potest.

Imprimis, facta hæc, per se sola, non constituunt consuetudinem, cum duodecim dumtaxat annorum spatium occupent. Per se sola nempe nihil aliud sunt quam lugendum contra Ecclesiæ jura attentatum. Præterea adversantur juri divino, contra quod nunquam præscribi potest : siquidem de jure divino ad solam ecclesiasticam potestatem pertinet Episcopos ecclesiis præficere ; in præfato autem conflictu laica potestas sibi facultatem usurpavit quibus sibi placuit, invita Sede Apostolica, regendos episcopatus committere. Insuper consuetudo,

si qua ex dictis factis exurgeret, esset procul dubio abusus ac corruptela : liberum enim faceret laicis principibus impedire, ne suprema Ecclesiæ potestas legitimos et a se probatos pastores in singulis diœcesibus instituat.

Sed neque legitimam consuetudinem probant facta hæc, si conjungantur cum similibus quæ sub Henrico IV contigerant. Nam probatum est, ex factis sub Henrico IV nullam ortam fuisse consuetudinem : habita sunt hæc, tum a clero Galliæ, tum ab ipso Henrico IV, tanquam illicita atque irrita, et quatenus talia revocata, ut supra vidimus. Insuper etiamsi aliter se res habuisset sub Henrico IV, imo etiamsi sub pluribus regibus renovata fuissent ejusmodi lugenda facta, semper remanerent juri divino contraria, et nonnisi abusum constituerent.

Tandem hisce factis non accessit legitimitas sub Ludovico XIV, ex Sedis Apostolicæ non reclamantis silentio. Esto tunc Sedes Apostolica contra dictos nominatos, qui diœceses tanquam vicarii capitulares administrabant, non reclamaverit, et silendum duxerit : ex tali silentio consensus nequaquam concludi potest. Prout enim in tractatu *de principiis* fuse probavimus, Sedis Apostolicæ silentium non probat eam assentire, nisi quando ipsi liberum est reclamare, quin aliquod notabile damnum pertimescendum habeat. Porro in dicto casu periculum erat, ne per expressam ejusmodi administrationum condemnationem magis accenderetur regis ira, sicque ad schisma deveniretur : scribebant Summo Pontifici Episcopi Galliæ imminere schismatis periculum, nisi Ludovico XIV extensio regaliæ concederetur. Quibus sane stantibus circumstantiis, ex Sedis Apostolicæ silentio assensus nequaquam colligi potest.

Imo tunc temporis Romæ agitata fuit hæc ipsissima quæstio, num necesse foret a Sede Apostolica reclamari, ut præfatæ administrationes pro illegitimis haberi deberent : et decisum est negative. De quo sic adnotavit Cardinalis d'Astros (*du Pouvoir prétendu des sujets nommés aux évêchés*, pagina 64, edit.

Toulouse 1839) : « On lit dans le mémoire sur les adminis-
« trations capitulaires, pag. 18 : *Sous le Pontificat d'Inno-
« cent XI, une Congrégation de Cardinaux s'occupa des admi-
« nistrations capitulaires des Évêques élus qui existaient alors en
« France. On convint unanimement que ces administrations étaient
« illicites, et il fut en outre décidé que le Saint Siége n'était point
« obligé de réclamer pour faire cesser cet abus, dans la crainte
« d'allumer davantage le feu de la discorde et de la division qui
« éclatait déjà si vivement entre Louis XIV et le Saint Siége. Je
« tiens ce fait* (dit l'auteur, homme grave, et actuellement
« dans les dignités ecclésiastiques) *d'un Prélat italien très-
« digne de foi. Si M. le Cardinal* (Maury) *désire en obtenir une
« garantie plus authentique, il la trouvera à Rome, où ses affaires
« l'appellent, dans les archives du Vatican.* »

Ergo revera falsum prorsus est extitisse unquam in Gallia legitime præscriptam consuetudinem, vi cujus possint nominati a rege deputari a canonicis in vicarios capitulares, et sub hoc aliove quovis titulo jurisdictionem exercere, ante obtentas Pontificias Bullas. Atque hinc colligat lector quam inanis fuerit Cardinalis Maury defensio, qui ut ab intrusionis crimine sese purgaret, idem sub Ludovico XIV peractum reponebat : « J'ai fondé mon acceptation (ait), sur l'exemple et l'autorité « mémorables de ce qui s'était pratiqué pendant douze ans « en France sous le règne classique de Louis XIV. Ce fait « incontestable me tient lieu de toute autre recherche. Si « un Evêque ne peut pas s'appuyer aujourd'hui avec la plus « entière sécurité sur un exemple d'un si grand poids, quelle « sera donc désormais l'autorité digne de garantir sa con- « fiance? » (In opere Cardinalis d'Astros, *Pouvoir prétendu des sujets nommés aux évêchés*, pag. 44, edit. 1839.) His sane verbis suam ipse condemnationem obsignavit, æternumque sibi probrum indidit intrusus Maury.

§ VII.

Episcopus unius diœcesis, antequam a vinculo quo huic diœcesi devincitur Pontificia auctoritate fuerit absolutus, nequit deputari in vicarium capitularem alterius diœcesis : et talis deputatio, si attentetur, invalida est.

Etenim vicario capitulari incumbit animarum cura. Proinde ipsius officium de iis est quæ residentiam exigunt. Ut ergo posset Episcopus esse alterius diœcesis vicarius capitularis, deberet posse a lege residentiæ in sua propria diœcesi seipsum eximere, seu deberet posse suam propriam diœcesim dimittere.

Jam vero certum omnino est, non posse Episcopum, etiamsi nondum foret consecratus, sed tantum electus et confirmatus, absque Pontificiæ auctoritatis interventu ecclesiam suam derelinquere, ac sese liberare ab obligatione ipsius curam gerendi, et in ipsa residendi. *Cum ergo* (inquit Innocentius III) *fortius sit spirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet, quin Omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum et ecclesiam, suo tantum judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum et fœminam, suo tantum judicio reservavit, præcipiens ut, quos Deus conjunxit, homò non separet. Non enim humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Jesu Christi) Episcopus ab ecclesia removetur. Et ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina, soli sunt Romano Pontifici reservata. Sicut autem Episcopus consecratus sine licentia Romani Pontificis suam non debet ecclesiam derelinquere, sic et electus confirmatus : cum non debeat in dubium revocari, quin post electionem et confirmationem canonicam... conjugium sit spirituale contractum* (cap. *inter*, 2 *de translatione Episcopi).* Sequenti autem Decretali præfigitur rubrica hæc : « Episco- « pus, qui propria auctoritate de sua ecclesia se transfert ad

« aliam, carebit utraque. » Hinc Clemens XI, de Francisco de Solis, Ilerdensi Episcopo, qui, vacante Abulensi sede, ab hujus ecclesiæ capitulo fuerat in vicarium capitularem ac diœcesis gubernatorem electus, et sub hoc titulo ejusdem vacantis diœcesis administrationem invaserat, sic pronuntiat : « Cum... decanus, capitulum et canonici prædicti, juribus sibi « competentibus in eumdem Franciscum Episcopum translatis, illum subinde in provisorem seu gubernatorem dictæ « ecclesiæ eligere seu nominare ausi fuerint ; ipseque Franciscus Episcopus, electionis seu nominationis hujusmodi « vigore, ecclesiam suam Ilerdensem absque nostra licentia « deserere, necnon curam, regimen et gubernium ejusdem « ecclesiæ Abulensis suscipere et exercere præsumpserit et « adhuc præsumat : *explorati vero juris sit, ipsum Franciscum « Episcopum minime potuisse nec posse, sub œconomatus, procu- « ratoris, provisoris, vicarii generalis, seu gubernatoris nomine, « aut alio quovis quæsito colore seu titulo, curam, regimen et « administrationem ejusdem ecclesiæ Abulensis in spiritualibus « vel temporalibus, gerere vel recipere, aut illis ullatenus se im- « miscere, antequam a vinculo (quo tenetur ecclesiæ Ilerdensi, « cui præest, et a quo non nisi a nobis absolvi potest) realiter et « cum effectu absolvatur,* ac ad præfatam ecclesiam Abulen- « sem transferatur, eique de illius persona a nobis providea- « tur... ; electionem seu nominationem..., aliaque omnia..., « electionis seu nominationis prætextu facta..., penitus et « omnino irrita... esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, « tenore præsentium declaramus et decernimus. » (Bulla *in supremo*, 24 augusti 1709, supra transcripta, § 1, n. 4.)

Idem pronuntiavit Pius VII quoad Cardinalem Maury, similis attentati reum. In Brevi enim ad ipsum directo (quod vide supra § 1, n. 5) sic ipsum alloquitur : *A spirituali vinculo quo ecclesiæ Montisfalisci devinctus es, quisnam te dissolvit? Aut quisnam tecum dispensavit, ut a capitulo eligi posses et alterius ecclesiæ administrationem suscipere?*

Pariter cum vacaret Florentina ecclesia, et vellet impera-

tor Napoleo, in vicarium capitularem hujus diœcesis eligi ac deputari a capitulo Nanceiensem Episcopum, enumerans Pius VII varia capita, quæ dictum Episcopum ad tale munus inhabilem ac ineligibilem reddebant, sic habet : *Verum ex alio etiam capite idem inhabilis habendus est : ex eo scilicet quod ipse alteri ecclesiæ spirituali conjugio est copulatus, quod absque expressa Apostolicæ Sedis dispensatione dissolvi non potest* (vide illud Breve, supra § 1, n. 6).

§ VIII.

Concluditur miserandum in modum errasse, et intrusionis reos fuisse Cardinalem Maury, necnon cathedralis Parisiensis canonicos, qui eum in vicarium capitularem deputarunt.

PROPOSITIO I[a]. — *Facta prima vicariorum capitularium deputatione, non potuit Parisiense capitulum eos revocare, nec eis alios vicarios capitulares adjungere.* — Etenim id potuisset, vel vi juris communis, vel vi juris specialis Galliæ : atqui neutrum dici potest.

I. *Id non potuit vi juris communis.* — 1° Equidem jus commune, quoad materiam de qua disserimus, non fuit statim post Tridentinam Synodum certo determinatum. Nimirum an posset capitulum sibi aliquam jurisdictionem reservare, et limitatam dumtaxat vicario capitulari committere; an posset vicarium capitularem deputare solummodo ad tempus et non pro toto vacationis tempore; an posset eumdem revocare, et alium substituere ; disputabant doctores, aliis pro, aliis contra concludentibus. Varia etiam fuit quoad hæc capitulorum praxis. Immo et variæ fuerunt S. Congregationis Concilii et Rotæ decisiones. Id fuse, adductis documentis, exposui in meo tractatu *de Capitulis* (parte 5, cap. 9 et 10). Facit præcipue ad rem quod ibi transcripsimus ex *Thesauro resolutionum* (tomo 7, pag. 350) : « Tametsi olim vicarius capitularis posset a capi« tulo ad certum tempus constitui, et ad libitum quoque « amoveri, dummodo alium infra octo dies deputaret, quem-

« admodum constat ex antiquioribus decretis Sacræ Congre-
« gationis (et signanter in Panormitana, libro 1 decretorum, « pagina 163; in Taurinensi, libro 7 decretorum, pagina 48; « in Goana, libro 17 decretorum, pagina 274; cum aliis rela- « tis in Leopoliensi, tomo 7 Thesauri resolutionum, pagina « 182); attamen ut recto Ecclesiarum regimini consultum sit, « eumdem vicarium capitularem eligi debere pro toto tem- « pore quo episcopalis sedes vacua remanet, nec posse nisi « ex justa causa, per Sacram Congregationem Episcoporum « et regularium cognoscenda et approbanda, revocari, de- « crevit eadem Sacra Congregatio Episcoporum et regularium « negotiis proposita, juxta testimonium Fagnani, in cap. *his « quæ*, n. 71, *de majoritate et obedientia.* » Hinc extra quæstionem prorsus vagantur qui, ad vindicandam *hodiernis* capitulis facultatem vicarios capitulares revocandi, ingenti eruditionis mole antiquos doctores ita sentientes congerunt, necnon hujusce praxis vetustiora documenta. Non negatur *olim* rem disputatam fuisse, imo forte et passim admissam dictam vicarios capitulares revocandi praxim. Quæstio est an contrarium, a multo jam tempore, ex romanis decisionibus, *in jus commune* transierit. Porro,

2° Certum est jamdudum in jus commune transisse romanas decisiones et Sedis Apostolicæ praxim, juxta quas non potest capitulum ullam sibi jurisdictionem retinere, nec semel deputatum vicarium capitularem revocare, aut alium ipsi adjungere. Etenim « S. Congregatio Episcoporum et regula- « rium *sæpe* decrevit, vicarium capitularem non posse eligi « ad certum tempus, sed eligendum esse pro toto tempore « vacationis ecclesiæ...; nec posse capitulum ad sui libitum « vicarium revocare *sine causa per S. Congregationem appro- « banda.* » Ita suo jam tempore scribebat Pignatellus (tom. 1, consult. 23, n. 10). Porro jam a multo tempore decisiones illas habet Sedes Apostolica tanquam jus commune et verum Tridentini decreti sensum exprimentes. Id peremptorie probat constans ejusdem Sedis Apostolicæ praxis : etenim quoties

capitula vicarios capitulares cum aliqua jurisdictionis restrictione deputare, aut eosdem revocare præsumunt, Pontificia auctoritate nullas fuisse et esse ejusmodi restrictiones et revocationes declaratur; et manutenetur vicarius capitularis primum nominatus, quantumvis cum canonici revocaverint. Vicarii autem capitulares, qui prioribus revocatis substituti sunt, tanquam intrusi habentur; et Sedes Apostolica contra eos, quatenus intrusos, procedit, si jurisdictionem exercere attentent. Porro hoc ipso quod ita Sedes Apostolica jam a multo tempore declaret et agat, idipsum *in jus commune* firmat. Neque possunt alicujus diœcesis canonici impedire ne hoc sit verum jus commune hodiernum, in hac ipsa eorum diœcesi vigens : etenim quantumvis id agnoscere renuant, si contrarium attentent, si nempe initio deputatum vicarium capitularem revocent, vicarius ille capitularis diœcesim administrare pergens, et canonicorum tentamen pro inani habens, lite ad Sedem Apostolicam perlata, recte egisse, imo et ita ex officio agere debuisse declarabitur; et nisi ab attentato canonici desistant, contra ipsos pœnis procedetur. Quod nempe ita jam a multo tempore Sedes Apostolica constanter declarare et agere soleat, est factum inconcussum atque extra omnem omnino controversiam positum : porro factum istud *ex se solo* jus commune, quod asserimus, constituit et probat.

Contigit ergo quoad illam quæstionem, an scilicet valeant capitula semel deputatos vicarios capitulares revocare, idem quod circa nonnullas alias ex vero Tridentinorum textuum sensu dependentes pariter contigisse notum est. Primis nempe post Tridentinam synodum temporibus, an hoc vel illo modo aliquod dictæ synodi decretum intelligendum esset, licite disputari potuit. Imo prout variis temporibus major pars doctorum in hanc aut illam partem inclinare visa est, variæ potuerunt e romanis dicasteriis decisiones seu declarationes emanare. Re tandem penitus explorata, constans evasit apud Sedem Apostolicam declarandi et agendi praxis, et hoc ipso ex tunc finis controversiæ impositus.

Ergo jam a multo tempore intelligendum est caput 16 sessionis 24 Tridentinæ Synodi, ita ut canonici vicarium capitularem deputando totam in eum jurisdictionem ordinariam transferant pro toto vacationis tempore, nec valeant vicarium illum revocare, aut ullum alium jurisdictionis actum exercere; nec jam hodie licita est contraria interpretatio, quamvis eam olim licite aliqui doctores tenuerint.

Cæterum interpretatio hæc, hodie prorsus rejicienda, adversatur obvio et vero dicti Tridentini capitis sensui, prout probat, et simul Pontificia sua auctoritate definit Pius VII, his verbis: « Porro Synodus Tridentina, quæ capitulorum cathedralium « officium, ecclesia vacante, stabilivit, tantum abest ut ca« noni Lugdunensi et tot S. S. Pontificum Decretis quidquam « derogarit, ut e contrario manifeste ea supponat; nihil aliud « muneris ac proinde potestatis ipsis capitulis incumbere « declarans, quam ut œconomum unum vel plures, et offi« cialem seu vicarium, infra octo dies constituere teneantur. « Eosdem vero œconomos et vicarios seu officiales semel « electos, *non capitulo obnoxios declarat, sed futuro Episcopo*, « qui cum ad eamdem ecclesiam vacantem promotus fuerit, « rationem ab eis exigere jubetur..., eosque punire qui deli« querint, etiamsi a capitulo absolutionem et liberationem « obtinuerint. *Ex quo duo manifeste apparent : nempe officialibus « semel constitutis, non ad capitulum amplius, sed apud ipsos « exercitium ecclesiastici regiminis residere ; et officialem ipsum « capitularem, personam ab Episcopo promovendo plane distinctam « esse oportere.*» (Breve Pii VII, supra transcriptum, § 1, n. 6.)

2° *Neque ex jure speciali Galliæ potuit Parisiense capitulum initio deputatos vicarios capitulares revocare.* — Merum figmentum est jus illud speciale Galliæ. Etenim ut illud adstruant adversarii, allegant constantem praxim seu consuetudinem, parlamentorum arresta, necnon communiter receptam citra montes a doctoribus doctrinam illam. Atqui,

Primo non valet ratio deducta ex praxi seu consuetudine. Etenim ut asseri posset ejusmodi consuetudo, deberet con-

stare de frequentibus ejusmodi vicariorum capitularium revocationibus. Atqui non constat, neque quoad antiquiora tempora, neque quoad recentiora. Non *quoad antiquiora*, prout fatetur ipse Durand de Maillane his verbis : « C'était autre« fois une question dans ce royaume si les chapitres pouvaient « destituer *les officiaux de l'Évêque, sede vacante ;* mais elle a « été décidée par la *nouvelle jurisprudence* en faveur des cha« pitres ; *qui peuvent aussi révoquer,* sans en expliquer la « cause, *les vicaires qu'ils ont nommés* pour gouverner les « diocèses. Les arrêts sur lesquels on fonde ces maximes sont « rapportés dans les *Mémoires du clergé*, au tome 7, pages 301 « et 322 ; tome 2, page 533. » (*Dictionnaire canonique*, mot *Siége.*) Ibi conjungit citatus auctor quæstionem de destituendis officialibus ab Episcopo mortuo constitutis, et de destituendis officialibus deputatis ab ipsomet capitulo. Sed quoad utramque fatetur, ante *novam jurisprudentiam*, disputatum fuisse. Sed neque *quoad recentiora tempora* probari potest legitima praxis capitulorum destituendi vicarios capitulares ab ipsis capitulis deputatos. Etenim demus aliquot ejusmodi facta contigisse sub Ludovico XIV (non enim alia ex recentioribus temporibus allegari possunt), eo discordiarum tempore, quod supra memoravimus. Sane exempla hæc legitimam consuetudinem non constituunt : tum quia paucorum annorum spatium occupant : tum quia eis non accessit Romani Pontificis consensus ; siquidem eo ipso tempore istiusmodi capitulares administrationes Romæ declaratæ sunt illicitæ ; et simul decisum est necessariam non esse Apostolicæ Sedis reclamationem, ut pro illicitis habendæ essent (vide supra id probatum, § 6, sub finem) : tum quia negari potest capitula libere id peregisse : tum denique quia juri divino ex natura sua adversantur, et Ecclesiæ summe nociva sunt quæ tunc Ludovicus XIV attentavit ; proinde, quantumvis sæpius renovata, non legitimam consuetudinem, sed abusum dumtaxat et corruptelam constituere possent : etenim non tantum revocati tunc fuerunt vicarii capitulares, sed ipsorum loco electi sunt ii quos rex ad

sedes vacantes nominaverat : quod nunquam in legitimam consuetudinem transire posse, supra ostendimus.

Secundo, nec dictum jus speciale Galliæ probant parlamentorum arresta. Tum quia absonum est ejusmodi parlamentis jus ecclesiasticum decernendi ac determinandi auctoritatem tribuere ; tum quia multo plura ejusmodi arresta vicariorum capitularium irrevocabilitati favent quam revocabilitati. Immo nec revocari a capitulis posse officiales a defuncto Episcopo constitutos, pluries parlamenta pronuntiarunt.

Tertio, nec dictum jus speciale Galliæ evincitur ex eo quod capitulis vicarios suos capitulares revocandi potestatem *communiter* tribuant citramontani auctores. Imprimis enim scriptorum alicujus regionis quantumvis communis sententia nihil probat, si contrarium teneant communiter in toto reliquo orbe doctores catholici. Præterea falso asseritur communis hæc canonistarum Galliæ sententia. Fuit nempe ea res in Galliis, prout et in cæteris regionibus disputata, prout videre est in opere Cardinalis d'Astros cui titulus *du Pouvoir prétendu des sujets nommés aux évêchés*. Unum dumtaxat adducemus gallicum scriptorem contrariæ sententiæ adhærentem : « Comme il ne dépend pas du chapitre de nommer ou de ne « nommer pas des vicaires généraux, il ne peut pas non plus « dépendre de lui de restreindre et borner les pouvoirs des « vicaires qu'il a une fois nommés. Le chapitre, suivant l'ex- « pression des canonistes, communique à ses vicaires géné- « raux la juridiction qui lui est transmise par la mort de « l'Evêque, *non cumulative, sed privative ;* c'est-à-dire qu'il « leur communique sa juridiction en se dépouillant entière- « ment. Sur les mêmes principes, je crois, quoiqu'en dise « Ducasse (*Traité des chapitres*, pag. 271), que le chapitre, « après avoir nommé un ou plusieurs vicaires généraux, ne « peut plus en nommer d'autres pour exercer conjointement, « et qu'il peut encore moins, sans une cause légitime, révo- « quer ou destituer les premiers. » (François de Boutaric. *Institutions canoniques*, chap. 20.)

Quarto tandem, etiamsi viguisset ante Concordatum anni 1801 prætensum illud jus speciale Galliæ, at post illud Concordatum pro antiquitato habendum foret. Nam varia jura specialia seu privilegia ecclesiarum Galliæ, suppressis a Pio VII iis ecclesiis, suppressa et ipsa fuere; nisi expresse noviter erectis diœcesibus concessa fuerint. Porro novæ diœceses Galliæ sub jure communi erectæ sunt, exceptis dispositionibus in Concordato expressis, inter quas dicti juris specialis capitulorum concessio nequaquam legitur.

Ergo revera capitulum Parisiense, eo tempore quo Cardinalis Maury ad sedem Parisiensem nominatus est, neque vi juris communis, neque vi juris specialis Galliæ revocare potuit vicarios capitulares, quos primum deputaverat.

Propositio IIª. — *Erravit et nulliter egit Parisiense capitulum, quando Cardinali Fesch, ad sedem Parisiensem nominato, vicarii capitularis facultates et diœcesis administrationem contulit.* — Etenim 1° jam antea vicarios capitulares deputaverat : proinde nihil jam jurisdictionis exercere poterat : consequenter nec poterat novum vicarium capitularem deputare. Id ex præcedenti propositione sequitur. 2° Etiamsi nullos adhuc vicarios capitulares nominasset, et adhuc illos deputandi potestatem habuisset, nulla tamen fuisset Cardinalis Fesch deputatio. Nam ex duplici capite inhabilis erat dictus Cardinalis ad vicarii capitularis officium : *primo*, quia jam ad sedem Parisiensem *nominatus* fuerat : statim autem ac quis nominatus est ad sedem aliquam, nec licite nec valide potest hujus diœcesis administrationi sese immiscere, ante obtentas et ostensas Bullas, prout superioribus paragraphis probavimus : *secundo*, quia jam erat alterius ecclesiæ Episcopus ; ex quo etiam capite inhabilis existebat ad dictum vicarii capitularis munus, prout pariter supra probatum est (§ 7).

Propositio IIIª. — *Erravit et nulliter egit Parisiense capitulum, quando, anno 1810, Cardinalem Maury in vicarium capitularem elegit.* — Renuntiaverat Cardinalis Fesch nominationi suæ ad Parisiensem sedem. Hinc imperator Napoleo in ejus

locum, die 14 octobris Cardinalem Maury nominavit : atque continuo, postulante atque instante eodem imperatore, Parisiense capitulum, præfatum Cardinalem Maury in vicarium capitularem deputavit. Porro et hæc deputatio illicita prorsus et invalida fuit, ob rationes quoad Cardinalem Fesch modo expositas. Cum nempe capitulum vicarios capitulares jam antea elegisset, nullum alium deputare poterat. Neque poterat quidquam jurisdictionis exercere. Præterea Cardinalis Maury, utpote *nominatus*, eligi nequibat. Tandem inhabilis etiam erat quatenus alterius ecclesiæ (nempe Montisfalisci) Episcopus.

Propositio IV^a. — *Erravit et nulliter egit Parisiense capitulum quando Paulum d'Astros vicarium capitularem revocavit.* — Hanc revocationem sic enarrat præfatus d'Astros, illustrissimus postea ecclesiæ Tolosanæ Archiepiscopus et S. R. E. Cardinalis : « Die autem 7 ejusdem mensis januarii 1811, « capitulum Parisiense Buonaparte pro tunc imperatorem « adiit, ut ei significaret, facultates mihi delegatas a se *revo- « catas fuisse.* » Volebat nempe imperator, ut præfatus d'Astros suo vicarii capitularis muneri renuntiaret. Quod cum facere constanter renuisset, in vincula conjectus est ; atque adhuc in carcere detinebatur, quando Parisiense capitulum, attentata attentatis addens, dictam revocationem pronuntiavit. Porro ejusmodi revocatio illicita fuit atque prorsus irrita, prout ex propositione I^a aperte sequitur. Hinc ipsi d'Astros Summi Pontificis nomine, necnon S. Congregationis super negotiis præpositæ, rescribebat ejusdem S. Congregationis secretarius, integrum proculdubio permansisse, non obstante dicta revocatione, jus ipsius, *e quo nunquam te decidisse* (sunt ipsius verba) *vel subdubitare nefas esset* (vide supra, § 1, n. 9).

Propositio V^a. — *Erravit iterum Parisiense capitulum, quando anno 1814 voluit Paulum d'Astros in vicarium capitularem denuo eligere, quasi valida fuisset ejusdem revocatio.* — Obstiterunt nempe canonici Parisienses ne præfatus d'Astros, liber-

tati tunc restitutus, diœcesis administrationem reassumeret, nisi prius capitulariter iterum fuisset electus. Atque ad hanc electionem devenire volebant. Qua quidem agendi ratione errorem suum confirmabant, de sua prætensa capitulares vicarios revocandi potestate. De quo ipsos reprehendit, Pontificis et supra dictæ Congregationis nomine, ejusdem Congregationis secretarius, his verbis ad Paulum d'Astros directis : *De te autem, quem sodales arbitrantur datis ordinis suffragiis iterum ad antiquum munus adsciscendum esse, quasi rata ac firma esset remotio, quam per summam injuriam de te vix in vincula conjecto decrevere, meminerint ipsi, explorati juris esse, vicarium capitularem rite constitutum, ex officio dimoveri non posse nisi gravior et justa causa id deposcat, per Apostolicam Sedem probanda... Non erat igitur cur de tuo jure quæstio fieret, e quo nunquam te decidisse vel subdubitare nefas esset* (supra, § 1, n. 9).

Propositio VI*. — *Intrusionis rei fuerunt Cardinalis Maury, necnon Parisienses canonici qui eum in vicarium capitularem elegerunt.* — « Nota..., intrusum esse qui ingerit se administra-« tioni ante confirmationem ; et sic sine titulo, vel præter « authoritatem ejus ad quem spectat, etiamsi præcesserit « electio. » (Fagnanus, in cap. *cum jamdudum*, 18 *de præbendis*, n. 3.) Hanc de intrusione notionem applicando, haud negari posse videtur posita conclusio. Etenim 1°, intrusus fuit Cardinalis Maury, si diœcesis Parisiensis administrationem invasit præter authoritatem ejus ad quem spectabat, seu quin legitimam ad id potestatem recepisset : atqui revera administravit absque legitima potestate : non enim aliam potestatem habuit quam quæ fuit ipsi a capitulo collata : sed capitulum nullam ei legitimam administrandi potestatem contulit : fuit nempe, ex supra probatis, ipsius in vicarium capitularem deputatio nulla prorsus ac irrita : et quidem ex triplici capite, videlicet *primo*, quia capitulum jam non habebat potestatem ullum alium vicarium capitularem deputandi ; *secundo*, quia ipse Cardinalis, utpote ad sedem Parisiensem nominatus,

hoc ipso ineligibilis erat; *tertio*, quia inhabilem eum insuper reddebat vinculum, quo alteri ecclesiæ devinciebatur. Fuit ergo ex hoc triplici capite intrusus.

2° Dictæ intrusionis rei fuerunt Parisienses canonici, utpote qui ipsius causa fuerunt, per præfatam Cardinalis Maury in vicarium capitularem deputationem; necnon per secutam suam eidem intruso adhæsionem.

Propositio VII[a]. — *Inde etiam sibi maculam inussit Parisiense capitulum, quod præfatos suos illegitimos actus nunquam retractaverit, nec e regestis suis expunxerit.* — Ingens enim proculdubio hæc Parisiensium canonicorum attentata scandalum fuerunt; cui accessit pertinacia atque inobedientia, quando supra relatis Pii VII Brevibus de suo errore commoniti, atque eum corrigere jussi, intruso suo administratori Cardinali Maury adhærere atque obsequi perrexerunt. Nec objiciatur, dictas Romani Pontificis litteras non fuisse annulo piscatoris de more obsignatas, solitisve formalitatibus intimatas. Equidem id objecit Cardinalis Maury : at sane *ad excusandas excusationes in peccatis.* Etenim de ipsa Pii VII subscriptione et de litterarum authenticitate nullum movebatur dubium. Quomodo autem non puduit absentiam dicti sigilli aliarumve formalitatum obtendere, cum Pontifex captivus detineretur, suis secretariis destitutus, imo et illo ipso piscatoris annulo, quem custodes eripuerant! « Oh! il fut bien coupable ce Prince de « l'Église réfractaire, le jour où, venant d'entendre la voix « de Pierre dans les fers, il osa ruser avec l'obéissance.... « Le moyen pour un Pontife sans secrétaire, sans chancelle- « rie, gardé à vue captif, à qui même l'anneau du pêcheur « avait été enlevé, de procéder avec la solennité ordinaire? « Qui pourra donc comprendre la logique du Cardinal? Il « voit la signature du Pape, il la reconnaît, il n'est pas con- « vaincu. Il voudrait que le Pape eût dépêché un émissaire « qu'il n'avait pas, avec des frais qu'il ne pouvait payer, « dans une capitale où on l'aurait emprisonné, à Son Emi- « nence qui l'eût peut-être conduit au commissaire de poli-

« ce, comme elle agit plus tard envers l'abbé d'Astros, le « tout pour recevoir d'une manière plus gallicane une dé- « fense qu'il n'aurait pas plus écoutée. » (*Vie du Cardinal d'Astros*, par le R. P Caussette, pag. 158, 159.) Dictum ergo scandalum et pertinacia reparationem proculdubio exigebant. Nulla tamen facta capitulari erratorum retractatione obierunt illi Parisienses canonici; quamvis ab anno 1814, post Cardinalis Maury discessum, rebus jam canonice compositis, absque ullo sibi metuendo damno, conscientiæ suæ satisfacere potuissent. Miror vero ab ipsorum successoribus capitulari aliqua deliberatione nondum reprobatam fuisse lugendam illam antecessorum agendi rationem, nec e regestis capitularibus expuncta tantæ prævaricationis vestigia. Opinor, prudenter ob aliquas circumstantias dilatam ab ipsis rem : aliquando tamen faciendam.

Propositio VIII[a].— *Erravit Cardinalis Fesch; sed mox errorem suum laudabiliter correxit.* — Erravit nemper quando nominatus a Napoleone ad vacantem Parisiensem sedem, et a capitulo Parisiensi electus in vicarium capitularem, hoc vicarii capitularis munus acceptavit. Item quando postulavit a cæteris vicariis capitularibus, ut muneri suo renuntiarent, et sinerent diœcesim ab ipso solo administrari. Hoc ipso enim agnovit in capitulo potestatem novos constituendi vicarios capitulares, quod erroneum est, ut supra probavimus. Item existimavit nominatum ad aliquam vacantem ecclesiam posse valide, si eligatur in vicarium capitularem, illam ecclesiam administrare : quod pariter falsum est, ut ostendimus. Et tandem putavit se legitime electum fuisse in vicarium capitularem Parisiensem, quamvis esset alterius ecclesiæ (nempe Lugdunensis) Episcopus; in quo etiam eum errasse dubium non est. Notandum tamen abstinuisse eum a quolibet jurisdictionis actu, eo etiam tempore quo dictum vicarii capitularis munus retinuit.

Mox vero errorem correxit, nominationi, de se ad Parisiensem sedem factæ, prorsus renuntiando. Quod cum non

sine magna imperatoris offensione peragere potuerit, præclarum sane exemplum exhibuit.

Propositio IXª. — *Erravit et ipse Paulus d'Astros : at perspectum errorem non solum correxit, sed ad illum profligandum strenue usque ad vincula dimicavit.* — Erravit quidem : etenim 1°, quando Parisiense capitulum diœcesis administrationem Cardinali Fesch contulit, hujus errati particeps et ipse fuit; prout ingenue fatetur, rem Sedi Apostolicæ his verbis referens : « Continuo ecclesiæ Parisiensis capitulum vicarii capi- « tularis facultates eidem Cardinali contulit; apud quem, ut « ipsi prædictas facultates offerret, totum convenit, ipsam diœ- « cesis administrationem delaturum. Et ego quidem, utpote « capituli membrum, *supradictorum omnium particeps fui.* » (Vide supra, § 1, n. 8.) De hoc errato sic ipsi rescriptum est, sacræ Congregationis super negotiis extraordinariis præpositæ, necnon Summi Pontificis nomine : « Haud tamen dissi- « mulare debeo ægre ipsos (nempe Cardinales) tulisse, quod « tu etiam Cardinali Feschio istius sedis procurationem a ca- « nonicorum collegio committendam curaveris, dum ad eam « nominatus fuerat. In quo tuam aliquam culpam agnove- « runt, ignoscendam tamen : necdum enim tunc didiceras, « ut ipse ingenue fateris, quod postea non didicisti solum, « sed præclaris factis et doctissimis scriptis luculenter de- « monstrasti, a Concilii patribus illud diserte damnari; ac « frustra e gallicani cleri monumentis rei defensionem peti, « quæ nonnisi alienis Ecclesiæ temporibus, atque ex perni- « ciosissimis imperii cum sacerdotio dissidiis, pauca exempla « suppeditaut. » (Vide supra, § 1, n. 9.)

2° Erravit iterum Paulus d'Astros, quando postea Cardinali Maury, similiter in vicarium capitularem illicite ac invalide nominato, electionis hujusce instrumentum ipse tanquam capituli præses detulit; quamvis canonice id nequaquam fieri posse, in capitulari deliberatione incunctanter contendisset et sodalibus persuadere multo conatu tentasset. In quo revera haud facile videtur quomodo constans sibi fuerit, et doctrinæ

suæ agendi rationem accommodaverit. Etenim si præfatam electionem illegitimam existimavit ac prorsus irritam, cur ejusdem electionis instrumentum, capituli nomine, dicto Cardinali ipse detulit? Cur eumdem Cardinalem tanquam intrusum non habuit, sed e contra eumdem, quasi legitimus esset, administrare permisit, eique tanquam legitimo diœcesis administratori adhæsit? Sin vero licitam ac validam electionem reputaret, cur contrarium canonicis tam enixe persuadere conatus est? Ut istiusmodi devitetur contradictio, dicendum videtur, hanc, quam in capitulari deliberatione defendit sententiam, non tanquam omnino certam, sed solummodo ut meram opinionem, quæ sibi probabilior videretur, fuisse ab ipso propugnatam. « Huic propositioni, inquit, quantum in « me erat restiti : canones exposui. Quibus ex adverso præ« tensam Galliæ consuetudinem, Ecclesiæque pericula, si « gubernio restiteremus, objecerunt. Posthabita ergo mea « aliquorumque canonicorum obsistentia, prædictus Cardi« nalis Maury in vicarium capitularem a majore parte capi« tuli eligitur. Protinusque ad eum ejusdem capituli præses « et secretarius ac quatuor alii canonici, ut hujus electionis « instrumentum ei deferant, deputantur. Quam quidem le« gationem *a me, utpote qui capitulo ex officio præessem, recu« sari non posse censui;* omni muneris quo fungebar obliga« tioni satisfecisse (1) arbitrans, postquam in concilio capi« tulari meam emiseram sententiam, atque eam quibus in « me erat argumentis defenderam. » (Vide documentum supra, § 1, n. 8.) Cæterum quidquid sit de prædicta, doctrinam inter et agendi rationem, incohærentia, certum est tunc etiam errasse præfatum d'Astros. Atque hoc posterius erratum minus ipsi ignoscendum Romæ visum est. Sic enim ad ipsum

(1) Sane quando actus de quo perpetrando deliberatur, habetur tanquam *certo* illicitus et peccaminosus, non satis est sententiam in oppositum emisisse; sed remanet stricta obligatio facinori nullatenus cooperandi. Cum ergo exequendæ dictæ electioni jam peractæ cooperari sibi licitum existimaverit Paulus d'Astros, signum est ipsum de illius illiceitate ac nullitate dubium hæsisse.

Pontificia auctoritate rescriptum fuit : *Ignoscendum minus erratum visum est, te Cardinalem Maurium publice et tanquam capituli præsidem adiisse, postquam ipse nominationem acceptaverat, ut de collata eidem ab ipso capitulo vicarii auctoritate certiorem faceres et gratulareris ; postquam scilicet, cum ea res in deliberationem versaretur, collegarum in id connitentium consiliis vehementissime obstitisses. Facto enim te a tua sententia descivisse palam faciebas* (habes documentum supra, § 1, n. 9).

3° Erravit insuper Paulus d'Astros quando de ipso in vicarium capitularem iterum eligendo actum est. Quamvis enim novæ huic electioni primum restiterit (ne scilicet eam acceptando, valorem agnoscere videretur capitularis actus, quo antea revocatus fuerat), tamen ad componenda dissidia, dictæ novæ electioni assensum tandem præbuit, dummodo insereretur clausula hæc, *salvo jure vicariorum capitularium, qui absque causa canonica expressa revocari a capitulo non possunt.* Porro vulnus, quod per novam electionem geminæ de capitulorum juribus doctrinæ inferebatur, minuebat quidem dicta clausula, non tamen penitus removebat. Unde neque hæc Romæ probata est ipsius agendi ratio : « Non erat igitur cur « de tuo jure quæstio fieret, e quo nunquam te decidisse vel « subdubitare nefas esset. Neque idcirco actum novæ elec- « tionis assensu tuo te comprobare oportebat, licet eam « adjeceris conditionem, qua vicariorum capitularium jura « sarta tecta servanda esse nominatim excepisti. » (Ex documento, supra § 1, n. 9.) Hæc de præfati viri, junioris tunc, erratis.

Ad præclara autem ejus gesta quod attinet, nunquam satis extolli ac laudibus exornari poterit invicta illa constantia, qua postulatam muneri suo renuntiationem, cum sibi haud licitam perspexisset, fortiter denegavit ; neque exiliorum, carcerum, necisque comminatione, aut secutis ergastuli squaloribus a proposito deterreri unquam potuit. Variis insuper scriptis suis genuinam hac de re doctrinam clarissimus d'Astros aperte professus est atque propugnavit : præcipue autem

citato opusculo *du Pouvoir prétendu des sujets nommés aux évêchés.* Utinam clarissimus vir non alia jam senior edidisset, quæ imbibitum a junioribus annis gallicanismi errorem redolent, et cum Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ doctrina et placitis nequaquam consentiunt.

PROPOSITIO X^a. — *Erravit commissio ecclesiastica (le conseil ecclésiastique) ab imperatore Napoleone deputata annis* 1809 *et* 1810. — Die 16 novembris 1809, minister cultuum ad Cardinalem Fesch direxit sequentes litteras : « Monseigneur.— « Sa Majesté m'a chargé de vous prévenir qu'elle désire que « vous vous réunissiez, le plus promptement qu'il sera possi- « ble, avec Son Eminence le Cardinal Maury, M. l'Archevê- « que de Tours, MM. les Evêques de Nantes, de Trèves, « d'Evreux, de Verceil, et le sieur Emery, pour rédiger une « consultation sur les questions contenues dans le mémoire « ci joint... Le P. Fontana, général des Barnabites, est ad- « joint à ce conseil, que Votre Altesse présidera. Je suis « avec respect... » (*Fragments relatifs à l'Histoire ecclésiastique des premières années du XIXe siècle,* pag. 96, Paris 1814, Adrien Egron imprimeur.)

Inter propositas quæstiones, in tres sectiones distributas hæc erat secundæ seriei quarta et ultima : « Le gouvernement « n'ayant point violé le Concordat, si d'un autre côté le Pape « refuse de l'exécuter, l'intention de Sa Majesté est de re- « garder ce Concordat comme abrogé : mais, dans ce cas, « que convient-il de faire pour le bien de la religion? » Supra enumerati consiliarii ecclesiastici hæc inter alia responderunt : « Si le chef de l'Eglise universelle paraît abandonner « l'Eglise de France, en refusant de concourir, comme il le « doit, à l'institution de ses Evêques, cette église si ancien- « ne, qui occupe une place si considérable dans la Catholi- « cité, doit trouver en elle-même des moyens de se conser- « ver et de se perpétuer : elle est autorisée à recourir à « l'ancien droit, lorsque, sans qu'il y ait eu faute de sa part, « l'exercice du droit nouveau est devenu impraticable à son

« égard. En conséquence, nous pensons qu'après avoir pro-
« testé de son attachement inviolable au Saint-Siége et à la
« personne du Souverain-Pontife, après avoir réclamé l'ob-
« servation de la discipline actuellement en vigueur, le Con-
« cile (1) pourrait déclarer, qu'attendu l'impossibilité de
« recourir à un Concile œcuménique, et vu le danger immi-
« nent dont l'Eglise est menacée, l'institution donnée *conci-*
« *liairement* par le Métropolitain à l'égard de ses suffragants,
« ou par le plus ancien des Evêques de la province à l'égard
« du Métropolitain, tiendra lieu des Bulles Pontificales, jus-
« qu'à ce que le Pape ou ses successeurs consentent à l'exé-
« cution du Concordat. Ce retour provisoire à une partie de
« l'ancien droit ecclésiastique serait justifié par la première de
« toutes les lois, la loi de la nécessité (2).» Ita concilium ec-
clesiasticum mense januario 1810. At vero denuo convocatum est, anno 1811, ejusmodi concilium seu commissio, cum aliqua tamen quæ supervenerat membrorum mutatione. Constabat nempe tunc Cardinalibus Fesch, Maury et Caselli; Archiepiscopis Turonensi et Mechliniensi; Episcopis Ebreduuensi, Trevirensi et Nannetensi; necnon domino Emery, Sulpicianæ Congregationis superiore (vide citatum opus *Fragments relatifs*, p. 181). Secunda ex propositis ipsi quæstionibus sic se habebat : *Quand le Pape refuse persévéramment d'accorder des Bulles aux Évêques nommés par l'empereur pour remplir les siéges vacants, quel est le moyen légitime de leur donner l'institution canonique?* (Loco citato, pag. 198.) In sua responsione rememorant primo consiliarii quid anno superiore imperatori hac de re suadendum duxerint, et verba superius a nobis relata transcribunt : tum ita subjungunt : « Telle est l'opinion que nous avions l'hon-
« neur d'exposer à Sa Majesté au mois de janvier 1810.
« Depuis ce temps, le Pape a continué de refuser des Bulles
« sans alléguer aucune raison canonique de son refus... Bien-

(1) Nempe *concilium nationale* Galliæ, de quo paulo ante dixeram.

(2) In supra citato opere *Fragments relatifs...*, pag. 149.

« tôt l'épiscopat s'éteindrait en France, si l'on ne trouvait « pas quelque moyen canonique de remédier à l'inexécution « du Concordat, et au refus persévérant des Bulles Apostoli« ques. Louis XIV éprouva la même difficulté de la part des « Papes Innocent XI et Alexandre VIII. Tant que dura la « mésintelligence entre les deux cours, c'est-à-dire depuis « 1681 jusqu'en 1693, *les Évêques nommés par le roi gouver« nèrent leurs diocèses en vertu des pouvoirs qu'ils recevaient du « chapitre de l'église vacante.* Nous en avons la preuve *pour « quelques-uns,* et notamment pour le célèbre Fléchier, nommé « successivement à Lavaur et à Nîmes, et nous sommes fon« dés *à présumer* qu'il en a été de même des autres, sur les« quels il ne nous reste pas de renseignements positifs. Cette « mesure, conseillée, à ce que l'on croit, par l'oracle de l'é« glise gallicane, l'immortel Bossuet, et parfaitement conforme « aux principes de la hiérarchie, supposait les droits assurés « au Pape par le Concordat... C'est pour l'église de France, « dans les circonstances actuelles, une précieuse ressource « que le pouvoir donné aux Evêques nommés d'exercer « canoniquement, dans *leurs* diocèses, la juridiction épisco« pale. Pourquoi faut-il que le Pape *ait tenté* de les dépouiller « *d'un droit si légitime,* et qui ne peut tourner qu'à l'avantage « des fidèles? Dans ses Brefs au chapitre de Florence, de « Paris et d'Asti, le Pape déclare, en principe général, que « les chapitres des églises vacantes ne peuvent déléguer « leurs pouvoirs aux Evêques nommés par l'empereur, et il « défend a ceux-ci d'accepter les pouvoirs qui leur seraient « offerts, et de s'immiscer dans le gouvernement de *leur* » église. Nous savons bien que ces Brefs, qui ne sont reçus « nulle part, ne prévaudront jamais contre notre antique « discipline... » (Opus citatum *Fragments relatifs*, pag. 202.)

Ergo revera dictum errorem, quo tribuitur capitulis potestas nominatos deputandi in vicarios capitulares, lugendum in modum amplexati sunt præfati consiliarii ecclesiastici. Imo quamvis jam errorem hunc Pius VII expresse condemnasset,

et hanc condemnationem, ipsis fatentibus, optime notam haberent, ei nihilominus pertinaciter adhæserunt. Omitto (utpote quod ad præsentem quæstionem non facit) schismaticum eorum concilium, de instituendis, præter Sedis Apostolicæ auctoritatem, Episcopis, eodem ferme modo qui in famosa *constitutione civili* cleri gallicani decretus fuerat. Sane qui talia imperatori attentanda suasere, Ecclesiæ proditores exstiterunt.

Propositio IIa. — *Etsi dominus Emery, præfatæ commissionis membrum exstiterit, nequaquam tamen ipsi tribuendæ sunt ejusdem commissionis schismaticæ conclusiones : atque idem dicendum de P. Fontana.* — Constat nempe ipsos ejusmodi conclusionibus nullatenus assensum præbuisse. « Le Père Fontana ne parut « qu'aux premières séances, et s'abstint ensuite de s'y trouver. « L'abbé Emery y fut fort assidu, et y parla comme il con- « venait à un théologien exact et à un ami courageux de « l'Autorité Pontificale. Il n'est pas douteux qu'il n'approuvait « pas toutes les réponses de la commission, et *il refusa positi-* « *vement de les signer.* » (Rohrbacher, *Histoire de l'Église,* tome 28, pag. 107, édit. 1848.) Vide ibidem, pagina 119 et sequentibus. Pater Fontana, jussu Napoleonis, in carcerem *Vincennes* detrusus est (*Histoire de Pie VII*, par Artaud, tome 2, pag. 286, édit. 1837). De domino Emery meminit Picot (*Mémoires pour servir à l'Histoire ecclésiastique*, tomo 3, pag. 554, edit. 1815) hisce verbis : « M. Emery, ce digne et « savant ecclésiastique, qui, *sans doute*, n'avait pas approuvé « tout ce que portent les réponses, et *qui ne les avait pas sous-* « *crites...* » Consonat articulus in dictionario Feller insertus : « En 1809, il fut adjoint à une commission de deux Cardi- « naux et de cinq Evêques. Il y parla avec fermeté, et refusa, « le 11 janvier 1810, de souscrire à des projets funestes à la « Religion. Il eut ordre de quitter son séminaire. Cependant « il y rentra bientôt, et fut adjoint à une seconde commis- « sion, où il montra la même fermeté. » Nihil ergo hujus tantæ prævaricationis domino Emery tribuendum est ; cum ei

e contra, pro catholici presbyteri debito fortiter obstiterit. Absit enim ut in dubium revocemus citatorum scriptorum asserta, etsi mere affirment, nullo adducto in probationem documento. Item domino Emery haudquaquam tribuenda est deflenda illa Parisiensis capituli ad imperatorem Napoleonem allocutio, quam supra memoravimus. Equidem interfuit et ipse, cum de ea deliberatio institueretur: at fortiter oppugnando, non consentiendo. Quod sic testatur Artaud :

« Quelques jours après, on parla d'une adresse du chapitre « de Paris, dont la rédaction était attribuée au Cardinal « Maury. M. Emery, obligé de se trouver au conseil où elle « se délibérait, s'opposa fortement à deux assertions entiè- « rement fausses que contenait cette adresse : 1° que c'était « l'usage antique des églises de France de déférer tous les « pouvoirs capitulaires aux Evêques nommés ; 2° que c'était « en vertu d'un avis de Bossuet que tous les Evêques nommés « par Louis XIV, dans le temps de ses démêlés avec Inno- « cent XI, avaient pris l'administration des églises auxquelles « ils avaient été nommés. M. Emery s'éleva surtout avec « beaucoup de chaleur contre ce dernier point, et prouva « qu'il n'y avait aucune preuve dans l'histoire de ces temps, « que Bossuet fût l'auteur d'un tel conseil. L'adresse fut « changée, mais M. Emery ne voulut pas la signer ; l'on pré- « senta à Napoléon, destiné à être toujours trompé, le pre- « mier projet, qui renfermait ces erreurs. » (*Histoire de Pie VII*, par Artaud, tome 2, page 287, édit. 1837.)

CAPUT V.

DE REQUISITIS QUALITATIBUS UT QUIS POSSIT AD EPISCOPATUM PROMOVERI.

I. *Requiritur triginta annorum expletorum ætas.* — Constat capite *cum in cunctis, de electione.*

II. *Requiritur ut sit ortus e matrimonio legitimo.* — Constat

capite 1 sessionis 7 Tridentini Concilii, in quo sic decernitur: « Ad cathedralium ecclesiarum regimen nullus, nisi ex legi« timo matrimonio natus, et ætate matura, gravitate morum, « litterarumque scientia, juxta constitutionem Alexandri III, « quæ incipit *cum in cunctis*, in Concilio Lateranensi promul« gatam, præditus assumatur. » Si quis illegitimus dispensationem obtinuerit ad recipiendos sacros ordines, non ideo poterit ad Episcopatum promoveri; sed nova indiget Sedis Apostolicæ dispensatione. Si quis autem illegitime natus, per subsequens matrimonium legitimatus fuit, dispensatione non indiget (vide Barbosam, *de Officio Episcopi*, parte 2, alleg. 1, n. 33).

III. *Requiritur ut sit e parentibus catholicis oriundus.*— Constat Constitutione *onus Apostolicæ* Gregorii XIV, 1 maii 1590.

IV. *Requiritur ut a sex jam mensibus sit in sacris ordinibus constitutus.* — Constat Concilio Tridentino, sessione 22, c. 2.

V. *Requiritur ut sit doctor vel licentiatus in theologia vel canonico jure; aut saltem ut publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos declaretur.* — Ita decrevit Tridentina Synodus, dicto capite 2 sessionis 22, *de Reformatione;* addens: « Si regularis fuerit, a superioribus suæ religionis similem « fidem habeat. » Constat etiam ex supra transcripta instructione Urbani VIII.

VI. *Requiritur ut constet de sufficienti ipsius doctrina.*—1° Quoad episcopatus Italiæ, insularum adjacentium (et etiam aliarum regionum si forent liberæ collationis Summi Pontificis, ut erant olim episcopatus comitatus Venessini), disposuit Clemens VIII, ut præmitteretur promovendorum examen. Fit autem ejusmodi examen a Papa et nonnullis Cardinalibus, aliquot diebus ante Consistorium.

2° Quoad cæteros episcopatus, verbi gratia, ad quos ex Concordatis sæculares principes nominant, de promovendorum sufficienti doctrina satis constare censetur per processum informatorium, quem supra (capite 2) descripsimus. Unde ad hos episcopatus nominati, examini non subjiciuntur, prout

constat ex supra transcripta instructione Urbani VIII; sed sufficit ut testes de sufficienti eorum scientia deponant.

CAPUT VI.

AN DETUR OBLIGATIO DIGNIORES NOMINANDI, PRÆSENTANDI AC ELIGENDI; AN VERO LICITUM SIT NOMINARE, PRÆSENTARE AC ELIGERE DIGNOS, RELICTIS DIGNIORIBUS.

PROPOSITIO I^{a}. — *Quicumque habet jus aliquod, aliquamve operam præstat circa Episcoporum promotionem, mortaliter peccat, si, relicto eo quem digniorem ipse existimat, alium præfici curaverit.* — Probatur 1°, verbis Tridentini decreti (sess. 24, c. 1), quibus hoc ipsum expresse declaratur : « Omnes vero « et singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcum- « que jus, quacumque ratione, a Sede Apostolica habent, aut « alioquin operam suam præstant..., hortatur et monet, ut « imprimis meminerint nihil se ad Dei gloriam et populorum « salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores, et « ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eosque « alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos « digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non « quidem precibus vel humano affectu aut ambientium sug- « gestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici dili- « genter curaverint. »

Probatur 2°, ex damnata contraria propositione. Nimirum inter proscriptas ab Innocentio XI propositiones, habetur et ista sub numero 47: « Cum dicit Concilium Tridentinum alie- « nis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi « quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint ad « ecclesias promovent; Concilium, vel primo, videtur per hoc « *digniores* non aliud significare velle nisi dignitatem eligen- « dorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, « locutione minus propria ponit *digniores* ut excludat indi-

« gnos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando « fit concursus. »

PROPOSITIO IIª. — *Graviter peccat Summus Pontifex, qui cum possit promovere digniorem, minus dignum promovet : et idem dicendum de principibus, nominandi privilegium habentibus, si relictis iis quos ipsi digniores existimant, alios nominent.* — Nam et Summus Pontifex et dicti principes, qui digniores non promovent, aperte sunt de eorum numero quos graviter peccare declarant, citato decreto, Tridentini Patres. Unde ex citato illo decreto sic infert sanctus Ligorius (lib. 4, n. 91) : « Ex « quo patet peccare quidem graviter Pontifices et reges, qui « ad præfatas dignitates non digniores promovent. »

PROPOSITIO IIIª. — *Graviter etiam peccare censendi sunt, tum minister cultuum qui in Galliis nominandos imperatori proponit, tum Episcopi, qui rogari solent a gubernio ut magis idoneos ipsi indicent, nisi eos suggerant, quos digniores et Ecclesiæ utiliores existimant.* — Nam et illi de iis sunt qui *operam præstant* circa præficiendorum promotionem; ac proinde sunt de iis qui mortaliter peccant, ad terminos Tridentini decreti, nisi ad procurandam *digniorum* promotionem hanc suam operam præstent. Hinc dictis Episcopis omni cura cavendum est, ne in conficiendo illo clericorum ad episcopales sedes idoneorum elencho seu indice, ad gubernium transmittendo, sese amicitiæ aut proprii interesse suasionibus decipi sinant. Nisi enim eos solos describant quos revera *digniores et Ecclesiæ utiliores* reputent, gravem sane reatum incurrunt. Præsertim autem a dicto elencho excludere debent eos, qui episcopatum petunt aut appetunt. Hi enim nedum pro dignioribus habendi sint, aperte indignos se ipsa sua ambitione produnt.

Nota. Cæteri etiam, sive clerici, sive laici, vel etiam matronæ, qui quocumque modo agendo ac interveniendo, in causa esse possunt cur hi potius quam illi promoveantur, in conscientia etiam teneantur eorum tantum promotioni procurandæ adlaborare, quos digniores existimant. Textus enim Tridentinus supra citatus ad hos etiam videtur extendendus. Nec

sane temeritate caret eorum agendi ratio, qui clericos vix sibi quoad requisitas dotes cognitos, promoveri procurant.

CAPUT VII.

NUM II QUI EPISCOPATUM AMBIUNT PECCENT ET EPISCOPATU INDIGNI SINT.

I. *Quid hac de re tenuerit sanctus Thomas.* — « Si aliquis (ait) « appetat episcopatum ratione honorum temporalium, erit « illicitum; si ob celsitudinem gradus, erit præsumptuosum: « sed appetere proximis prodesse, est laudabile secundum se. « Verum quia prout est episcopalis actus, habet jam gradus « celsitudinem, præsumptuosum videtur quod aliquis præesse « appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta neces- « sitate imminente. » (2. 2, q. 185, a. 1.)

II. *Quid docuerit Benedictus XIV.* — Expositam sancti Thomæ doctrinam secutus est atque confirmavit (Constitutione *inclytum*, 22 aprilis 1753) his verbis : « Neque unusquisque « ignorare debet a peccati culpa immune non esse deside- « rium ipsum episcopatus; tum quia, quamvis desiderium « aliis juvandi, in his præsertim quæ ad Deum sunt et salu- « tem animarum, laudabile est, et maximopere commenda- « tur, tamen cum hoc adjumentum præstari non valeat sine « ipsa episcopatus sublimitate, ut plurimum ex vitio insitæ « de suis viribus præsumptionis ortum habet : tum quia nemo « se iis virtutibus, quæ ad episcopatus ministerium necessa- « rio requiruntur, ornatum esse, sine peccato existimare « potest : atque hujusmodi desiderium semper est vitiosum, « juxta angelici doctoris doctrinam (2. 2, q. 183, a. 1, *in « corpore;* in *quodlib.* 3, art. 9, *in corpore*). Atque hæc com- « munis est doctrina omnium eorum quos retulimus in tra- « ctatu nostro de canonizatione sanctorum. » (Lib. 3, c. 31, n. 6 et seq.)

Huic S. Thomæ et Benedicti XIV doctrinæ adhæret sanctus Ligorius (l. 6, n. 804).

III. *Quid concludendum videatur.* — 1° Qui episcopatum ambit ob manifestam et imminentem necessitatem, verbi gratia, quia nisi ipse in Episcopum constituatur, imminet manifestum periculum, ne vacanti ecclesiæ præficiatur hæreticus, is nedum peccet, multum meriti ex hoc apud Deum consequi potest.

2° Extra præfatum necessitatis casum, episcopatum interne ambire et appetere, proculdubio peccatum est, ob rationes a Benedicto XIV expositas. Aliud autem est tentatio qua quis ad appetendum episcopatum impellitur, aliud consensus libere huic tentationi præstitus. Non tentatio peccatum est, sed consensus. Quod adnotamus ad abigendos scrupulos.

3° Etsi possit quis ita vehementer et cum plena deliberatione episcopatum appetere ut peccet mortaliter, fieri etiam potest ut tentationi leviter assentiat, et peccatum sit solummodo veniale.

4° Qui episcopatum ita appetit, ut eum sibi postulet, aliisve externis actibus sibi dandum procuret, is a peccato mortali excusandus non videtur. *Si vero aliquis pro se rogat* (ait sanctus Thomas)... *ex ipsa præsumptione redditur indignus* (2. 2, q. 100, a. 5, ad 3). Consonat S. Bernardus : *Alius pro alio, alius forte et pro se rogat : pro quo rogaris fit suspectus : qui ipse rogat pro se jam judicatus est* (*de Consider.*, l. 4, c. 5).

5° Qui episcopatum sibi dari postulat, ex hoc ipso sese episcopatu indignum demonstrat ; nec proinde licet, regulariter loquendo, talem eligere ac instituere. Dicimus *regulariter loquendo*, quia si nequeat Papa, absque notabili Ecclesiæ detrimento, talem arcere, permissive sese habere poterit quoad peccaminosam ejus viri dispositionem, atque eum admittere.

6° Si cui episcopatus offeratur, quin illum ambierit aut ad eum obtinendum quidquam molitus sit, is tuta conscientia regulariter loquendo acceptare potest. Dicimus *regulariter loquendo;* quia si forte ipsi certo constet, se omnino necessariis qualitatibus destitui, recusare debebit.

CAPUT VIII.

AN POSSINT DUO EPISCOPI IN EADEM DIOECESI CONSTITUI, AUT COMMITTI PLURES DIOECESES UNI EPISCOPO?

1° In eadem civitate aut diœcesi constitui, regulariter loquendo, nequeunt duo Episcopi. Id prohibuit Concilium Lateranense IV : *Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas sive diœcesis diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum* (capite *quoniam, de officio judicis Ordinarii*). Atque ita jam a primis Ecclesiæ sæculis servatum, et pro regula habitum testantur hæc sancti Augustini verba (epist. 113, alias 110) : *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre et Episcopo meo Valerio, Episcopus ordinatus sum et sedi cum illo; quod Concilio Nicœno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Diximus *regulariter loquendo*, ob sequentes exceptiones :

2° Certum est constitui posse Episcopum, qui sit alterius Episcopi in eadem regenda diœcesi coadjutor. Sed tunc, ex disciplina jamdudum vigente, coadjutor ordinatur Episcopus alicujus civitatis, in partibus infidelium existentis.

3° Etiam absque exemplo non est duos in eadem civitate ac diœcesi constitutos fuisse Episcopos, ab invicem independentes, qui diversi ritus aut idiomatis populos ibidem existentes curarent. Vide Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 2, c. 12, n. 6.

4° Regulariter loquendo, non possunt uni Episcopo plures diœceses regendæ committi. Id prohibuit Tridentina Synodus (sess. 7, cap. 2, *de Ref.*) his verbis : *Nemo, quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures metropolitanas seu cathedrales ecclesias, in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine, contra sacrorum canonum instituta recipere et simul retinere præsumat.*

5° « Attamen (ait Benedictus XIV, *de Synodo*, l. 13, c. 10,

« n. 29) his minime refragantibus, perspectum est omnibus, « Apostolicam Sedem dispensasse anteactis temporibus, et « identidem dispensare super retentione plurium episcopa- « tuum in quibusdam regionibus, ubi id in catholicæ religio- « nis utilitatem vergere judicatur. »

PARS III

DE

NORMA LEGITIMA EPISCOPOS REMOVENDI:

UBI

ET DE IPSORUM TRANSLATIONE AC ULTRONEA DIMISSIONE.



Quæ hic disserenda veniunt, visum est in duas sectiones distribuere : 1° de Episcoporum remotione per depositionem aliasve pœnas quibus in eos ob delictum animadverti potest : 2° de remotione Episcoporum nullius delicti reorum, necnon de eorum translatione et ultronea renuntiatione.

SECTIO I.

De Episcoporum remotione per depositionem aliasve pœnas, quibus in eos animadverti potest.

« Pœna canonica, qua clericus abscinditur ab hierarchia « ecclesiastica, *depositio* nominatur. Si deponitur ab officio « vel dignitate, *depositus* dicitur : si ab ordine, *degradatus* « (Suarez, *de censuris*, disputatione 30, sectione 1, n. 2). Hæc « pœna canonica est ad personas ecclesiasticas pertinens; ita « ut omnes Prælati clerici, imo et regulares, eidem supponi « possint; et etiam moniales, ut in abbatissa; aliique digni- « tatem vel officium ecclesiasticum habentibus. » (Cardinalis Petra, in Constit. 2 Leonis IX, sect. 1, n. 1 et 2.)

Depositio ab officio *privationis* etiam nomine designari solet.

Quo prænotato, sub præsenti sectione dicemus 1°, quænam fuerit antiqua disciplina, quoad Episcoporum depositionem : 2°, quinam de jure communi hodierno competentes sint ad procedendum contra Episcopos, in eorum causis criminalibus : 3°, hodiernum jus commune exponemus circa formam procedendi in majoribus Episcoporum criminalibus causis : 4°, hocce jus commune etiam quoad Galliam hodie vigere adnotabimus.

CAPUT I.

QUÆNAM FUERIT ANTIQUA DISCIPLINA QUOAD EPISCOPORUM DEPOSITIONEM (REMISSIVE).

I. *Exponitur erroneum hac de re Jansenistarum et plurium auctorum gallicanorum systema.* — Iis si credas, ad provinciales

Synodos, ante Sardicense Concilium anno 347 celebratum, pertinuit *definitivam* depositionis sententiam contra Episcopos pronuntiare, quin ullas in hoc negotio partes sibi Romanus Pontifex vindicaret. Contendunt nempe, juxta antiquam horum temporum disciplinam, nullum ad Sedem Apostolicam recursum, nullam appellationem patuisse, a pronuntiatis a provinciali Concilio contra Episcopos depositionis sententiis. Fingunt a Sardicensi primum Synodo Pontifici Romano jus tributum, non quidem ut depositum a provinciali Concilio Episcopum in secunda instantia judicaret, sed dumtaxat ut sententiæ Synodalis Episcopum deponentis *revisionem* jubere posset, in Concilio *pleniori*, id est, in eadem provinciali Synodo quæ sententiam tulerat, adjunctis nonnullis aliis Episcopis.

Cæterum, quam Romano Pontifici prærogativam ante Sardicense Concilium denegant, eam imperatoribus incunctanter attribuunt. Dictum nempe jus sententiæ Synodalis Episcopum deponentis revisionem in pleniori Synodo decernendi imperatoribus usque ad Sardicense Concilium exclusive proprium fuisse asserunt : tempore autem Sardicensis Concilii, imperialem potestatem hocce jure sese ultro spoliasse, et Romano Pontifici illud concessisse.

Quod quidem mendax systema, e protestantico penu dehaustum, totum quantum reperies apud Calvinum cæterosque sæculi decimi sexti hæreticos scriptores. Illud postea amplexati sunt, non solum Jansenistæ, sed et gallicani auctores non pauci ; inter quos sic Petrus de Marca (1), in suo tractatu

(1) Fuit Petrus de Marca parlamenti Palensis (de Pau) præses. Tum, mortua uxore, Consoranus Episcopus : dein Archiepiscopus Tolosanus : ac tandem ad sedem Parisiensem translatus eo die quo Bullas recepit, vita functus est. Petro Pithou, operis *de Libertatibus ecclesiæ gallicanæ* auctori, fuit amicitia conjunctissimus. Librum suum *de Concordia sacerdotii et imperii*, quem clarissimus Christianus Wolf *sylvam errorum* merito vocat, jussu regis a se scriptum ipse testatur. Ei exprobrat Bossuetius quod satis gallicanus non fuerit : « Pour ménager « les oreilles trop delicates des Romains (sunt verba Bossuetii), il a donné une

de Concordia sacerdotii et imperii (libro 7, cap. 2, n. 13) : *Manet itaque sententia a me paulo ante prolata, judicia nempe in Synodis provincialibus lata adversus Episcopos, appellationi obnoxia non fuisse, secundum antiquos canones; tametsi revisioni locus esset, si ita princeps rescripto juberet.*

Et contendit hanc suam opinationem ex Nicæni Concilii canonibus veram probari. Moderatam autem a Sardicensibus Patribus dictam disciplinam asserit in hunc modum : *Canone itaque Nicæno firmata est, ut diximus, suprema Synodorum provincialium auctoritas in ferendis judiciis : quæ temperata fuit rescriptis principum* (1), *qui revisiones causarum fieri præcipiebant. Hinc novæ regulæ data occasio, quam Sardicense Concilium condidit anno* 347, *qua transfusa est in Episcopum Romanum potestas illa, quæ imperatoribus competebat, concedendi revisiones hujusmodi : eo tamen adhibito temperamento quod infra adnotabitur* (ibid., cap. 3, n. 1).

Tum postquam Concilii Sardicensis œcumenicitatem in dubium revocavit, ita subjungit : *Huic tamen Concilio debetur prima origo juris Summi Pontificis, quoad judicia canonica Episcoporum. Quanquam si rem propius introspiciamus, neque canonum verba egrediamur, manifestum erit, nihil statutum esse adversus supremam Synodorum provincialium auctoritatem, canone Nicæno firmatam. Fateor equidem, hactenus* UNIVERSIS *persuasum*

« idée toute nouvelle des libertés gallicanes. » Proscriptum est opus Petri de Marca Decreto Sacræ Congregationis Indicis, 11 junii 1642; atque iterum Decreto 17 novembris 1664, post publicatam Baluzii editionem. Per quatuor annos Bullas pro ejusmodi viro, episcopatu nimium aperte indigno, frustra modis omnibus rex Galliæ obtinere tentavit. Tunc solummodo eas obtinuit de Marca, cum, libello supplici ad Papam directo, confessus esset, *præsidem se potius quam Episcopum* in dicto libro egisse, *seque hallucinationes suas deprecari.* Quod an sincere dixerit, a multis dubitatum est.

(1) Vide mendacii audaciam! Ante annum 347, quo tempore Constantinus summa rerum potiebatur, nullus omnino exstiterat christianus imperator : omnes in christianum nomen plus minusve dæsevierant et persecutores fuerant. Quinam ergo sunt principes illi qui ante annum 347 suis *rescriptis revisiones causarum fieri præcipiebant* ab Episcopis, adjunctis novis judicibus? An forte Nero aut Caligula?

fuisse, repertam esse in Synodo Sardicensi legem de appellationibus adversus Episcoporum judicia, easque a Summo Pontifice judicandas esse ex præscripto hujus Concilii. Verum ut ab ea persuasione recedam facit quod a me observatum est, nempe jus tantum concedendi revisionem a Synodo Sardicensi introductam esse in gratiam Sedis Apostolicæ... Discrimen quippe est inter appellationem et revisionem. Illa nempe integram causæ cognitionem transfert ad judicem superiorem. At revisio definitivum judicium relinquit priori jurisdictioni, ea ratione, ut prioribus judicibus novi etiam adjungantur (ibid., cap. 3, n. 6).

II. *Romano Pontifici reservata semper fuit Episcoporum depositio (Remissive).* — Cum thesim illam ex professo in tractatu *de Concilio provinciali*, gallice edito, fuse probaverimus, ne documenta, quæ veram eam luce meridiana clarius evincunt, bis scribere cogamur, lectorem ad præfatum tractatum remittimus. Ibi scilicet firmata reperiet sequentia : 1° fuisse constantem omnium sæculorum praxim, regulamque in Ecclesia semper inviolate custoditam, ut pro *causis majoribus* ad Sedem Apostolicam recurreretur : ex quo jam colligere est, neque definitivam unquam fuisse ullius Episcopi depositionem, cui nondum accessisset Romani Pontificis assensus ac confirmatio : num enim de causis *majoribus* sit Episcoporum depositio, vel in quæstionem vocare insanum foret (vide a pagina 227 usque ad 277). 2° Jus ad Sedem Apostolicam appellandi a quorumlibet tribunalium ecclesiasticorum sententiis, ad essentiam pertinere illius primatus ac principatus, quem Romano Pontifici a Christo Domino collatum fuisse dogma catholicum est (pagina 292). 3° Plene viguisse appellationes ad Sedem Apostolicam ante Sardicense Concilium (pagina 299). 4° Assertum quo prætenditur, *novum* jus Romano Pontifici a Sardicensibus Patribus fuisse concessum ; item, quo prætenditur, agnitum non fuisse a Sardicensi Concilio Sedis Apostolicæ jus, de ipsa sententia Episcopum deponente judicandi in secunda instantia, sed duntaxat illius sententiæ *revisionem* jubendi in pleniori provinciæ Concilio ; nihil aliud esse quam

apertum mendacium (pagina 312). 5° Plene viguisse appellationes ad Romanum Pontificem, post Sardicense Concilium (pag. 320). 6° Apertum item mendacium esse assertum, quo prætenditur, ante Sardicense Concilium reformari non potuisse sententias a Conciliis provincialibus contra Episcopos pronuntiatas, nisi per rescriptum principis, revisionem in pleniori Synodo decernentis (pag. 337). 7° Nunquam Synodis provincialibus licuisse depositionis sententiam contra Episcopum pronuntiare, nisi *referendo* ad Sedem Apostolicam : sententiæ porro, de qua fit *relatio*, suspendi effectum, donec superius tribunal eam confirmaverit (pag. 484). Lectorem etiam remittimus ad Cardinalem Petra, qui breviorem suam hac de re dissertationem sic concludit : « Ex dictis igitur remanet satis « firmata conclusio, quod potestas deponendi Episcopos *omni* « *tempore* fuerit soli Summo Pontifici reservata. » (Tomo I, ad Constitutionem 2 Leonis IX, sect. 1.)

Unde tandem non novum sed in tota retro antiquitate custoditum jus exprimebat Innocentius III, quando (anno 1198) sic decernebat : *Episcopi a Metropolitanis suis munus consecrationis accipiunt, qui tamen non possunt nisi per Romanum Pontificem condemnari.* Et paulo infra : *Non enim humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem aut cessionem auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Jesu Christi) Episcopus ab ecclesia removetur : et ideo tria hæc quæ præmisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata* (cap. *inter*, 2 *de translatione Episcopi).*

CAPUT II.

QUINAM DE JURE COMMUNI HODIERNO COMPETENTES SINT AD PROCEDENDUM CONTRA EPISCOPOS IN EORUM CAUSIS CRIMINALIBUS.

Solvenda venit quæstio : 1° quoad Summum Pontificem ejusque delegatos : 2° quoad Auditorem Cameræ Apostolicæ :

3° quoad sacram Congregationem Episcoporum et regularium : 4° quoad Concilium provinciale aut nationale : 5° quoad Inquisitores : 6° quoad Archiepiscopum, Primatem et Patriarcham. De his nempe expendendum, an et qualem potestatem habeant de criminalibus Episcoporum causis cognoscendi et pronuntiandi.

§ I.

Quatenus ad Summum Pontificem ejusque delegatos pertineat criminales Episcoporum causas judicare.

Propositio I[a]. — *Romanus Pontifex de jure divino est ordinarius judex Episcoporum, quoad criminales ipsorum causas, sive majores, sive minores.* — Etenim jure divino constitutus est Christi in terris Vicarius, cum plena potestate universalem Ecclesiam regendi, pascendi et gubernandi. Porro in tali potestate includitur et jurisdictio ordinaria, vi cujus possit Summus Pontifex Episcoporum delicta coercere, atque eosdem, si opus sit, deponere, et a diœcesœon suarum administratione removere. Hinc, quamvis antiquitus criminales Episcoporum causæ in provinciali Concilio ventilari consueverint, potuisset jam tum Sedes Apostolica eas sibi reservare; prout deinceps Tridentina Synodus majores ex iis causis ipsi revera reservatas esse voluit. Et cæteroquin, ut alibi probavimus, nunquam definitiva fuit alicujus Episcopi depositio aut privatio, synodaliter pronuntiata, nisi sententiam confirmasset Romanus Pontifex.

Propositio II[a]. — *Ad terminos juris Tridentini, majores Episcoporum causæ criminales Sedi Apostolicæ sunt reservatæ; ita ut nullus præter Romanum Pontificem de iis pronuntiare possit.* — Dicimus, *ad terminos juris Tridentini* : nam Tridentinis decretis derogare potest Sedes Apostolica, et judices sive delegatos, sive etiam ordinarios constituere, cum potestate dictas Episcoporum causas dirimendi : et revera ita disposuit Sedes Apostolica, ut infra videbimus. Quo prænotato, ad thesim pro-

bandam satis est adducere caput 5 sessionis 24 (*de Ref.*), in quo sic statuitur : « Causæ criminales graviores contra Epi-« scopos (etiam hæresis, quod absit), quæ privatione aut de-« positione dignæ sunt, ab ipso tantum Summo Pontifice « cognoscantur et terminentur. »

Propositio III[a]. — *Ad terminos juris Tridentini, dictas causas, si Romæ ventilentur, debet Romanus Pontifex per seipsum cognoscere et terminare: si vero necesse sit processum fieri extra Romanam Curiam, non aliis causam committere debet Summus Pontifex, præterquam Metropolitanis aut Episcopis : et commissio debet esse manu propria Pontificis signata : nec iis judicibus delegatis committendum est ut sententiam ferant; sed tantum ut processum instruant.* — Etenim Tridentini Patres (sess. 24, *de Ref.*, c. 5) decreverunt in hunc modum : « Quod si ejusmodi sit causa, « quæ necessario extra Romanam Curiam sit committenda, « nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis aut « Episcopis, a Beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commissio « et specialis sit, et manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata; « nec unquam plus his tribuat, quam ut solum facti instru-« ctionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad « Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanc-« tissimo sententia definitiva. »

Propositio IV[a]. — *Si ad detegendam veritatem necesse sit extra Curiam Romanam instructionem fieri, tenetur de jure naturali Summus Pontifex judices delegare ad ejusmodi instruendum processum.* — Supponimus casum, quo per documenta Romam transmissa non certo constaret de allegato delicto, nec posset aliter haberi absoluta probatio, quam per processum in ipsa accusati provincia instructum. Tunc si velit Papa condemnationis sententiam pronuntiare, tenetur ad dictum processum in partibus seu extra Curiam recurrere: alioquin enim condemnationem pronuntiaret, ex hypothesi, non comperta veritate; quod sane contra jus naturale est. Quemadmodum autem nullus judex, ita nec Papa quidquam licite aut valide contra jus naturale pronuntiare potest.

PROPOSITIO V^a^. — *Si Papa veritatem satis compertam habeat, potest absque ullo prævio extra Curiam processu, et quin Tridentinis decretis deroget, causam criminalem Episcopi in Curia Romana judicare.* — Etenim Tridentinum non præscribit faciendam extra Curiam Romanam seu *in partibus* instructionem, nisi conditionaliter; nempe *si ejusmodi sit causa quæ necessario extra Romanam Curiam sit committenda.* Porro non adest ejusmodi necessitas, quando aliunde Pontifex satis compertam veritatem habet. Unde tunc dictum informativum processum omittendo, statutam a Tridentinis patribus formam non derelinquit, sed sequitur; nec proinde procedit de jure extraordinario.

Notetur autem, hodie, ob multo faciliores Romanæ Sedis cum longinquis etiam regionibus relationes, frequenter contingere ex solis transmissis documentis, vel ex variis extrajudicialibus informationibus, ut plene Summo Pontifici constet de Episcopi accusati delicto vel innocentia.

PROPOSITIO VI^a^. — *Potest Papa,* DE JURE EXTRAORDINARIO *seu* DE POTESTATIS SUÆ PLENITUDINE *procedendo, suorum Prædecessorum et Conciliorum œcumenicorum decretis, quibus certus ipsi præscribitur agendi modus, non obsequi.* — Valde attendenda est, quando agitur de Romano Pontifice, distinctio illa inter ordinarium jus et extraordinarium. Quod ut apprime lector perspectum habeat, præmittemus de hoc utroque jure notionem : tum ad conclusionis probationem deveniemus.

I. *Præmittitur notio de ordinario et extraordinario jure.* — 1° Multa exstant sive Romanorum Pontificum, sive Conciliorum œcumenicorum decreta, quibus pro tempore existenti Papæ certus variis in materiis agendi modus præscribitur. Habet proinde quilibet Romanus Pontifex ad sese dirigendum, non tantum naturale ac divinum, sed etiam *positivum* quoddam jus, ex dictis Prædecessorum suorum et generalium Synodorum sanctionibus constans.

2° Quando Papa in procedendo sese accommodat dictis Prædecessorum suorum vel generalium Conciliorum decretis, quæ certum ei agendi modum indigitant, dicitur procedere *de*

ure ordinario. Quando vero præscriptiones illas non servat, dicitur *de jure extraordinario* procedere.

3° Plerumque juris ordinarii limites Apostolica Sedes in agendo non prætergreditur : raro nempe ad jus extraordinarium recurrit. Id facta atque experientia testantur.

4° Non censetur Papa *de jure extraordinario* agere voluisse, nisi id constet. Quia nempe non præsumitur a directiva illa tantæ auctoritatis regula facile declinare. Hinc quando urgentibus de causis ab ea recedere vult, id declarare solet, his vel æquivalentibus formulis : *De plenitudine potestatis nostræ, non obstantibus contrariis Prædecessorum aut Conciliorum œcumenicorum decretis.* Unde si forte contingat Pontificio indulto, præfatis clausulis non munito, aliquid statui præfato *juri ordinario* contrarium, indultum illud censetur subreptitium vel obreptitium, et viribus caret.

II. *Probatur conclusionis veritas.* — Poterit nempe Romanus Pontifex præfata decreta non servare, seu (quod idem est) de jure extraordinario procedere, si Prædecessorum aut Conciliorum œcumenicorum disciplinares leges non habeant quoad ipsum nisi vim *directivam,* non autem *coactivam,* ut loquuntur doctores. Atqui ita est : nam quod Romano Pontifici divinitus a Christo in persona sancti Petri *plena* commissa sit *universalem Ecclesiam regendi, pascendi atque gubernandi potestas,* dogma catholicum est, a Concilio Florentino definitum, et a traditione ac tota retro antiquitate creditum, atque plenissime firmatum. Ergo plenam ac proinde *supremam* legislativam potestatem habet Romanus Pontifex. Non autem haberet plenam et supremam, si haberet minorem illa, qua usi sunt ipsius Prædecessores aut Concilia œcumenica. Ergo potestas cujuslibet Romani Pontificis æqualis est potestati quam habuerunt ipsius Prædecessores et generales Synodi. Jam vero quælibet lex abrogari potest ab ea potestate, quæ æqualis est potestati quæ legem tulit, ut in confesso est apud omnes. Ergo potest Romanus Pontifex quamlibet Prædecessorum suorum aut Conciliorum œcumenicorum disciplinarem legem abrogare.

Si potest abrogare, potest eam non servare, id est, sese ipsi in modo agendi non accommodare.

Cæterum doctrinam illam tenent doctores communiter. Inter quos sic Cardinalis Petra (tomo 2, ad Const. 5 Gregorii IX, n. 15) : « Contra tamen præfatas Symmachi et Gre- « gorii dispositiones insurgit viva et convincens ratio, quod « nullo modo potuerint successores Pontifices cogere et com- « prehendere ; cum Papa sit solutus legibus, nec par in « parem habeat imperium, ut præcise fuit dictum ab Inno- « centio III (cap. *innotuit, de Elect.*) : *Quia successoribus suis* « *nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post* « *eum, imo eadem potestate functuris, cum non habeat imperium* « *par in parem*. Unde Bonifacius VIII (capite finali *de Rescri-* « *ptis*, in 6) dum sibi certam legem imponit, et dixit in fine, « *quodque nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus*, « ibi glossa subjungit : *Indicare potuit, sed non legem imponere,* « *quia par in parem non habet imperium*... Et in terminis docu- « ere passim canonistæ. » Contrariam autem opinionem Gallicanorum, qua effutiunt Papam esse subjectum canonibus, prorsus erroneam, ac divinæ constitutionis Ecclesiæ subversivam, in tractatu de Papa fuse probabimus.

Objicies. — Inutilia forent illa Prædecessorum ac Conciliorum œcumenicorum decreta, quæ ipsi Romano Pontifici certum agendi modum præscribunt, si nequaquam eis parere teneatur. — Respondeo : ingentis utilitatis sunt quatenus regula directiva : nec aliud voluerunt ac velle potuerunt ejusmodi præscriptionum auctores, quam ut eis pro directione in ordinarie contingentibus quisque Romanus Pontifex uti posset.

PROPOSITIO VII[a]. — *Potest Papa recedere a decretis Tridentinis quin idcirco de jure extraordinario procedat.* — Quod recedere ab iis decretis possit, sequitur ex præcedenti propositione. Quod autem sic recedendo non censendus sit de jure extraordinario procedere, est quid Tridentino Concilio particulare, quod hic adnotare voluimus. Cum nempe Tridentini Patres

(sess. 25, c. 21) declaraverint, omnia et singula in hoc sacro Concilio statuta, *ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit et esse intelligatur,* Papa ab eis decretis recedendo, remanet intra juris *ordinarii* limites; ac proinde ad valorem actus non opus est ut iis expresse deroget, vel utatur clausulis *de plenitudine potestatis* etc.; prout pluries a S. Congregatione Concilii declaratum est, et docent communiter canonistæ.

Citabimus solummodo Fagnanum. Ad caput *pervenit (de testibus cogendis),* de quæstione, an possit Auditor Cameræ Apostolicæ contra Episcopos in causis majoribus procedere absque speciali commissione manu Papæ subscripta, disserit in hunc modum : « Unde sensus Constitutionum est : Auditor Cameræ « ex generali commissione procedere possit contra Episcopos, « pro quibusvis criminibus, etiam depositione dignis, *absque « signatura Sanctissimi,* dummodo tamen pro iisdem criminibus « eos non citet ut personaliter compareant sine commissione « manu Sanctissimi signata; et consequenter sublata est Con« cilii (Tridentini) dispositio dicti capitis 5 sessionis 24, qua« tenus requirit commissionem specialem et manu Sanctissimi « signatam in processu per Apostolicam Cameram pro gravio« ribus delictis contra Episcopos conficiendo. Nec refert quod « Concilio Tridentino non fuerit *expresse* derogatum : quia « hujusmodi derogatio non requiritur, sed satis est ut Pon« tifex statuat (prout statuit hoc casu) contrarium ejus quod « Concilium disponit, ut declaravit Pius V, et sæpius censuit « Sacra Congregatio ejusdem Concilii interpres. » Iterum (ad caput *nulla,* de concessione *præbendæ,* numero ultimo) idem tradit ac firmat hoc modo : « Quod adeo verum est, ut non « solum coadjutoria cum futura successione, sed etiam sim« plex expectativa, quæ procul dubio est contra Concilium « Tridentinum (c. 19, sess. 24), sustineatur, licet Tridentino « Concilio derogatum non fuerit; quia illi nec solet nec opor« tet specialiter derogare, propter expressam præservationem « auctoritatis Apostolicæ, quæ habetur in capite ultimo ses-

« sionis 25 *de Reformatione;* sed satis est ut Papa disponat « contrarium ejus quod Concilium disponit, dummodo suppli- « catio manu Papæ signata fuerit; ut expresse declaravit « sanctæ memoriæ Pius V, in suo motu proprio..., et sæpius « censuit Sacra Congregatio ejusdem Concilii interpres, et « fuit declaratum in Cancellaria Apostolica..., et decidit « Rota... »

PROPOSITIO VIII^a^. — *Non obstante contraria dispositione Tridentinæ Synodi, potest Papa causas majores Episcoporum extra Curiam committere aliis judicibus quam Metropolitanis aut Episcopis : item potest iis judicibus committere ut sententiam etiam pronuntient : item potest in Curia Romana delegatis judicibus easdem causas cognoscendas et dirimendas committere : item potest judices seu tribunalia instituere cum ordinaria jurisdictione dictas causas dirimendi, et Episcopos deponendi, privandi, ac aliis pœnis afficiendi : atque ut hæc omnia valide peragat, opus non est ut expresse Tridentino Concilio deroget.* — Magni momenti est conclusio hæc, ut intelligatur qua ratione tum Auditor Cameræ Apostolicæ, tum etiam Sacra Congregatio Episcoporum et regularium, ut mox dicetur, in criminalibus Episcoporum causis sese legitime intromittant. Attentis enim Tridentinis dispositionibus, id eis non liceret; sed Papa deberet per seipsum, in Curia causam cognoscere et dirimere; et extra Curiam non posset instruendum processum committere nisi Metropolitanis aut Episcopis; et minores criminales causæ per solam provincialem Synodum dirimendæ forent. Aperte autem sequitur hæc 8^a^ conclusio ex duabus præcedentibus. Si enim Summus Pontifex non obstringatur Prædecessorum aut Conciliorum œcumenicorum decretis, ut propositione 6 dictum est, iis decretis contra ire, saltem de jure extraordinario et de potestatis suæ plenitudine, seu iis decretis expresse derogando. Aliunde, si ad derogandum Tridentino Concilio nulla necessaria sit derogationis expressa mentio, ut propositione 7^a^ diximus, valida erunt supradicta, licet Tridentinis dispositionibus contraria, quin desinat Summus Pontifex de jure

ordinario agere, seu quin ullo modo exprimat se de potestatis plenitudine agere.

Hinc prorsus erraret, qui solis Tridentinis decretis attendendo, concluderet Romanum Pontificem non aliter esse competentem judicem quoad criminales Episcoporum causas, quam eo modo quem descripsit Tridentina Synodus; aut qui existimaret nullos alios esse posse earumdem causarum competentes judices, quam quos dicta Synodus enumerat. Cum enim aliter hac de re statuere potuerit Sedes Apostolica, videndum insuper an revera aliter disposuerit.

§ II.

An et quatenus Auditor Cameræ Apostolicæ sit judex competens in criminalibus Episcoporum causis.

PROPOSITIO I[a]. — *Auditor Cameræ tanquam judex ordinarius procedere potest in causis criminalibus Episcoporum, sive majoribus, sive minoribus.* — Huic conclusioni adversantur supracitatæ Tridentinæ dispositiones, quibus statuitur ut majores ex dictis causis, si Romæ fiat processus, nonnisi ab ipso Summo Pontifice cognoscantur et terminentur : si vero processus extra Curiam faciendus sit, nonnisi Episcopis committatur : minores autem in Concilio provinciali dirimantur. Adversatur præterea caput 8, sessionis 13, in quo sic decernitur : *Causæ Episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur.*

« His tamen non obstantibus (ait Cardinalis Petra, tom. 1, « ad Const. 2, Leonis IX, n. 37) dicendum est Auditorem « Cameræ quoad causas majores, et eo magis quoad causas « minores, posse procedere. Hoc probatur ex Constitutione « Gregorii XIV (relata apud Salustium Tiberium in *praxi*, « § 12), et alia Pauli V, incipiente *eximiæ*; in quibus Auditor « Cameræ declaratur judex ordinarius quorumque Prælato-

« rum exemptorum, etiam episcopali, archiepiscopali, prima« tiali vel majori dignitate ecclesiastica præditos; tam per « accusationem, quam denuntiationem et inquisitionem; in « casu omnium et singulorum, ac quorumcumque et quantum« cumque enormium criminum, delictorum et excessuum, « tam in Urbe quam extra commissorum; necnon quoad « pœnas, contra culpabiles repertos, juxta excessuum exigen« tiam devenire valeat. » Sic nempe breviter probatur conclusionis veritas : potest Auditor Cameræ tanquam judex ordinarius in quibuslibet criminalibus Episcoporum causis procedere, si hanc ei potestatem Sedes Apostolica tribuere potuerit, et de facto tribuerit : atqui 1°, potuit tribuere, ut superiori paragrapho probavimus; 2°, de facto concessit, ut manifestum facit modo dictarum Constitutionum textus: ergo. Ad objectiones quæ fieri solent respondemus infra, sub finem paragraphi.

Propositio IIa. — *Nequit tamen Auditor Cameræ Episcopos cogere ad personaliter comparendum, nisi ex commissione, manu Summi Pontificis signata.*—Nam dicta potestas contra Episcopos procedendi non eis data est nisi cum hac limitatione; quæ sic in præfatis Constitutionibus exprimitur : *dummodo monitoria contra Episcopos, vel alios eorum superiores, scilicet Archiepiscopos, etc., ad comparendum personaliter, nonnisi prævia commissione, manu nostra signata, decernas.*

Propositio IIIa. — *Nequit Auditor Cameræ contra Episcopos procedere in causa hæresis.* — Hujus enim causæ cognitio omnimodo Summo Pontifici reservata fuit, per Constitutionem *si de protegendis* sancti Pii V ; prout infra exponitur, paragrapho 5.

Propositio IVa. — *Nequit Auditor Cameræ, absque commissione manu Papæ signata, depositionis aut privationis pœnam contra Episcopos decernere.* — Limitatio hæc expresse quidem non habetur in memoratis Gregorii XIV et Pauli V constitutionibus; merito tamen ex earum textu concluditur. « Quia, « cum Papa expresse sibi reservaverit commissionem dan-

« dum in casu quo deberet Episcopus citari ad comparendum « personaliter, eo magis dicendum est sibi reservasse infli- « ctionem pœnarum depositionis et privationis, ob quas infli- « gendas tantum possunt Episcopi citari ad personaliter com- « parendum. » (Card. Petra, tom. 1, ad Constit. 2, Leonis IX, sect. 1, n. 57.)

Propositio V^a^. — *Potest Auditor Cameræ contra Episcopos extraordinarias pœnas decernere.* — Ordinariam depositionis aut privationis pœnam pronuntiare nequit, ut modo dictum est. Atvero ad alias extraordinarias (1) pœnas devenire potest. Nam in supra memoratis Gregorii XIV et Pauli V Constitutionibus, Auditori Cameræ tanquam judici ordinario confertur facultas *ad pœnas juxta excessuum exigentiam* deveniendi. Ergo quamvis nequeat pœnam ordinariam depositionis aut privationis (ob rationem supra allatam) infligere, alias saltem extraordinarias infligere poterit.

Atque ita fuit decisum sub Innocentio X. Processerat nempe Auditor Cameræ contra Archiepiscopum quemdam Neapolitani regni, de gravibus excessibus requisitum; atque cum per sententiam definitivam condemnaverat ad pœnam extraordinariam detrusionis in monasterium quoddam Nursiæ, suspensionis a divinis et ab exercitio jurisdictionis per triennium, ac deinde ad beneplacitum Sanctissimi. Contenderunt defensores Archiepiscopi irritam esse sententiam, eo quod non potuisset Cameræ Auditor, absque speciali commissione Sanctissimi, dictam pœnam extraordinariam decernere. Quapropter causæ revisionem concessit Innocentius X; et ad eam revidendam deputavit particularem Cardinalium congregationem. Eminentissimi autem Patres, die 10 julii 1647, in ædibus Fagnani (prout ille auctor refert, ad caput *pervenit, de Testibus cogendis,* n. 30), auditis Archiepiscopi procurato-

(1) *Extraordinaria* in jure dicitur pœna, quæ *diversa* est ab ordinaria, id est, ab ea quam jus pro specie delicti de quo agitur assignavit, et quæ simul ordinaria *minor* est.

ribus et advocatis, unanimiter censuerunt bene fuisse judicatum ab Auditore Cameræ, et ita referendum Sanctissimo.

Plura alia exempla extraordinariæ pœnæ ab Auditore Cameræ contra Episcopos pronuntiatæ, relata reperies apud Ferraris (verbo *Auditor*, n. 16).

Atque idem evincitur ex commissione quæ anno 1701, a Summo Pontifice facta est Auditori Cameræ, ut procedere posset contra Soranum Episcopum. Nam in ipsa commissione exprimitur eam non esse necessariam, sed fieri ad abundantiam juris et ad præcavendas cavillationes. Adsunt enim verba hæc : *et alias tribunal R. P. Auditoris Cameræ, ex facultatibus sibi indultis omnimodam valeret exercere jurisdictionem, tam contra præfatum R. P. Episcopum Soranum, quam contra ipsius qualitercumque complices, nihilominus, ne in re adeo gravi ulla valeat excitari dubietas, et ulla opponi quovis tempore contra competentiam cavillatio, etc.* (vide apud Ferraris, loco cit., n. 17).

Objicies 1°. — Ut Auditori Cameræ, vi Constitutionum Gregorii XIV et Pauli V, competeret potestas procedendi in causis criminalibus Episcoporum, debuissent dictæ Constitutiones contrariæ Tridentinæ dispositioni derogare : atqui nulla talis derogatio in eis reperitur : ergo. — « Valida est responsio, « nullam requiri derogationem expressam Concilio Triden« tino, propter expressam præservationem auctoritatis Apo« stolicæ, in capite ultimo sessionis 25, de Reformatione. « Sufficit enim quod Pontifex statuerit contrarium disposi« tioni conciliari; ut declaravit sanctæ memoriæ Pius V; et « Sacra Congregatio Concilii pluries. » (Cardinalis Petra, tomo 1, ad Const. 2, Leonis IX, sect. 1, n. 39.)

Objicies 2°. — Non tantum dictæ Constitutiones Tridentinæ dispositioni non derogarunt, sed inserta in eis est clausula hæc, quæ derogandi intentionem excludit : *per præsens tamen non intendimus Concilii Tridentini decretis in aliquo derogare, vel alias præjudicare ; sed illa salva esse et in suo robore permanere, eaque omnia omnino et inviolabiliter servari mandamus.*

(Constitutio *eximiæ* Pauli V, § 38.) Ergo revera standum est Tridentinis decretis, juxta quorum tenorem nulla Auditori Cameræ competit contra Episcopos procedendi facultas. — Respondetur non valere objectionem illam : « Quia, cum « facultas procedendi contra Episcopos, concessâ Auditori « Cameræ ex generali commissione absque signatura Papæ « in citatis Constitutionibus, obviet expresse Concilio Triden- « tino, talis clausula præservativa decretorum Concilii (ut « evitetur contradictio) debet intelligi, *præter ea quæ ibi sta- « tuuntur expresse contraria eidem Concilio.* » (Ferraris, verbo *Auditor*, n. 11.) Et ita tenent Rota, Cavalerius, Fagnanus, Card. Petra, et doctores communiter. Quod autem in citatis Constitutionibus voluerit Gregorius XIV et Paulus V Auditori Cameræ facultatem concedere procedendi contra Episcopos, ac proinde quod voluerint contrariæ Tridentinæ dispositioni derogare, evincunt verba hæc generalia quibus usi sunt, *omnibus et singulis quibuscumque criminibus et quantumcumque enormibus delictis et excessibus.* Evincit insuper limitatio seu exceptio hæc : *dummodo monitoria contra Episcopos vel alios eorum superiores, scilicet Archiepiscopos, etc., ad comparendum personaliter nonnisi prævia commissione manu nostra signata decernas.* Si nullam procedendi absque signatura Pontificia contra Episcopos facultatem dicto Auditori conferre voluissent, absurde facultatem illam limitassent quoad dicta monitoria. Quid enim opus erat limitare facultatem, quam non dedissent?

Objicies 3°. — Si Auditor Cameræ tanquam judex ordinarius potestatem haberet procedendi in criminalibus Episcoporum causis, Sedes Apostolica non daret ei specialem commissionem ad procedendum in particularibus casibus : atqui pluries ei datæ sunt ejusmodi speciales commissiones : ergo. — Respondeo 1°, retorquendo argumentum : si potestatem procedendi contra Episcopos non haberet nisi ex speciali commissione, non potuisset absque commissione hujusmodi valide procedere : atqui pluries processit, nulla prævia tali

commissione; et ipsius actus pro validis habiti sunt a Sede Apostolica: ergo.— Respondeo 2°, pluries quidem specialem commissionem Auditor Cameræ accepit; sed id factum est ad abundantiam juris, atque ad excitandam ejus jurisdictionem; non autem quod existimatum fuerit, absque tali commissione eum non potuisse procedere (vide apud Ferraris, verbo *Auditor*, n. 14; et apud Fagnanum, cap. *pervenit, de Testibus cogendis*, n. 25).

« Remanet igitur firmum, Auditorem Cameræ habere ju- « risdictionem etiam quoad causas majores contra Episcopos « *jure ordinario;* nec proinde requiri specialem commissio- « nem Papæ. » (Card. Petra, tomo 1, ad Constit. 2 Leonis IX, sect. 1, n. 47.)

§ III.

An et quatenus Sacra Congregatio Episcoporum et regularium sit judex competens in criminalibus Episcoporum causis.

Propositio Ia.— *Quoad minores ejusmodi causas judex Ordinarius est dicta Cardinalium Congregatio.* — Eruitur tum ex quotidiana praxi, tum eo quod Sixtus V, Constitutione sua quæ incipit *immensa*, huic Congregationi facultatem dederit controversias dirimendi quæ Episcopos respiciunt; etiam eas quæ contra Episcopos ab ipsorum subditis moventur, quod per se includit jurisdictionem in minores saltem causas criminales Episcoporum. Nec objiciatur, ad terminos Tridentinæ Synodi provinciali Concilio exclusive attributam esse ejusmodi causarum cognitionem et definitionem. Nam, ut supra § 1 probavimus, potuit Sedes Apostolica huic Tridentinæ dispositioni derogare, alium ordinarium judicem quoad easdem causas constituendo; et constat ita derogasse per dictæ Congregationis erectionem, et facultates ipsi concessas. Quod sic admonet Cardinalis Petra (tomo 1, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 1, n. 36) : « Animadvertendum tamen est, quod etsi

« in Conciliis provincialibus adsit facultas cognoscendi causas minores Episcoporum, tamen ob rarum eorum conventum optime Sixtus V erexit Congregationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super consultationibus Episcoporum (in Constitutione incipiente *immensa*); eidemque dedit facultatem cognoscendi controversias Episcoporum, etiam a subditis promotas; et ita in praxi servatur. »

PROPOSITIO II^{a}. — *Dicta Sacra Congregatio ex sua ordinaria jurisdictione nequit de majoribus Episcoporum causis criminalibus cognoscere et pronuntiare : eas tamen expedire solet ex delegatione Summi Pontificis, absque ulla commissione manu Papæ signata, et facto dumtaxat verbo per secretarium cum Sanctissimo.*—Prior conclusionis pars colligitur ex eo quod ordinaria quoad dictas majores causas non necessario comprehendatur in generali facultate ipsi tributa controversias quæ Episcopos respiciunt dirimendi. Cum enim facultas hæc ad ejusmodi majores causas expresse non extendatur, censenda est permansisse Tridentinam dispositionem quæ eas Summo Pontifici reservavit. Posterior pars constat ex praxi. De qua praxi Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium sic adnotat Plettenberg (*Notitia Congregationum*, pag. 699, edit. Hildesii 1693) :

« Quod si vero de criminibus Episcoporum ac superiorum agatur, re collata cum Pontifice, committitur (1) juxta præscriptum Concilii Tridentini et Apostolicarum Constitutionum, alicui Prælato formalis processus informatorius ; vel injungitur Auditori Cameræ ut commissarium constituat. Et si Episcopus vel Superior (2) reus deprehendatur, tunc vel suspenditur ejus jurisdictio, ac deputatur Vicarius Apostolicus; vel ad Curiam evocatur ; et, pro delicti qualitate, vel includitur carceri in aliquo monasterio, vel committitur Auditori Cameræ ut, servatis servandis, eum puniat, etiam

(1) Intellige a Sacra Congregatione.

(2) In ejusmodi locutionibus, *Episcopus vel Superior*, vox *superior* intelligitur de eo qui Episcopum dignitate superat, prout est Archiepiscopus, Primas et Patriarcha.

« privando episcopatu, aut transferendo ad ecclesiam infe-
« riorem, aut alia ratione in eum animadvertendo. » De eadem praxi notat etiam Cardinalis Petra (tomo 1, ad Constit. 2 Leonis IX, sect. 1, n. 51) in hunc modum : « Solet
« Papa... ejusmodi graviores causas delegare, vel Sacræ
« Congregationi Episcoporum, vel alicui deputato ex quibus-
« dam S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, una cum Prælatis...
« Et Sacra Congregatio Episcoporum solet hujusmodi actus
« exercere sine commissione, facto verbo cum Sanctissimo
« per dominum Secretarium. »

Unde in praxi dicta Sacra Congregatio sese intromittit etiam in majoribus Episcoporum criminalibus causis. Sed tunc non agit, nisi ex prævio significata ipsi voluntate Pontificis, atque ipsius actus approbante et confirmante Pontifice.

§ IV.

An et quatenus Concilium provinciale sit judex competens in criminalibus Episcoporum causis.

PROPOSITIO Iª. — *Nequit Concilium provinciale in causa criminali majori, etiam ad solum effectum Romam informationes transmittendi, contra ullum Episcopum judicialiter procedere : potest tamen informationem aliquam extrajudicialem capere, atque ad Summum Pontificem transmittere.* — I. Constat prior pars conclusionis, 1°, ex ipsis Tridentini decreti verbis : ibi enim præcipitur, non solum ut dictæ causæ *ab ipso tantum Summo Pontifice terminentur,* sed etiam ut ab eodem solo Pontifice *cognoscantur.* Et hoc præcipitur absolute, et absque ullius casus exceptione. Jam vero *judicialiter* procedi nequit, quin hoc ipso vere et proprie de causa *cognoscatur.* Ergo in nullo casu, ac proinde neque etiam sub prætextu informationes ad Papam transmittendi, potest Synodus provincialis contra ullum Episcopum in causa criminali majori, judicialiter procedere. Estque id intelligendum de *summario* etiam processu qui *judi-*

cialiter fieret ; quia *judicialiter* procedere per formam summariam, est adhuc vere et proprie de causa cognoscere. 2° Idem constat ex communi doctorum sententia, necnon S. Congregationis Concilii declarationibus, prout videre est in meo tractatu *de Concilio provinciali* (pag. 498 et 499).

II. Posterior pars conclusionis, quod nempe possit Concilium provinciale *extra-judicialem* informationem capere et Romano Pontifici transmittere, admittenda videtur; quia sic agendo Synodus provincialis vere et proprie de causa non cognoscit, quod solum prohibuit Tridentinum decretum. Atque ita sentit Cardinalis Petra (ad Constitutionem 2 Leonis IX, sect. 1, n. 29, tomo 1) : « Fateor tamen, inquit, quod « Concilium posset aliquam informationem *extra-judicialem* « capere, et Summum Pontificem certum reddere ut judi« cialem demandet : et ita intelligendus est Fagnanus..., « prout etiam alii doctores, qui admittunt posse capere infor« mationem ; quia intelligi debent de *summaria* et *extra-* « *judiciali*, non autem de vera cognitione judiciali. »

Unde, cum Tridentina Synodus quamlibet jurisdictionem in dictas causas majores Concilio provinciali ademerit, et Sedes Apostolica huic Tridentinæ dispositioni non derogaverit, dicendum hodie nequaquam posse Concilia provincialia in hisce causis sese ingerere.

Propositio IIa. — *Vera remanet præmissa conclusio, etiamsi agatur de Episcopis in partibus, vel de Episcopis electis et confirmatis, licet nondum consecratis.* — Nam Tridentinum decretum loquitur universaliter de Episcopis : porro præfati etiam sub nomine Episcoporum veniunt. Atque ita tenent doctores communiter (vide Barbosam, ad Concilii Tridentini caput 5 sessionis 24, n. 3 et 4 ; necnon Cardinalem Petra, loco citato).

Propositio IIIa. — *Episcoporum causas criminales minores cognoscere ac terminare potest provinciale Concilium.* — Decrevit Tridentina Synodus (sess. 24, c. 5, *de Ref.*) hoc modo : « Mi« nores vero criminales causæ Episcoporum in Concilio pro« vinciali *tantum* cognoscantur et terminentur, vel a depu-

« tandis per Concilium provinciale. » Ex illo textu certa fit provincialis Concilii quoad dictas causas competentia, ut patet.

Nota. — Ad judicandas in Concilio provinciali dictas causas minores, non requiruntur duodecim Episcopi; sed Episcoporum numerus ad constituendam provincialem Synodum sufficiens, ad dictum etiam judicium sufficit. De quo vide Cardinalem Petra (tomo 1, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 1).

Propositio IV^a. — *Concilium provinciale ad dictas causas minores delegare potest judices, etiam non Episcopos, licet magis deceat ut sint Episcopi : hi vero judices post finitam etiam provincialem Synodum possunt officium suum implere.* — Quod delegare possit, patet ex verbis Tridentini decreti, *vel a deputandis per Concilium provinciale.* Quod autem illi judices possint esse alii quam Episcopi, et officium suum, etiam finita jam Synodo, explere (vide apud Cardinalem Petra, loco -tato; necnon apud Fagnanum, in cap. *sicut olim, de accus.*).

§ V.

An et quatenus Inquisitores sint competentes judices in criminalibus Episcoporum causis.

Prænotandum. — Distinguuntur Inquisitores in generales et particulares. *Generales* Inquisitores sunt Cardinales Sacræ Congregationis Sancti Officii. Cæteri omnes sunt particulares. Dum autem quæritur an Inquisitorum jurisdictioni Episcopi subjaceant, intelligitur dumtaxat quoad *crimen hæreseos ;* quia propria Inquisitorum jurisdictio circa hoc crimen versatur. Quo prænotato, sit

Propositio I^a. — *Inquisitorum particularium jurisdictioni nequaquam subjacent Episcopi quoad crimen hæreseos.* — Quæstionem sic expendit Cardinalis Petra (tomo 1, ad constit. 2 Leonis IX, sect. 1, n. 76) : « Sed hic occurrit dubium, an « Inquisitores valeant Episcopos punire, vel saltem procedere « ad processum conficiendum in materia hæresis? Sed quid-

« quid dicant aliqui, communis est opinio negativa. » Hanc communem sententiam veram probat citatus auctor multis auctoritatibus; et docet esse intelligendam etiam de Episcopis *in partibus*, et de Episcopis confirmatis, licet non consecratis. Ab hac tamen conclusione nonnullos casus ab auctoribus excipi præmonet; nimirum : si Episcopus sit suspectus de fuga; si hæresis fuerit notoria et adsit subversionis periculum; si Papa specialem commissionem Inquisitori fecerit; si quod damnum fidei ex mora immineret. Tandem admittit Cardinalis Petra, posse ab Inquisitore capi extra-judicialem informationem contra Episcopum ad effectum illam transmittendi Summo Pontifici.

Propositio IIª. — *Inquisitores generales, id est, Cardinales Sancti Officii, ob crimen hæresis contra Episcopos procedere possunt: ita tamen ut definitiva sententia Summo Pontifici reservetur.* — « Quoad vero Cardinales, Sacræ Congregationis Sancti « Officii generales Inquisitores, adest expressa facultas pro- « cedendi contra quoscumque, etiam episcopali, imo Cardi- « nalitia dignitate prædítos, ut in Bulla Pii IV *Romanus Pon-* « *tifex* 1563...; ita tamen ut completo processu, reservetur « ultima sententia Summo Pontifici. » (Card. Petra, tomo 1, ad Constit. 2 Leonis IX, sect. 1, n. 83.)

§ VI.

Archiepiscopus, Primas et Patriarcha nequaquam sunt judices competentes in causis criminalibus Episcoporum, etiam minoribus.

Nam ipsorum ordinariam jurisdictionem quoad *majores* ejusmodi causas omnino exclusit Tridentina Synodus, eas reservando Summo Pontifici. Item exclusit quoad *minores*, decernendo ut in provinciali Concilio *tantùm* cognosci et terminari possent. Aliunde autem huic Tridentino juri non derogavit Sedes Apostolica. Ergo hodie prorsus incompetentes sunt Archiepiscopi, Primates et Patriarchæ, quoad quaslibet crimi-

nales Episcoporum causas. Id tamen non impedit quin valeat, imo et debeat Metropolitanus de suffraganeorum suorum excessibus Sedem Apostolicam certiorem facere, et etiam in hunc finem, si opus sit, informationem aliquam extra-judicialem capere.

CAPUT III.

EXPONITUR HODIERNUM JUS COMMUNE CIRCA FORMAM PROCEDENDI CONTRA EPISCOPOS IN EORUM CAUSIS MAJORIBUS.

Superiori capite jus commune descripsimus quoad *competentiam* judicum : hic determinandum venit jus commune quoad *formam* in cognoscendis et terminandis ejusmodi causis servandam. Agimus autem dumtaxat de causis criminalibus *majoribus*, quia modus procedendi in *minoribus* difficultatem non habet, et satis intelligitur ex dictis sub præcedenti capite. Quia vero causæ dictæ majores Sedi Apostolicæ sunt reservatæ, et potest Papa, sive *de jure ordinario* procedere, sive etiam *de jure extraordinario* seu de *potestatis plenitudine*, forma canonica pro utroque casu exponenda est.

§ I.

Forma canonica in causis majoribus Episcoporum, procedente Papa de jure ordinario.

Propositio. Iª. — *Quando causa introducitur per viam accusationis, necesse non est ut accusator seu denuntiator in pœnam talionis subscribat.* — De via accusationis et inquisitionis, et quod utraque hodiedum adhiberi valeat, diximus in tractatu *de Judiciis*. Qua notione præsupposita, agimus hic de casu quo processus per viam accusationis inchoatur, ut si (verbi gratia) capitulum cathedrale, vel aliquis alius, Episcopum apud Papam accusaret de delicto, quod depositionem seu privationem

mereatur : et quæritur an talis accusator libellum accusatorium subscribere debeat *in pœnam talionis*, id est, sese offerendo ad subeundam pœnam æquivalentem, si de calumnia convictus fuerit : id enim de jure communi olim requirebatur. Sed respondetur negative, ob generalem contrariam consuetudinem, quæ jus commune quoad hoc immutavit. Unde omissio hujus formalitatis in libello accusatorio ad Papam transmisso, nequaquam invalidum processum reddit. Quod vide firmatum a Cardinali Petra (tomo 1, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 2, n. 1 et seq.).

PROPOSITIO II[a]. — *Quando per viam inquisitionis (par forme d'enquête) causa introducitur, necesse non est ut Papa aut ejus delegati servent determinatum aliquem modum faciendæ præviæ indagationis circa famam publicam de delicto.* — Id probat Cardinalis Petra hoc modo : « De præventiva necessaria infamia, « ex clamorosa insinuatione ad inquisitionem, cum per « conciliarem sanctionem non sit præscripta certa forma eam « verificandi, residet in arbitrio judicis, et præsertim Summi « Pontificis, coram quo solent hujusmodi causæ agitari ; et « proinde nullatenus est habenda in consideratione prædicta « exceptio, ex traditis per Fagnanum, in caput *pervenit, il « primo, de testibus cogendis.*» (Tom. 1, in Const. 2 Leonis IX, sect. 2, n. 8.)

PROPOSITIO III[a]. — *Neque ad valorem processus necesse est, ut ab ipsa processus inchoatione Episcopo manifestentur omnia capitula, cum dictis et nominibus testium.* — Id pariter tradit Cardinalis Petra in hunc modum : « Ea (præventiva commu- « nicatio capitulorum), non est de necessitate defensionis, « quam sufficienter parare potest inquisitus postquam fuerit « de prætensis criminibus interrogatus, vel post publicationem « processus, quæ fit ad effectum ut ille se defendere valeat. « Et ita in praxi non videtur practicabilis ista exceptio, cum « semper facultas se defendendi habeatur, licet mutata for- « ma ex moderno usu processus... Et juxta prædicta (dispu- « tato acerrime articulo coram Auditore Cameræ, in Sorana..

« contra reverendissimum Episcopum prætendentem nulli- « tatem processus) fuit dictum constare de validitate « processus, die 3 octobris 1701. » (Tomo 1, in Constitut. 2 Leonis IX, sect. 2, n. 9 et seq.) Cæterum id particulare non est processui de quo agimus; sed quoad cæteros etiam criminales processus fori ecclesiastici idem concludendum, ut in tractatu *de Judiciis* ostendimus.

PROPOSITIO IV^a. — *Ut pronuntiari possit contra Episcopum depositionis sententia, non plus requiruntur quam duo testes, dummodo requisitas qualitates habeant.* — In nonnullis antiqnis canonibus multo plures requiruntur. Sic habet, verbi gratia, canon *nullam* (2, q. 5) : « Nullam damnationem Episcoporum « unquam esse censemus, nisi aut ante legitimum numerum « Episcoporum, qui fit per duodecim Episcopos, aut certe « probata sententia per septuaginta duos testes idoneos. » Prætermissis antem canonistarum dissertationibus circa ejusmodi canones, qnibus opponuntur alia decreta synchrona vel etiam anteriora, contrarium statuentia, indubium est disciplinam tot testes requirentem, si unquam in jus commune transierit, jamdudum desuevisse. « Certum est (ait Cardinalis « Petra, loqnens de hujusmodi disciplina) fuisse reprobatam, « vel ex eo quia est contraria sacris canonibus aliter dicen- « tibus..., vel ex eo quod in praxi, sic approbante Summo « Pontifice, servatur posse Episcopum condemnari per duos « vel tres testes idoneos. » (Tom. 1, in Constit. 2, Leonis IX, sect. 2, n. 17.)

PROPOSITIO V^a. — *Condemnari nequit Episcopus ad pœnam ordinariam, id est, ad depositionem seu privationem, si testes non sint contestes, vel si non sint bonæ vitæ et famæ.* — Testes dicuntur *singulares* quando delictum de quo quisque deponit contra Episcopum, est diversum a delictis de quibus alii deponunt. Verbi gratia, si tres testes deponant, et primus accuset Episcopum de certo quodam furto, secundus de alio furto, et tertius de tertio furto ab aliis dnobus furtis diverso, tres illi testes erunt *singulares*. Vocantur autem *contestes*, qui unum et

idem in individuo delictum testantur. Quo prænotato, probatur thesis ex Tridentini Concilii expresso hac de re decreto, tenoris hujusce modi : « Testes in causa criminali ad informa« tionem vel judicia, seu alias in causa principali contra Epi« scopum, nisi contestes et bonæ conversationis, existimationis « et famæ fuerint, non recipiantur; et, si odio, temeritate, « aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus pœnis mul« ctentur. » (C. 7, sess. 13, *de Ref.)*

Diximus non sufficere testes *singulares*, ut Episcopus ad pœnam *ordinariam* condemnari possit. An autem sufficiant ut condemnari possit ad *extraordinariam*, nunc expendendum.

PROPOSITIO VIª. — *Sufficiunt testes singulares, requisitis aliunde qualitatibus prœditi, ut possit Episcopus ad pœnam extraordinariam* (1) *arbitrio judicis condemnari.* — Equidem Tridentini Patres, in modo citato decreto, de testibus singularibus, necnon de criminosis, dixerunt, *non recipiantur :* sed hoc a canonistis intelligitur solummodo dictum *relative ad imponendam pœnam ordinariam* seu depositionis, de qua agebat Concilium : quoad pœnam vero *extraordinariam* nihil a Tridentinis Patribus fuisse statutum : proinde ab ipsis rem hanc juxta jus commune determinandam relictam fuisse : ad terminos autem juris communis, prout illud hac in re interpretantur communiter doctores, posse testes singulares, imo et criminosos admitti, et aliquando sufficere ut pœna extraordinaria juste imponatur. De quo vide Cardinalem Petra (tomo I, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 2, n. 33 et seq.).

PROPOSITIO VIIª.—*Complices in delicto Episcopi recipi in testes contra ipsum nequeunt, si agatur de imponenda pœna ordinaria depositionis seu privationis perpetuæ : recipi autem possunt si agatur de imponenda pœna extraordinaria.* — « Distinguendi « sunt casus (ait Cardinalis Petra, loco cit., n. 29 et 33) : « aut agitur ad infligendam pœnam depositionis vel priva-

(1) ***Ordinaria*** dicitur pœna, quæ a jure imponenda præscribitur, ***extraordinaria*** vero est quælibet pœna, ab ordinaria *diversa*, et ordinaria ***minor***.

« tionis perpetuæ, quæ æquiparantur a Concilio, et tunc cri-« minosi et socii criminis non valent probationem facere, ne-« que semiplenam... Sed si agatur de pœna extraordinaria, « tunc verum est posse admitti criminosos socios criminis, « ea forma quæ præscribitur a jure; quia in tali casu non ap-« plicatur dispositio Concilii, loquentis de pœna ordinaria « depositionis vel perpetuæ privationis. »

Propositio VIII[a]. — *Testis malæ vitæ aut famæ, si sit de domo Episcopi, contra Episcopum admitti potest. Nequit scilicet Episcopus contra talem testem excipere : at potest judex, si velit, eum repellere.* — « Hic etiam adverto non posse Episcopum, « familiarem suum repellere a testimonio, tanquam non bonæ « famæ, quia nequit reprobare quem approbavit (capite *nulli*, « *de accusationibus*). Et hoc specialiter est sancitum in odium « et pœnam Episcoporum tolerantium in sua domo crimino-« sos et inhonestos. Potest tamen judex ex officio repellere « talem testem, si non ob commodum accusati, saltem ob « dignitatem judicantis, et honorem dignitatis judicatæ. » (Card. Petra, ad Constitutionem 2 Leonis IX, sect. 2, n. 24.)

Propositio IX[a]. — *Testes contra Episcopum productos carere qualitatibus requisitis, non Fisco, sed Episcopo probandum incumbit.* — Vide Cardinalem Petra, loco cit., n. 21.

Propositio X[a]. — *Quando non sufficiunt testimonia et aliæ probationes ut pronuntiari valeat depositionis aut perpetuæ privationis pœna, dari potest locus imponendæ pœnæ extraordinariæ.* — « Ad pœnas vero extraordinarias posse deveniri censeo, » ait Cardinalis Petra (tomo 1, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 3, n. 1); et loquitur de casu quo applicanda non venit pœna ordinaria depositionis aut perpetuæ privationis; variasque ad id firmandum rationes et auctoritates adducit. Idem tenet Fagnanus, qui etiam particularem hunc casum, ad rem illustrandam idoneum, citat et discutit (ad caput *pervenit, de testibus cogendis*) : « Quidam Archiepiscopus in regno Neapo-« litano, inquisitus de homicidio, adulterio, stupro et aliis « excessibus, subtraxit processum informativum, contra eum,

« per commissarium Auditoris Cameræ, desuper fabricatum. « Quæsitum est an, propter hujusmodi subtractionem, de talibus excessibus habeatur pro convicto; anve et qua pœna « pro eadem subtractione sit puniendus. » Contendebat autem dictus Archiepiscopus, potuisse a se processum informativum supprimi, utpote de jure nullum, ex eo quod cômmissio non fuisset manu Papæ subscripta, ad terminos Tridentini Concilii. Circa illam prætensionem non fuit difficultas. « Responsum est, ait Fagnanus, Auditorem Cameræ esse judicem « ordinarium quorumcumque Prælatorum, et habere facultatem procedendi etiam contra Episcopos, tam per viam « inquisitionis, quam accusationis, seu denuntiationis et instigationis, eosque culpabiles repertos puniendi, dummodo « tamen monitoria contra Episcopos ad comparendum personaliter, non nisi prævia commissione manu Papæ signata, « decernat; ut expresse cavetur in Bulla Gregorii XIV..., et « in alia Pauli V, incipiente *eximiæ*...; atque ita signatura « Papæ non requiritur nisi in casu illo speciali, cum monitoria decernuntur ad personaliter comparendum... Et consequenter sublata est Concilii (Tridentini) dispositio dicti « capitis 5, sessionis 24, quatenus requirit commissionem specialem et manu Sanctissimi signatam. »

Ad dubium, quanam pœna plectendus esset ille Prælatus pro supradictis excessibus, censuit Fagnanus applicandam non esse pœnam ordinariam, depositionis nempe, sed extraordinariam, id est, mitiorem : « Quia tamen hoc casu Archi« episcopus de hujusmodi excessibus non fuit convictus vel « confessus per rei veritatem, sed per præsumptionem a jure « inductam ex subtractione processus, benignius agendo, « mitiori pœna extra ordinem videtur puniendus. » Item censuit pro delicto suppressionis processus, applicandam esse pœnam extraordinariam, quia ordinaria (quæ foret deportatio cum publicatione bonorum) ab usu recessit.

Quisnam fuerit hujus causæ exitus narrat Fagnanus his verbis : « Cum Archiepiscopus memoratus, per sententiam diffi-

« nitivam Auditoris Cameræ condemnatus fuerit in pœnam « extraordinariam relegationis in monasterium Nursiæ, sus- « pensionisque a divinis et ab exercitio jurisdictionis per « triennium, ac deinde ad beneplacitum Sanctissimi, in Con- « gregatione super revisione prædictæ sententiæ, de mandato « Sanctissimi D. N. Papæ Innocentii X habita in ædibus meis « die 10 julii 1647..., unanimiter censuimus bene fuisse per « Apostolicam Cameram judicatum ; et ita referendum San- « ctitati Suæ. »

Nota. — Juxta doctrinam Cardinalis Petra, ad infligendam Episcopo extraordinariam pœnam perpetuæ suspensionis, sufficere possunt *semiplenæ* probationes. Id asserit, tum aliis multis citati commentarii ad Constitutionem 2 Leonis IX (sect. 3), tum hisce verbis, quæ ibidem occurrunt n. 25 : *Etsi ex semiplenis probationibus non oriatur plena probatio, tamen, ex dictis, erit locus suspensioni ab ordine et jurisdictione, etiam perpetuæ.*

Propositio XI^a. — *Pœna extraordinaria qualis esse debeat, relinquitur arbitrio judicis : at debet esse minor ordinaria.* — » Pœna extraordinaria a criminalistis ea vocatur, quæ est « *inferior* pœna juris alicui delicto imposita, imo etiam *diver-* « *sæ speciei*. Et majoritas vel minoritas pœnæ extraordinariæ, « dependet ab arbitrio judicis, pensatis probationibus...; nec « dari potest certa regula. » (C. Petra, loco cit., n. 4.)

Propositio XII^a. — *In causis criminalibus majoribus Episcoporum dari potest locus pœnæ extraordinariæ suspensionis in perpetuum ab administratione et ordine.* — Etenim in eis causis pœna ordinaria est depositio et perpetua privatio (1). Ergo extraordinaria pœna erit dicta suspensio perpetua, si diversa sit et minor : atqui, 1° est diversa a depositione et perpetua privatione ; quia actus suspendendi specie diversus est ab actu deponendi et privandi. 2° Pœna suspensionis in perpetuum, levior est pœna depositionis et perpetuæ privationis. « Quod

(1) Siquidem causæ illæ non dicuntur *majores*, nisi quando versantur circa delictum, quod de jure per depositionem vel perpetuam privationem plectendum sit.

« probatur capite *per tuas, de simonia*, ubi Pontifex dicit, « temperantia æquitatis se condemnare Prælatum ad pœnam « suspensionis, cum, ex defectu probationum, ad pœnam « depositionis nequeat judex procedere... Confirmatur rursus « ex capite *qualiter et quando* (il secundo, *de Accus.*), ubi Pon« tifex statuit, ut delectis *in quibus proceditur per inquisitio« nem, si gravis fuerit excessus, etsi non degradetur ab ordine* « (quod idem est ac deponatur seu privetur), *ab administra« tione tamen amoveatur omnino.* » (Cardinalis Petra, loco cit., n. 7 et n. 9.) Verba hæc, *amoveatur omnino*, perpetuam suspensionem aperte denotant. Si perpetua suspensio *æquivalens* foret depositioni, seu (quod idem est) si foret pœna *ordinaria*, in citato capite non diceretur eam esse pronuntiandam; siquidem præcise ad hunc finem lata est lex illa, ut non applicaretur in posterum pœna ordinaria, quoties per viam inquisitionis procederetur, sed minor.

Et revera, Episcopus alicujus ecclesiæ, licet in perpetuum suspensus, non desinit esse illius ecclesiæ Episcopus, quoad titulum : depositus vero etiam titulum amittit. Insuper, quod possit parochus perpetuo suspendi in pœnam extraordinariam, et quod tunc non inducatur vacatio ecclesiæ parochialis, decisum a Rota refert Cardinalis Petra (ad Const. 2 Leonis IX, sect. 3, n. 16, tomo 1); unde pariter per suspensionem perpetuam Episcopi non sequetur proprie sedis vacatio : atvero pronuntiata depositione vel perpetua privatione, statim vacat sedes. Per suspensionem Episcopi non vacare sedem nisi *interpretative*, et tunc jurisdictionem non devolvi ad capitulum, sed provideri a Papa per Vicarium Apostolicum, probavimus in tractatu *de Capitulis*, paginis 534 et 535. Præterea si Episcopo in perpetuum suspenso velit Papa ignoscere, et diœcesis administrationem iterum ei committere, satis erit revocari suspensionem, nec opus erit nova collatione episcopatus : præsupposita autem depositione, debebit de illo episcopatu provideri, perinde ac si nunquam fuisset hujus diœcesis Episcopus. Unde, quamvis suspensio perpetua videatur aliqua-

tenus depositioni ac perpetuæ privationi æquivalere, in rigore tamen juris, minor pœna est, ac proinde extraordinaria.

PROPOSITIO XIII[a]. — *Postquam pronuntiata fuit contra Episcopum aliquem extraordinaria pœna suspensionis in perpetuum, potest Summus Pontifex eum cogere ad dandam demissionem; et, si renuat, eum deponere, ac alium Episcopum in diœcesi constituere.* — Magni momenti est conclusio illa, utpote quæ non tantum ad theoriam pertinet, sed praxim etiam Sedis Apostolicæ (ut modo videbitur) exprimit. Ad eam autem firmandam sæpe laudati Cardinalis Petra rationes atque ipsa etiam verba mutuabimus. Agendo nempe de Episcopis contra quos pronuntiata est perpetuæ suspensionis pœna, arduam, de qua nunc agimus, quæstionem movet, ac postea solvit, ut sequitur :

« An possit per Papam cogi aliquis Episcopus ad resignan-« dum suum episcopatum, in dicto casu?

« Dico posse, et debere Episcopum id agere. Moveor, « quia post sententiam remotionis seu suspensionis perpetuæ, « erit locus novæ electioni Episcopi, si fiat (1) ob delictum « infamiam importans (secus si infamiam non inducat, ut « docet Fagnanus..., cum regulariter nequeat dari locus no-« væ electioni, nisi concurrat depositio vel privatio, ut ipse « innuit, et supra dixi quoad parochos); ergo juste poterit « Papa cogere Episcopum, condemnatum ad perpetuam sus-« pensionem ab ordine et jurisdictione, ad resignandum; « prout Episcopus parochum.

« Secundo, hoc probatur, quia si Papa potest deponere « Episcopum *justa existente causa* (ut ait glossa...; et expli-« cando glossam disserit Fagnanus..., in capite *quinto, de « translatione Episcopi*, n. 78; Abbas in capite *sua nobis, de « confirmatione utili vel inutili*, n. 13; ubi additur, quod te-« neatur dare cambium, si remotio fiat sine culpa Prælati, « alias non tenetur...; et plures casus opportune enumerant

(1) Si fiat nempe *suspensio perpetua*.

« Baronius, in annalibus, anno 1201, et Bellarminus de Ro-
« mano Pontifice, l. 2, c. 18), quæ major causa erit infamia,
« quæ inducitur contra remotionem et suspensionem perpe-
« tuam?

« Tertio, est certum quod Papa possit nedum deponere,
« sed etiam cogere Episcopum ad resignandum, si justa con-
« currat causa; ut in capite *ex litteris*, 10 *de excessibus Præ-*
« *latorum;* et clare in capite *quidam*, *de renuntiatione*... Si
« enim potest cogi ex justa præsumptione, eo magis poterit,
« si adsit, non præsumptive, sed certo justa causa ut hujus-
« modi Prælatus ad ecclesiam non redeat. Et ita docuerunt
« Innocentius..., Hostiensis..., Abbas..., Barbosa...; et *com-*
« *munis* opinio hæc Innocentii reputatur. Si enim Episcopus
« potest deponi, poterit eo fortius cogi ad resignandum id
« quod potest ei auferri...

« Quarto, est indubitatum posse Episcopum cogi ad resi-
« gnandum, stante scandalo populari, ut docent, ultra cita-
« tos doctores...; plures allegat, et refert sic fuisse servatum
« Fagnanus (in cap. *nisi cum pridem*, n. 73, *de renuntiatione);*
« ubi, quod potest esse tale scandalum, ut Episcopus non
« solum possit, sed teneatur resignare. Si enim tenetur, ergo
« potest cogi. »

« Difficultas tamen est contra prædicta : si enim Episcopus
« ex defectu probationum nequit condemnari ad depositio-
« nem, ergo non erit causa sufficiens ad cogendum ut resi-
« gnet. Sed tollitur : nam depositio irrogatur pro delicto;
« coactio ad resignandum, ob scandalum quod oritur ex infa-
« mia Episcopi condemnati qui removetur ob delictum, ut
« supra dixi. » (Ad Const. 2 Leonis IX, sect. 3, n. 18 et seq.,
tom. 1.)

Confirmatur hæc doctrina decisione Sacræ Congregationis Cardinalium, quæ anno 1695 in causa Nolani Episcopi sententiam pronuntiavit. Quam decisionem refert idem Cardinalis Petra, citato loco, n. 15, in hunc modum : « Et in facto,
« cum hujusmodi circumstantiis, Congregatio Cardinalium (in

« Nolana, contra Episcopum, die 4 januarii 1695) censuit, « prævia suspensione in perpetuum a collatione ordinum et « exercitio pontificalium ac ab omni et quacumque jurisdi- « ctione et munere episcopali, esse Episcopum detrudendum « per decennium et ultra in monasterium, a Sanctissimo Do- « mino Nostro designandum... : ac insuper requirendum di- « ctum Episcopum, ut ecclesiam seu episcopatum dimittat; « eoque dimittere renuente, posse eumdem a Sanctissimo « Domino Nostro cogi ad dimittendum; et pro effectu coa- « ctionis hujusmodi, ecclesiam et episcopatum alteri conferri; « proviso eodem Episcopo de congrua substentatione, sive « ex fructibus ecclesiæ ejusdem, sive aliunde; et in quanti- « tate arbitrio ejusdem Sanctissimi taxanda. »

Propositio XIV^a. — *Quamvis Episcopus non fuerit de crimine convictus, potest Summus Pontifex, si justa interveniat causa, etiam absque prævia suspensione eum cogere ad dandam dimissionem : et, si renuat, eum deponere.* — Superiori propositione diximus Episcopum, *contra quem Summus Pontifex perpetuam suspensionem pronuntiavit*, posse cogi ad dandam dimissionem, et etiam deponi, si dimissionem dare renuat. Hic autem quærimus, an possit Summus Pontifex, etiam non pronuntiata in antecessum suspensionis pœna, Episcopum cogere ad dimittendum episcopatum, et, casu quo id facere renuat, eum deponere? Dicimus autem id a Papa fieri posse, justa interveniente causa, quamvis Episcopus non fuerit de crimine convictus.

1° Veram esse conclusionem probant rationes, quas superiori propositione ex Cardinali Petra transcripsimus. Applicantur enim et præsenti thesi, ut patet.

2° Idem evincunt rationes quas deducit Pignatellus (tomo 7, consultatione 38). Agendo nempe de quodam crimine, pro quo Episcopus deponi deberet, si ab eo crimen illud patratum fuisse plene constaret, sic habet : « Quod si de hoc cri- « mine Episcopus non fuerit convictus, sed adfuerit grave « scandalum in populo quod sedari non potest, in hoc inter-

« venire causam legitimam cedendi episcopatum decernit « textus in capite *nisi cum pridem*, *de renuntiatione;* quia Epi- « scopus non debet magis temporalem honorem quam æter- « nam affectare salutem. Et, ut ibi ait Fagnauus numero 73, « tantum potest esse scandalum, ut Episcopus non solum « possit, sed etiam teneatur renuntiare; ut tradunt in eum- « dem textum Ostiensis.., Joannes Andreas.., et Cardinalis...

« Si vero renuntiare noluerit, poterit Summus Pontifex « illum privare, cum interveniat justa causa...

« Et licet non sit confessus neque convictus, videndum ni- « hilominus est, an hoc non obstante insurgat ex indiciis « causa sufficiens ad renuntiandum. Et, ut supra dixi, quam- « vis non sit convictus, tantum tamen potest esse scandalum, « ut non tantum possit Episcopus, sed etiam teneatur renun- « tiare; et quod si renuntiare renuerit, possit Summus Pon- « tifex illum privare, quia intervenit justa causa, nempe « grave scandalum in populo, cum odio implacabili; atque « adeo necessitas aut utilitas Ecclesiæ, quæ omnino requiri- « tur pro dissolutione vinculi matrimonialis inter Episcopum « et ipsam ecclesiam, juxta Concilium Romanum anni 467.

« Unde tota difficultas verti potest, an adhuc, non obstante « quod Episcopus non sit confessus neque convictus, constet « de justa et sufficienti causa depositionis; ita ut possit mo- « vere Pontificis animum ad illum deponendum, non solum « ex hactenus deductis in processu, præsertim ex gravi scan- « dalo, sed etiam ex causis Sanctissimo notis, et absque de- « fensionibus, nisi illis quæ ex processu informativo dari « possint; et an *auctoritate ordinaria*, an de *plenitudine pote-* « *statis,* et an per Breve, an autem per motum proprium? « Quibus respondeo :

« Quod si Papa procedat *de plenitudine potestatis,* non re- « quiritur citatio : secus autem si procedatur *de potestate* « *ordinaria...*

« Quod si procedere velit *de plenitudine potestatis,* proce- « dendum cum hisce clausulis : *Motu proprio, ex certa scien-*

« *tia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, et non obstante.*

« Qua in re exstant similia exempla apud Baronium. Anno « 1201, n. 38, Innocentius III deposuit Gualterium Episco- « pum Troianum, ob expoliatas ab eo ecclesias. Anno 1233, « n. 56, Gregorius IX deposuit Episcopum Bosuensem in « Ungaria, propter ejus perfidiam. Anno 1257, n. 9, Alexan- « der IV privavit Philippum archiepiscopatu Salisburgensi, ob « ejus inobedientiam et contumaciam. Anno 1348, Clemens VI « deposuit Henricum Archiepiscopum Moguntinum ob con- « temptum censurarum. Anno 1426, n. 11, Martinus condem- « navit ac deposuit Conradum Episcopum Pragensem ob sus- « picionem hæreseos Hussitarum. Et plura hujusmodi sæpe. « Ac nostro tempore, Innocentius X et Alexander VII depo- « suerunt sive renuntiare compulerunt Episcopos N... et N.., « imputatos de mandato homicidio in suis diœcesibus. Cle- « mens X coegit Episcopum N... ad renuntiandum episcopa- « tum ob probabilissima indicia... Et Innocentius XI anno « 1686, privavit episcopatu Episcopum N..., ob indicia..., « licet non fuerit confessus neque convictus : quare usus fuit « chyrographo, ac motu proprio cum supradictis clausulis; « assignata congrua, et habito monasterio SS. Cosmæ et Da- « miani pro carcere. »

Scholion. — De multiplici modo, quo potest Papa Episcopum non convictum, justa interveniente causa, removere. — Hac de re sic adnotavit Cardinalis Petra : « Primus modus erit, si Epi- « scopus moneatur ad renuntiandum, et inobediens sit : « existente enim justa causa præcepti (ut esset causa con- « demnationis ad pœnam extraordinariam suspensionis per- « petuæ) datur locus depositioni, et novæ provisioni ecclesiæ; « præsertim si in præcepto facto adsit pœna indignationis « Papæ... Hinc Passerinus... consulit, ut Episcopus sponte « cedat ante depositionem; quia prudentiæ est adscriben- « dum, si spontanea dimissione præveniat spoliationem. Et « depositio, in casu coactionis, non est in pœnam principalis « delicti, sed in pœnam non paritionis præcepto, juste a Papa

« facto, ut resignet, stante scandalo; cui præcepto debet pa-
« rere.

« Alter modus assignatur a Raynaldo..., sequente opinio-
« nem Bormondi..., nempe quod Papa inhibeat Episcopo, ut
« in perpetuum abstineat ab administratione episcopatus; et
« tunc licet non sit vera et realis depositio, cum vere sit Epi-
« scopus, tamen potest Papa providere ecclesiam de novo
« Episcopo. » (Cardinalis Petra, tomo 1, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 3, n. 27 et seq.)

Hinc potest Papa episcopatum alteri conferre, quin depositionem pronnntiet contra eum quem removet. Is nempe depositns censetur per inhibitionem ne unquam in diœcesis administrationem sese ingerat, et per factam alteri episcopatus collationem.

Potest etiam Summus Pontifex in hisce casibus administratorem apostolicum diœcesi præficere. Qui enim potest plus, potest et minus. Tunc autem qui removetur non desinit esse Episcopus illius diœcesis, quamvis nullam in ea jurisdictionem exercere valeat. Servat nempe titulum et denominationem.

Propositio XVa. — *Quando Episcopus ob delictum cogitur episcopatum resignare, vel episcopatu privatur, debet ipsi dari congrua.* — « Assignatur tamen congrua hujusmodi Episcopis
« qui coacti resignant, ut in citato Decreto in Nolana fuit
« dictum... Congrua enim debetur, etsi Episcopus rennntiet
« ex culpa propria, quia non debet mendicare cum dedecore
« totius ordinis : Pax jordanus..., Parisisius..., Barbosa...,
« Passerinus...; qui referunt observantiam tempore Sixti V
« et Urbani VIII; et ultra casum in Nolana, id testatnr in
« aliis casibus Pignatelli (tomo 7, consnlt. 38 in fine). Tamen
« aliquod discrimen est in casu renuntiationis ob culpam
« propriam, et illius quæ fit ob culpam plebis, vel ex causa
« intrinseca justa. Secundo enim casu, vel debet dari recom-
« pensatio æqualis, ut dicunt citati doctores, vel debet assi-
« gnari congrua, habito respectu ad ecclesiam quam dimittit,
« et ad qualitatem dimittentis; ita ut debeatur congrua...,

« non alimentaris simpliciter, restricta scilicet ad puram ali-« moniam. In primo casu nequit prætendi nisi ea restricta « ad alimoniam... Episcopus qui cogitur resignare, supponi-« tur ob culpam condemnatus, et ut plurimum cum pœna « etiam intrusionis in monasterio, et sic minor congrua eidem « debetur, et ita in praxi servatur. » (Cardinalis Petra, ad Constit. 2 Leonis IX, sect. 3, n, 39, tomo 1.)

PROPOSITIO XVIª. — *Singula quæ in præsenti paragrapho diximus a Papa fieri posse, ab ipso fieri possunt* DE JURE ORDINARIO, *et quin contraveniat Tridentinis decretis.* — Id adnotatione potius indiget, quam probatione. Potuit enim lector advertere, unumquodque ex ejusmodi assertis probatum fuisse ex ipso canonum et speciatim Tridentinorum decretorum tenore, juxta doctorum interpretationem; non autem in probationem adductam fuisse potestatis plenitudinem, vi cujus posse Papam canonibus disciplinaribus derogare et eis contraire, indubium est.

§ II.

Forma canonica in causis majoribus Episcoporum, procedente Papa de jure extraordinario, seu de potestatis plenitudine.

PROPOSITIO Iª. — *Potest Papa in cognoscendis et terminandis majoribus Episcoporum causis, ordinem a suis Prædecessoribus vel Conciliis generalibus præscriptum non servare.* — Id jam supra firmavimus, capite 2, propositione 4. Probatur nempe 1º, ex plena illa Ecclesiam universalem regendi, pascendi et gubernandi potestate, quæ a Christo, in persona Beati Petri, singulis ejusdem Petri successoribus collata est. Cum enim vi hujusce plenitudinis, Romano Pontifici competat supremum jus legislativum, repugnat posse ipsum ullis aliorum disciplinaribus decretis obligari. Quod si iis decretis non obstringatur, potest ab eis, quoties sibi opportunum visum fuerit, recedere. Quando autem recedit, de jure extraordinario seu de potestatis plenitudine procedere dicitur.

Probatur 2°, ex communi doctorum sententia. Docent nempe concorditer posse a Papa criminosum Episcopum privari, *vel auctoritate absoluta et sine aliquo ordine* (sunt verba Cardinalis Petra, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 3, n. 31, t. 1), *vel auctoritate ordinaria.* Disputant solummodo canonistæ, an possit Papa, quando procedit non servato ordinario jure et utendo potestatis suæ plenitudine, Episcopum deponere *etiam sine justa causa.* Alii affirmant : alii negant : alii distingunt causam desumptam ex delicto Episcopi, et causam desumptam ex utilitate ecclesiæ; dicuntque posse a Papa valide et licite Episcopum absque ullo ipsius delicto privari, si ita postulet diœcesis aut provinciæ utilitas; deberi tamen tunc Episcopo cambium; quod si neque adsit causa utilitatis ecclesiæ, adhuc posse a papa Episcopum privari valide, non tamen licite. Quæstionem hanc mox expendemus.

Probatur 3°, ex praxi Sedis Apostolicæ, quam sequenti propositione asserimus. Quod enim Sedes illa per modum praxis in modo regendæ universalis Ecclesiæ exequitur, illicitum aut invalidum dicere, summæ temeritatis est.

Propositio IIª. — *Est praxis Sedis Apostolicæ ut quandoque Episcopos suis episcopalibus privet, non servatis ordinarii juris formalitatibus.* — « Aliquando etiam Papa solet Episcopum cri-
« minosum privare; vel auctoritate absoluta, et sine aliquo
« ordine ; et tunc discrepant doctores an possit id facere sine
« justa causa... : vel etiam aliquando privat auctoritate ordi-
« naria, et debet citari pars.

« Et primo casu debet procedi per *motum proprium ;* et
« absque defensionibus fieri valet, ut distinguit Pignatellus
« (citata consultatione 38, n. 8 et 9, tomo 7); qui ponit
« exempla recentiora, ex quibus liquet Summum Pontificem
« privasse Episcopos ob aliqua delicta scandalosa, cum non
« fuerint confessi neque convicti; sed ex circumstantiis, non
« solum ex processu deductis, verum aliunde quæsitis, ani-
« mus Pontificis ad hujusmodi actum fuit inductus. Verum-
« tamen est, quod omnes casus recentes percutiunt Episcopum

« coactum resignare; ut in casibus tempore Innocentii X, « Urbani VIII, et Clementis X. Ultimus vero ibi adductus est « Innocentii XI, contra Episcopum Hieracensem, quem Papa « privavit motu proprio et de plenitudine potestatis. Et quam- « vis Pignatellus (ibi, n. 9) dicat, quando proceditur per « hujusmodi motum proprium, non requiri citationem, neque « defensionem admitti, tamen in dicta causa aliter fuit pra- « cticatum, cum revera fuerit Episcopus auditus coram judi- « cibus deputatis pro ea causa, et defensiones concessæ « exstiterint; sed ob suspicionem subornationis, et aliis de « causis, Papa restrinxit modum probationum defensivarum.» (Cardinalis Petra, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 3, n. 31 et seq., tomo 1.)

Propositio IIIª. — *Quando Episcopus, non servato jure ordinario privatur aut deponitur, nisi decretum Pontificium clausulas habeat quæ indicant voluisse Pontificem de potestatis plenitudine procedere, potest sic depositus decretum obreptitium aut subreptitium prætendere, donec contrarium constet.* — Quia nempe, ut supra dictum est, non præsumitur Papa jus ordinarium relinquere voluisse, nisi constet. In casu autem non constaret, deficientibus (ex hypothesi) necessariis ad id clausulis. Si tamen Papa, servatis cæteris juris ordinarii dispositionibus, a Tridentinis dumtaxat dispositionibus recessisset, valeret dictum decretum; quia, ut jam supra diximus, Tridentinis sanctionibus sufficienter derogat Papa contrarium agendo, quin opus sit derogandi voluntatem ullo alio modo exprimi. Cæterum casus, quem in præsenti propositione expendimus, fere chimericus est: non enim omittet Cancellaria Romana opportunas clausulas, quando Papa de jure extraordinario procedet.

Immo quando etiam juris ordinarii substantialia servata sunt, ad superabundantiam, et ad præcludendum querelis aditum, puto addi frequenter solere dictas clausulas, quæ plenitudinis quoque Pontificiæ potestatis robur, si forte opus foret, adjiciant.

Propositio IVª. — *Etiamsi de jure extraordinario procedendo*

Episcopum Papa deponat, debet ei congruam assignare. — Quia nempe, sive de ordinario, sive de extraordinario jure procedat Snmmus Pontifex, manet ratio vitandi dedecoris quod sequeretur, si Episcopus, licet ob culpam jnste depositus, ad mendicandnm adigeretur.

PROPOSITIO V[a]. — *Si Episcopum injuste deponat ant privet Summus Pontifex, non datur ad aliud tribunal appellatio: sed poterit Episcopus innocens ad Sedem Apostolicam supplicationes dirigere pro revisione causæ; quam concedere aut denegare in arbitrio est Romani Pontificis.* — Infallibilis est Summus Pontifex in definiendo sacro dogmate, atque item in statnenda universali disciplina (prout in tractatu *de Papa* ostendemus). Atvero ejus infallibilitas ad actus particulares, prout snnt particulares subditorum causæ, sese non extendit. Hinc impossibile non est ut in ventilanda Episcopi alicujus causa decipiatur, et injuste eum condemnet. Tunc vero nulli appellationi locus erit, quia non est aliud snperius tribunal in terris, cui competat Romani Pontificis judicia reformare. Damnabilis enim et damnata opinio est, quæ appellationem ad futnrum Concilium œcumenicum excogitaverat (de quo dicemns in tractatu *de Papa*). Atvero poterit in dicto casu Episcopus innocens supplicationem, sive ad eumdem Pontificem qui sententiam pronuntiavit, sive ad ejns successorem dirigere. Nec absque exemplo est, ob nova præsertim allata docnmenta, concessam causæ revisionem. Quod si neque hoc remedio innocens Episcopus intentum assequi valeat, humiliter Omnipotentis Dei consiliis, ita quoad ipsum permissive disponentis, sese subjiciat, certus de reportanda eo uberiori in cœlis mercede, quo majus in terris gravamen passus fuerit. Cæterum pro ea mansuetudine ac prudentia qua solet Apostolica Sedes, in his præsertim tanti momenti negotiis, procedere, inter chimericos casus ille recenseri potest.

CAPUT IV.

ETIAM QUOAD GALLIAM HODIE VIGET SUPRA EXPOSITUM JUS COMMUNE CIRCA CRIMINALES EPISCOPORUM CAUSAS (REMISSIVE).

Conclusionem illam firmavimus in tractatu *de Concilio provinciali*, gallice edito, parte 4, cap. 20. Ad rem etiam faciunt capita 16 et 17 ejusdem partis 4; necnon duodecim priora capita partis 3.

In confirmationem adduci potest factum recens, coacta nempe resignatio cujusdam Episcopi Galliæ. Ad removendum enim illum Antistitem non adunatum provinciæ Concilium, non pronuntiata a provincialibus Episcopis sententia, ad terminos gallicani systematis; sed solius Sedis Apostolicæ auctoritate causa illa ventilata fuit et terminata. Modus autem procedendi ad eam normam fuit, quam superiori capite descripsimus. Captis nimirum informationibus, injunxit Sanctissimus dicto Episcopo ut episcopatum resignaret; secuturam nihilominus, si resignare renueret, privationem commonens, et alterius in ejus locum Episcopi promotionem.

Unde si quis hodie Galliæ Episcopus, orta contra ipsum majori causa, Romani Pontificis competentiam in prima instantia declinare, et se a provinciæ suæ Concilio prius judicandum esse prætenderet; vel si qua provincialis Synodus de aliqua ex ejusmodi causis, Apostolicæ Sedi de jure communi et Tridentino reservatis, cognoscere ac pronuntiare auderet, id nihil aliud foret quam inane tentamen atque apertum scandalum.

SECTIO II.

De remotione Episcoporum nullius delicti reorum : necnon de eorumdem translatione, et ultronea dimissione.

Superiori sectione disseruimus de Episcopis qui ob delictum episcopatibus suis privantur. Nunc vero agendum de eorumdem a suis sedibus remotione, sive per privationem ob aliam quam delicti causam, sive per translationem, sive per ultroneam ipsorum resignationem.

CAPUT I.

DE JURE SUMMI PONTIFICIS EPISCOPOS ETIAM NULLIUS DELICTI REOS AMOVENDI.

PROPOSITIO I^{a}. — *Potest Summus Pontifex, ex causa necessitatis aut utilitatis, aliquem Episcopum et etiam omnes alicujus regionis Episcopos, etsi nullius delicti reos, sedibus privare.* — Contingere potest ut Episcopus, etsi nullius culpæ aut etiam imprudentiæ reus, ex variis loci ac temporum circumstantiis, procurando in diœcesi sua spirituali animarum bono impar omnino evadat ; imo nec nisi cum ingenti illius ecclesiæ detrimento in ea permanere, et ipsius gubernationem retinere valeat. Si, verbi gratia, grassante bello, novus populus regionem invadat, nec sinat Episcopum in sua civitate degere; item si Episcopus consanguineus sit principis sæcularis, qui pugna devictus et ejectus est, et novum gubernium eum

exulare decernat; si tandem quomodolibet ex enatis perturbationibus, odiis, dissentionibus, aliisve circumstantiis, jam nequeat Episcopus diœcesim suam pacifice et cum fructu regere, nec animos componendi spes affulgeat; manifestum est, non utilem jam illum Episcopum, sed nocivum existere, cum (ex hypothesi) per ipsius amotionem omnia componi facile valeant, et multarum animarum æterna deperditio præcaveri. Atque id multo facilius contingere posse perspicitur, si Episcopus, integritate cæteroquin et apostolico zelo conspicuus, zelum illum non habeat cum prudentia conjunctum, et multa peragat quæ animos offendant. Inde enim quandoque fit, ut omnia in diœcesi perturbentur atque in pejus abeant, religioque in dies collabatur.

Casus autem quo utile sit omnes simul alicujus regionis innoxios Episcopos amovere, rarissimus est. Imo usque ad Pium VII nunquam contigerat. Postulante autem Napoleone I novam omnium diœceseon Galliæ circumscriptionem, utile reputavit Pius VII, attentis plane extraordinariis quæ supervenerant circumstantiis, huicce voto satisfacere. Quod cum recte fieri non posset, nisi amotis tunc existentibus Galliarum Episcopis,eos ad dandam demissionem dictus Pontifex coegit, et renuentes deposuit.

Porro, stante necessitatis aut utilitatis causa, dicimus posse a Romano Pontifice aliquem Episcopum, imo et omnes alicujus regionis Episcopos sedibus suis etiam invitos privari.

Probatur 1°. — *Ex primatu jurisdictionis Romani Pontificis.* — 1°, Romano Pontifici dictum est in persona Beati Petri, *pasce agnos, pasce oves.* Est ergo Romanus Pontifex totius Ecclesiæ supremus pastor.Ipsius proinde officium est invigilare in omnes Ecclesiæ partes, et præcavere ne qua detrimentum patiatur. Christus autem hoc ei officium committendo, debuit simul ei conferre necessariam ad illud officium explendum potestatem. Repugnat enim hocce munus a Christo ei injunctum fuisse, et simul denegatam ab eo fuisse potestatem sine qua non posset eo recte fungi. Porro, nisi valeret in dictis

casibus Summus Pontifex Episcopos, etiam nullius delicti reos, amovere, non posset, pro injuncto sibi officio, diœceseon detrimenta præpedire. Ex hypothesi enim in causa est Episcopus, etsi culpa expers, cur in ipsius diœcesi res catholica pessumdetur et animæ in ruinam agantur; vel impedimento est ne ad effectum deducatur aliqua magni momenti dispositio, ex qua sequeretur ingens quoad totius regionis diœceses, aut etiam quoad universalem Ecclesiam utilitas. Aliunde autem, ut pariter supponitur, haud potest Summus Pontifex aliter detrimenta hæc removere, quam removendo ipsosmet dictos Episcopos. Ergo nisi tunc jus Romano Pontifici competeret invitos etiam illos Episcopos sedibus suis privandi, non posset injuncto sibi divinitus officio recte fungi. Ergo jus illud habet.

2° Quod Romano Pontifici competat *plena* potestas universalem Ecclesiam pascendi, regendi atque gubernandi, dogma catholicum est, a Concilio Florentino expresse definitum. Porro nisi posset in dictis casibus Episcopos, etsi delicto carentes, sedibus suis privare, *plena* nequaquam foret ejus gubernativa potestas. Nequaquam enim ille monarcha dici potest *plenam* habere regiam potestatem, qui videns in aliqua regni sui provincia in causa esse gubernatorem, etsi absque sua culpa, cur omnia susdeque vertantur, eum nequit invitum amovere, ac alium ipsi substituere.

Probatur 2°. — *Ex eo quod possit Summus Pontifex Episcopos ob delictum deponere.* — Quod deponi possint et debeant Episcopi ob certa quædam delicta, extra omnem controversiam est. Item quod possit Papa, imo quod solus possit hanc depositionis sententiam definitive pronuntiare, pariter omnino certum est. Porro inde sequitur posse in dictis casibus Episcopos, etsi nullius delicti reos a Papa sedibus suis invitos privari. Nam in dictis casibus diœcesi suæ noxius, ex hypothesi, evadit Episcopus, si episcopatum retineat. Ergo de jure naturali tenetur sub gravi eum resignare. Non enim propter commodum Episcopi constituta est diœcesis; sed ipse propter diœcesis bonum in ea constitutus est Episcopus. Ergo potest

Papa ei injungere ut resignet; dubium enim non est quin possit Papa ab Episcopis id exigere, ad quod sub gravi tenentur. Ergo nisi tunc Episcopus pareat, legitime imperanti Summo Pontifici inobediens est. Porro quando Episcopus Summo Pontifici legitime imperanti obedire pertinaciter renuit, patrat unum ex illis delictis, quæ de jure depositionem merentur. Ergo, nisi jussus episcopatui cedat, potest a Papa deponi. Et tunc deponetur, non ob aliquam antecedentem ejus culpam, siquidem eum supponimus omni huc usque culpa expertem; sed ob delictum quod tunc patrat, quando jussus resignare, Pontificio præcepto parere renuit.

Probatur 3°. — *Ex communi doctorum sententia, de potestate Papæ transferendi invitum Episcopum.* — De quæstione an possit Papa Episcopum adigere ad acceptandam aliam sedem, exstat aliqua controversia,quam infra exponimus.Atvero posse a Papa ob necessitatem utilitatemve invitum Episcopum transferri, saltem in eo sensu quod possit ea quam occupat sede privari, *communis* est sententia doctorum, prout sic testatur Fagnanus (in cap.*quanto,de translatione Episcopi*, n.101): « Indubitanter concludendum est, ex causa communis utili- « tatis vel necessitatis, Episcopum etiam invitum absolvi posse « a vinculo prioris ecclesiæ; ita ut, si Summi Pontificis volun- « tas sit eum omnino utcumque invitum transferre, illico « solvatur spirituale conjugium, et vacet ecclesia, nec ad eam « detur regressus. Hæc conclusio *communi omnium* consensu « recepta est. »

« In Ecclesiæ corpore,(ait Ægidius Cremonensis) secundum « veridicam Pauli sententiam, in uno eodemque spiritu multa « sunt membra, per diversa officia distributa. Quemadmodum « ergo divina veritas præcepit membrum illud quod reliquum « humanum corpus scandalizat, debere abscindi, et a reliqua « compage corporis separari, ita si Romanus Pontifex videt « aliquod Ecclesiæ membrum, id est, Episcopum inutilem « esse, eo quod propter ejus personam patiatur ecclesia per- « secutionem, et per ipsum reliqua membra scandalizentur.

« debet ex officii sui debito huic morbo antidotum parare, et « membrum illud ab eadem ecclesia abscindere, idest, amo« tionem seu translationem facere. » (Ægidius Cremonensis, citatus a Fagnano, in cap. *quanto, de transl. Episc.*, n. 61.)

Probatur 4°. — *Ex facto Pii VII.* — Anno 1801 ab omnibus Galliæ, Belgii et Sabaudiæ Episcopis sedium suarum renuntiationem postulavit : quam nisi infra præfixum terminum misissent, edixit se perinde acturum, ac si resignassent ; processurum nempe ad novam diœceseon circumscriptionem, et noviter erectarum regimen aliis Episcopis commissurum. Et reipsa, quamvis multi Episcopi hancce renuntiationem recusassent, ulterius progressus est Pontifex : extincta nempe omnium Episcoporum in priscas diœceses jurisdictione, per totum gallicanum imperium, quod tunc præfatis regionibus constabat, novis diœcesibus novos instituit Episcopos.

Porro factum istud probat ejusmodi potestatem Romano Pontifici competere. Etenim factum istud, quo Sedes Apostolica publice ac solemniter auctoritatem, qualem nunquam antea, exercuit, approbarunt ac legitimum existimarunt, præter paucos gallicanos, totius orbis Episcopi. Constat approbatio hæc, ex eo quod nullæ exortæ fuerint, præter istorum paucorum, reclamationes : item ex eo quod totius orbis Episcopi catholici cum recens institutis Episcopis communicaverint, eosque pro legitimis habuerint. Porro hæc agendi ratio legitimum probat dictum Pii VII factum : si enim non fuisset legitimum, defecisset vera Christi Ecclesia, non tantum in toto gallicano imperio, sed etiam in aliis regionibus. Nam omnes generatim Episcopi errassent, agnoscendo in Summo Pontifice auctoritatem quam non habuisset, et communicando cum tot Episcopis illegitime et nulliter a Pio VII institutis ; simulque cum eis errasset Summus Pontifex, hanc sibi potestatem tribuendo. Cum ergo nequeat Ecclesia deficere ac in errorem abripi, consequens est ut legitime Pius VII egerit ; ac proinde Sedi Apostolicæ dicta potestas revera competat.

Confirmatur ex subsecuta Pii VII agendi ratione. Nunquam

enim destitit præfatum actum pro legitimo ac canonico habere, atque nt pro tali haberetur constanter præcipere. Ab iis qui Concordato sese subjicere detrectaverant subscribendas formulas edixit, quibus errorem abjurarent. Cui pariter agendi rationi accessit omnium orbis Episcoporum assensus. Jussit anno 1818 Reverendissimus Poynter, Vicarius Apostolicus Londinensis, ut gallici omnes presbyteri in suo districtu degentes, expresse declararent se Romano Pontifici Pio VII tanquam Ecclesiæ capiti esse subjectos, ac cum eis omnibus communicare qui eidem Pontifici per communionis vinculum essent uniti. Eos autem qui formulæ subscribere renuerunt interdicto subjecit. Quod et approbavit Pius VII per Breve 18 septembris 1818 ad eumdem Reverendissimum Poynter directum; disponens præterea, ut prædictæ formulæ omnes præfati presbyteri, absque nlla suppressione, mntatione et restrictione subscriberent, vel celebrandæ missæ facultate privarentur.

Propositio IIª. — *Episcopi Galliæ qui Concordato anni* 1801 *acquiescere, et novarum diœceseon Episcopos pro legitimis habere renuerunt, fuere schismatici, et anathema Tridentini Concilii, canone* 8 *sessionis* 23 *pronuntiatum, incurrerunt.* — 1°, fuerunt schismatici. Etenim illi pro schismaticis habendi sunt, qui communicare recusant cum Episcopis catholicis, a legitima potestate missis et institutis; quique iisdem Episcopis legitime constitutis debitam subjectionem denegant. Porro Episcopi per Concordatum anni 1801 constituti legitimam missionem et institutionem habebant, prout ex præcedenti propositione sequitur. Ergo Præsules illi, necnon cæteri ipsis adhærentes clerici, qui præfatos novos Episcopos pro legitimis agnoscere renuerunt, vere fuernnt schismatici.

2° Incurrerunt insuper anathema, in hoc Tridentino canone pronuntiatum : *Si quis dixerit Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.* Etenim novi Episcopi, in vim Concordati anni 1801 instituti, auctoritate Romani Pontificis assumpti fnerant; et qui eos pro legitimis agnoscere

renuebant, id ipsum faciebant quod in canone damnatur; dicebant nempe illos Episcopos legitimos non esse.

Propositio IIIª. — *Ergo articulus declarationis gallicanæ anni* 1682, *quo asseritur, Papam non esse supra canones, ad minus erroneus est, et ad schisma aperte inducens.* — Nam Pius VII omnes Galliæ Episcopos removendo, ac priscas diœceses supprimendo, novasque constituendo, canones ac perpetuo huc usque servatam disciplinam posthabuit. Ergo si verus foret dictus articulus, illegitime ac nulliter egisset. Porro ita sentire de hoc Pii VII actu schismaticum est, ut propositione præcedenti ostendimus : ergo præfati articuli gallicani doctrina erronea est et ad schisma deducit.

Imo dictus articulus notari potest tanquam hæresi proximus. Nam illa opinio est hæresi proxima, ex qua *immediate* sequitur propositio hæretica : porro hæretica est propositio hæc, *Episcopi auctoritate Romani Pontificis assumpti non sunt legitimi;* siquidem octavus Tridentinus canon sessionis 23, illud asserentes anathematizat. Aliunde, nisi Papa sit supra canones, sequitur Episcopos aliquos auctoritate Romani Pontificis assumptos (eos nempe quos instituit contra canones) non esse legitimos. Ergo ex dicto gallicano articulo logice ac immediate sequitur propositio hæretica; ergo articulus ille est hæresi proximus.

Propositio IVª. — *An possit Romanus Pontifex sine ulla causa valide privare Episcopum sede sua, aut invitum transferre, controvertitur.* — Nonnulla hic prænotanda sunt, ut recte perspiciat lector verum hujus controversiæ sensum.

1° Conjungimus simul quæstionem *de privatione sine causa,* et quæstionem *de translatione inviti* pariter *sine causa;* quia eadem urgent quoad utramque rationes. Cæterum alias de translationibus quæstiones expendimus sequenti capite.

2° Circa quæstionem translationis inviti Episcopi, variæ exstiterunt doctorum sententiæ. Hanc opinandi varietatem refert Fagnanus (in cap. *quanto, de translatione Episcopi,* n. 15) : « Doctores, inquit, in varias opiniones scinduntur.

« *Prima* opinio est eorum qui putant Papam absolute non « posse Episcopum invitum transferre... *Secunda* opinio, « primæ opposita, est eorum qui arbitrantur Papam posse « Episcopum absolute transferre pro libitu voluntatis... Inter « has duas opiniones oppositas, est *tertia* media, quæ nec « absolute negat, nec absolute affirmat Episcopum invitum « posse per Summum Pontificem ad aliam ecclesiam trans- « ferri ; sed ita demum si concurrat causa utilitatis vel neces- « sitatis ecclesiæ ; alias secus. » Quosnam doctores unaquæque sententia sibi patronos habeat, et quibusnam argumentis defendi soleat, ibidem exponit Fagnanus.

« Arbitror, inquit idem Fagnanus, tria membra esse distin- « guenda : aut enim Summus Pontifex transfert Episcopum « invitum pro libitu voluntatis et sine ulla causa, ita ut hoc « sit certum ; aut illum transfert ex causa, adeo ut hoc simi- « liter sit certum ; aut dubium est, an illum ex causa trans- « ferat, necne. Quoad primum membrum, concludendum est, « translationem Episcopi inviti, pro libitu voluntatis et sine « ulla causa factam, non sustineri. » (In cap. *quanto, de transl. Episc.*, n. 73 et 74.)

3° Quod sufficiat causa quam ipse Pontifex justam existimet, nec teneatur Papa causæ justitiam probare, atque in dubio an Papa egerit necne ex justa causa standum sit pro valore actus, probamus sequenti propositione : unde hic casum illum dumtaxat expendimus, quo Papa Episcopum deponeret aut invitum transferret, sciens et manifestum faciens se id facere absque ulla necessitatis aut utilitatis causa. Qui casus, etsi in praxi chimericus, confert tamen ad recte dignoscendam hac in re Pontificiam auctoritatem. His prænotatis, exponemus utriusque sententiæ rationes.

I. Rationes sententiæ negantis. — Illius scilicet quæ negat posse *valide* a Papa deponi Episcopum, aut invitum transferri, absque ulla causa.

Probatur 1°. — *Ex eo quod nequeat Papa, nisi per modum dispensationis, vinculum solvere, quo Episcopus quisque ecclesiæ*

suæ alligatur. — Nam Episcopum inter et ipsius ecclesiam existit verum vinculum, quod spirituale conjugium vocari solet. Estque ligamen istud de se perpetuum; et quamvis controvertatur utrum sit institutionis mere ecclesiasticæ, vel divinæ, communior tamen sententia vinculum illud ad jus divinum refert. Cui saue communiori sententiæ aperte favent hæc Innocentii III verba (C. *inter, de transl. Episc.*) : *Cum ergo fortius sit spirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet, quin Omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum et ecclesiam, suo tantum judicio reservavit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum et fœminam, suo tantum judicio reservavit. Non enim humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem aut cessionem auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Jesu Christi) Episcopus ab ecclesia removetur.* Obligatio ergo qua tenetur Episcopus ecclesiam suam non deserere, ad jus divinum saltem probabilius pertinet; Summus autem Pontifex nequit jus divinum abrogare, quia nullus inferior legem superioris abrogare valet. At bene potest iu eo dispensare, iu multis materiis. Poterit ergo dictum vinculum solvere, sed dumtaxat per modum dispensationis. Jam vero extra controversiam est, nec licitam nec validam esse dispensationem, quæ fit sine justa causa : quia legislator non censetur hanc dispensandi facultatem iuferioribus concessisse, nisi pro casibus quibus justa urgeret causa dispensationis. Quod a fortiori verum est de Summo Pontifice respectu Dei. « In his quæ sunt de jure divino, ait « Fagnanus, Papa dispensare non potest, in casibus sibi per« missis, sine justa et rationabili causa (capite *litteras; de « restit. spoliat.;* capite *sunt quidam* 25, q. 1; capite *quanto, « de jurejurando*). Et est theorica Innocentii, communiter « approbata. » (Loco citato, n. 62.) Ergo revera si conscius sit Papa nullam adesse justam causam, nec licite nec valide Episcopum deponere poterit, aut invitum transferre.

Probatur 2°. — Ex eo quod admitti nequeat, Episcopos esse ad

tempus, seu ad beneplacitum Romani Pontificis, ecclesiis suis conjunctos. — « Si Papa ad nutum posset Episcopos a prioribus « ecclesiis amovendo transferre, iidem Episcopi dicerentur « quodammodo ad tempus, id est, ad beneplacitum Papæ, « matrimonium cum sua ecclesia contraxisse, quod est absur- « dum; quia sicut non potest contrahi ad tempus matrimo- « nium carnale, ita nec spirituale, illi æquiparatum. » (Fagnanus, loco cit., n. 24.) Quod ibi dicit Fagnanus de translatione inviti, a fortiori valet quoad depositionem absque ulla causa.

Probatur 3°. — *Ex variis aliis rationibus adduci solitis.* — Eas rationes sic memorat Fagnanus (ibidem, n. 71) : « Dissol- « vere hujus spiritualis conjugii vinculum ex nuda voluntate, « non adminiculante aliqua justitiæ causa, est contra divinam « dispositionem, contra Apostolorum ordinationem, contra « Conciliorum auctoritatem, contra Romanorum Pontificum « sanctiones, et contra juris naturalis rationem. Et singula « hæc membra egregie probat Abbas... »

Adducit etiam Fagnanus, quoad translationem inviti, rationem hanc (cap. *quanto, de translat. Episc.*, n. 70) : « Non « potest Papa rem uni ecclesiæ auferre et dare alteri (capite « *ecce* et capite *nullus* 99 distinctionis; capite *de ecclesiasticis,* « 25, q. 2), nisi justa causa subsit... Et ratio est quia Papa « non est absolute dominus bonorum Ecclesiæ, sed dispen- « sator... Ergo nec potest alicui ecclesiæ Episcopum suum « auferre et dare alteri, sine justa causa. »

Objicies 1°. — Omnia mundi beneficia respectu Papæ manualia sunt, juxta celebre Baldi effatum, quod sequuntur doctores communiter ; ita ut possit Summus Pontifex ea quibus libuerit dare et auferre : ergo et episcopatum potest Episcopo auferre sine ulla causa. — « Respondetur, quidquid « sit in beneficiis inferioribus.., certe in episcopatibus dictum « Baldi non procedere ; quia cum in his agatur de spirituali « conjugio, cujus dissolutionem Deus suo judicio reservavit, « ut in superioribus probatum est, repugnat sacris regulis,

« ut Episcopi quasi manuales capellani sint ad nutum amo-
« vibiles. » (Fagnanus, loco cit., n. 77.)

Objicies 2°. — « Glossa in caput *per principalem* (9, q. 3) « firmat Papam posse Episcopum deponere etiam sine causa, « licet secus sit si vellet omnes Episcopos deponere ; quia hoc « esset turbare statum universalis Ecclesiæ. » Et hanc glossam multi sequuntur. — Respondetur : « Glossa in dictum « caput *per principalem,* tantum dicit Papam posse Episcopum « deponere ; sed non dicit *sine causa,* prout ei doctores imponunt. » (Objectionem et responsum desumpsimus ex Fagnano, loco cit., n. 40 et 78.)

Objicies 3°. — Titulos beneficiales, et signanter patriarchatus et archiepiscopatus Romana Ecclesia fundavit : proinde si Papa Episcopum a diœcesis administratione removeat, injuriam ipsi non facit : hinc adnotavit Eugenius IV (decretali *non mediocri,* § *quod vero*) remoti Episcopi querelis posse opponi a Papa illud Evangelii : *amice non facio tibi injuriam ; numquid non licet de meo facere quod volo?* Ergo revera potest Papa Episcopum absque causa removere.—Respondetur : Ex eo quod Ecclesia Romana episcopatus fundaverit, non sequitur posse absque ulla causa Episcopum a Papa removeri. Nam semel ac Episcopus alicui ecclesiæ præfectus fuit, oritur de jure divino ipsum inter et illam ecclesiam vinculum de se perpetuum. Nec potest Papa impedire quin hoc vinculum oriatur. Et quamvis possit Episcopum ab isto ligamine solvere, quia tamen obligatio illa juris divini est, nequit solvere nisi dispensando ; ac proinde nonnisi ex justa causa. Unde tandem, nisi adsit justa causa, solutio dicti vinculi Papæ potestatem excedit. Interveniente autem justa causa, bene potest Romanus Pontifex Episcopum removere ; et quoad hunc casum intelligendum est allegatum dictum Eugenii IV.

II. Rationes sententiæ affirmantis. — Illius nempe quæ tenet, validam fore Episcopi depositionem, aut inviti translationem, absque ulla necessitatis aut utilitatis causa factam a Romano Pontifice.

1° Hanc sententiam veram probant rationes omnes quibus probatur Episcopis jurisdictionem conferri immediate a Papa. Nam si jurisdictio Episcopis conferatur, non immediate a Christo, sed dumtaxat per voluntatem Summi Pontificis, ab eadem Pontificia voluntate tota pendebit Episcoporum jurisdictio. Tunc nempe aliam habere nequit Episcopus jurisdictionem, nisi eam quam ipsi Romanus Pontifex vi voluntatis suæ communicat; et pariter eam habere nequit nisi quandiu eam ipsi Papa communicat. Est quippe in hac hypothesi Pontificia voluntas totus et unicus immediatus fons episcopalis jurisdictionis. Unde cum jurisdictio Episcopi non subsistat nisi ex voluntate et per voluntatem Summi Pontificis, cessante illa Summi Pontificis voluntate, hoc ipso cessabit Episcopi jurisdictio. Ergo etiamsi absque rationabili causa, imo etiamsi ex pravo motivo Episcopum sede sua privaret Summus Pontifex, valida foret depositio, quamvis illicita.

2° Non valent rationes in oppositum. Nam præcipuæ ex illis rationibus sunt istæ : *primo,* vinculum quo Episcopus ecclesiæ suæ devincitur juris divini est; unde Papa nequit vinculum illud solvere, nisi per viam dispensationis, ac proinde nisi ex rationabili causa; *secundo,* sequeretur absurdum, nempe Episcopos esse ad nutum amovibiles.

Porro non valet *prior ratio.* Nam quod dictum vinculum sit juris divini, asseritur quidem, sed non probatur, et hoc ipsum negant multi. Sustinet Suarez probibitas fuisse translationes jure dumtaxat ecclesiastico, non autem jure divino (vide S. Ligorium, l. 4, n. 104) : at si juris divini foret dictum vinculum, etiam jure divino prohibitæ forent translationes. Nec obstat textus Innocentii III supra allatus, id est, caput *inter, de translatione Episcoporum.* Equidem dicit Innocentius III Deum *judicio suo reservasse* hujus vinculi dissolutionem : at simul dicit vinculum illud dissolvi *divina potestate,* hoc ipso quod dissolvatur *auctoritate Summi Pontificis,* eo quod Romanus Pontifex sit Christi Vicarius. Unde id tantum firmare voluisse videtur Innocentius III, esse hujus vinculi dissolu-

tionem, id est Episcoporum depositionem, translationem et cessionem, soli Romano Pontifici ex divina dispositione reservatam.

Nec valet *posterior ratio:* nam ut Episcopi non sint ad nutum amovibiles, sufficit eos non posse *licite* sedibus suis privari absque justa necessitatis aut utilitatis causa : non autem necesse est ut non possint privari *valide.*

PROPOSITIO V^a. — *Ut Summus Pontifex valide Episcopum sede sua privet, aut invitum transferat, sufficit ut ipse existimet adesse justam necessitatis aut utilitatis causam ; non autem necesse est ut aliis probet hanc causam revera existere.* — Sub præcedenti propositione quæstionem expendimus, an Papa valide possit *absque ulla causa* Episcopum deponere aut invitum transferre; et vidimus quæstionem hanc controverti. Hic vero casum expendimus quo Papa *existimat adesse* necessitatis aut utilitatis causam, et ex hac sua persuasione privationem vel translationem inviti decernit. Et cum possit contingere ut Episcopus sic depositus vel invite translatus prætendat Papam deceptum fuisse, et nullam revera adfuisse necessitatis aut utilitatis causam, quærimus, num sufficiat ad validam depositionem et inviti translationem, ut Papa existimet adesse dictam causam, an vero necesse sit hujusce causæ existentiam probari. Dicimus autem sufficere ut Papa causam illam adesse existimet. Neque id ad controversas opinionés pertinet, sed est omnino tenendum. Nam,

Etiam in opinione quæ contendit juris divini esse vinculum quo Episcopus ecclesiæ suæ devincitur, tanquam omnino certum admittitur posse Papam per viam dispensationis vinculum illud solvere, sicque Episcopum sede sua privare. Ita nempe, juxta illam opinionem, Christus legem illam, Episcopum ecclesiæ suæ perpetuo alligantem instituit, ut simul Romano Pontifici facultatem fecerit in ea lege dispensandi ex justa causa. Porro in omnibus juris divini materiis, in quibus censetur Christus Romano Pontifici potestatem ex justa causa dispensandi tribuisse, simul censetur eidem reliquisse *judicium*

de justæ causæ existentia. Nisi enim ad Papam pertineret judicare an adsit necne justa illa causa, quis in Ecclesia hocce judicium sibi vindicare posset? Sane aliorum Ecclesiæ tribunalium judicia reformari possunt a Romano Pontifice : at de Sedis Apostolicæ judicio nulli fas est judicare. Ergo revera judicium illud, an adsit necne justa causa Episcopum privandi, aut invitum transferendi, ad ipsummet Romanum Pontificem pertinet, et non ad alios. Quod si Papa in hoc ipso judicio erret, nihilominus valebit actus : si enim Christus dispensandi facultatem ei non tribuisset, nisi sub hac conditione, quod non erraret existimando adesse justam causam, haud sapienter egisset. Cum nempe in hisce particularibus negotiis infallibilitatis prærogativam Romano Pontifici non dederit, nunquam certum omnino foret validam esse depositionem aut inviti translationem, quam faciendam duxisset Papa ex causa necessitatis aut utilitatis.

Ergo tandem quando Papa Episcopum sede sua privat, aut invitum transfert, existimando adesse sufficientem utilitatis causam, certo valet actus, quantumvis prætendatur non adesse illam utilitatis causam, et etiamsi revera non adesset. Satis est nempe ut Papa eam adesse existimet et judicet.

Nota. — Etiam in dubio an Papa Episcopum privet aut invitum transferat ex mero libitu, id est, quin ipse existimet adesse sufficientem utilitatis causam, adhuc standum foret pro valore actus. Si enim pro superioribus præsumptio de jure stare debeat, quanto magis ubi agitur de totius Ecclesiæ Superiore et Christi in terris Vicario. Imo Summo Pontifici injuriosum foret tale dubium. Haud enim fas est supponere ipsum ad pronuntiandam depositionem devenisse, quamvis nec necessarium nec utile id existimaverit; quia talis ejus agendi ratio peccaminosa foret, nec proinde supponenda est nisi probetur.

CAPUT II.

DE EPISCOPORUM TRANSLATIONIBUS.

Dicemus 1°, quænam fuerit vetus disciplina circa translationes : 2°, quodnam circa eosdem hodiernum jus : 3°, quandonam cesset Episcopi translati jurisdictio, et ejusdem potestas beneficia conferendi.

§ I.

Quænam fuerit vetus disciplina circa translationes Episcoporum.

Propositio Iª. — *Certum est rigorose prohibitas fuisse antiquitus Episcoporum translationes.* — In decimo tertio ex iis canonibus qui *Apostolici* dicuntur, quique (ex opinione eruditorum) disciplinam Nicænæ Synodo anteriorem exprimunt, sic habetur : *Episcopo non liceat sua relicta parochia ad aliam transilire, etiamsi a pluribus cogatur.* Huic tamen generali prohibitioni idem canon exceptionem istam apponit : *Nisi sit aliqua causa rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere, utpote ad majus lucrum, cum possit ipse iis qui illic habitant pietatis verbo conferre : idque non ex se, sed multorum Episcoporum judicio et maxima exhortatione.* Ex ista permissa exceptione orti sunt, in Oriente præsertim, abusus plurimi : sæpius nempe procurabant Episcopi, sub majoris spiritualis boni specie, se ad nobiliorum et majorum civitatum episcopales sedes transferri. Ad quem abusum tollendum severius a Conciliis et Romanis Pontificibus translatioues prohibitæ sunt. Nimirum,

Nicæna Synodus, canone 21, ita sancivit : *Propter multas perturbationes et seditiones quæ fieri solent, placuit omnino abscidi istam consuetudinem, si contra regulam repertus fuerit in aliquibus partibus e civitate ad civitatem transire vel Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel clericus. Si quis vero post hæc statuta sancti hujus Concilii tale aliquid audere tentaverit, infringetur*

omni genere hujusmodi conatus, et restituetur propriæ ecclesiæ, in qua Episcopus, vel diaconus, vel presbyter ordinatus est.

In Concilio Antiocheno anni 341, canone 20 : *Episcopus de diœcesi ad diœcesim alteram non debet transire : neque si seipsum ingesserit, neque si a populo fuerit violenter attractus, neque si etiam hoc ei ab Episcopis suadeatur. Manere autem eum in ecclesia Dei debere, quam initio sortitus est, et non ab ea alio demigrare, secundum regulam super hoc a Patribus olim constitutam.*

In Concilio Sardicensi, canone 1 : *Osius Episcopus dixit : Non minus mala consuetudo quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de civitate sua ad aliam civitatem transire. Manifesta enim est causa qua hoc facere tentat; cum nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majori civitate ad minorem transiret. Unde apparet avaritiæ eos ardore inflammari, et ambitioni servire, ut dominationem agant. Si ergo omnibus placet, hujusmodi pernicies sævius et austerius vindicetur, ut nec laicam communionem habeat, qui talis est. Responderunt universi : placet.*

S. Damasus Papa, ad Paulinum Antiochenum Episcopum (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 513) : *Eos quoque qui de ecclesiis ad ecclesias migraverunt, tamdiu a communione nostra habemus alienos, quamdiu ad eas redierint civitates, in quibus primum sunt constituti. Quod si alius, alio transmigrante, in loco viventis est ordinatus, tamdiu vacet sacerdotii dignitate qui suam deseruit civitatem, quamdiu successor ejus quiescat in Domino.* Aliam similem ejusdem Pontificis sanctionem reperies apud Coustant, col. 538.

S. Leo Magnus : *Si quis Episcopus civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, et ad majorem se plebem quacumque ratione transtulerit, a cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit et propria : ut nec illis præsideat quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit* (in editione operum S. Leonis a Balleriniis fratribus, tomo 1, col. 689). Plura ejusmodi antiquitatis monumenta reperiet lector apud Bianchi (*della Potesta e politia della Chiesa*, tomo 1,

parte 1, pag. 395 et seq., edit. Romæ 1750). Pauca autem quæ adduximus plane sufficiunt ad evincendam positæ conclusionis veritatem.

PROPOSITIO IIª. — *Etsi rigorose translationes Episcoporum prohiberet vetus disciplina, poterat tamen hac in re dispensari, et revera dispensabatur, ob causam necessitatis aut utilitatis ecclesiarum.* — Id communiter tanquam certum admittunt eruditi. Et probatur sufficienter ex factis, quæ sequenti propositione adducimus. Licet enim ea facta ibi referamus ad aliam firmandam conclusionem, præsentem tamen simul veram probant (videatur insuper Zaccaria, *Antifebronio*, tomo 3, p. 193 et seq., edit. Cesenæ 1770).

PROPOSITIO IIIª. — *Dispensatio pro transferendis Episcopis, etiam antiquitus Romano Pontifici reservata erat.* — Hic adversarios habemus, non tantum Febronium et similes heterodoxos, sed etiam non paucos scriptores catholicos. Contendunt nempe ad provincialia Concilia pertinuisse olim dispensationem pro transferendis Episcopis, et durasse illam disciplinam per novem priora sæcula. Unde concludit Febronius, Romanos Pontifices sibi indebite, violatis Conciliorum provincialium juribus, Episcoporum translationes reservasse. Quam episcopalium jurium prætensam invasionem Innocentio III potissimum adscribit, utpote qui primus, quadam falsa decretali deceptus, de Episcoporum depositionibus, translationibus et cessionibus ita sanxerit : *Tria hæc quæ præmisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina, soli sunt Romano Pontifici reservata* (cap. *inter*, 10 *de translat. Episc.*). A qua Febronii impudentia prorsus recedunt ii scriptores catholici, qui (ut diximus) existimarunt per novem priora sæcula penes provinciales Synodos jus dispensandi quoad Episcoporum translationes : simul enim docent potuisse Apostolicam Sedem hasce translationes sibi reservare.

Nos dicimus, etiam juxta veterem disciplinam Romano Pontifici reservatas fuisse Episcoporum translationes, quod probamus sequentibus factis.

1° Circa annum 419 in civitatis Petræ Episcopum legitime ordinatus est Perigenes, a Synodo provinciali Achaiæ. At dictæ civitatis populus noluit eum recipere, neque etiam urbis ingressum ipsi permittere. Hinc per aliquot annos permansit Perigenes Corinthi, e qua civitate oriundus erat, et in qua ipsius consecratio peracta fuerat. Contigit autem vacare Corinthiacam sedem, atque Perigenem sibi in Episcopum constitui Corinthiani postularunt. Sed obstabant canones, unius civitatis Episcopum ad aliam transferri vetantes. Quid tum a Concilio provinciali, Corinthi adunato, peractum est? An sibi jus adscripsit concedendæ dispensationis? Nequaquam : sed obtinendam existimavit a Romano Pontifice. Postularunt Concilii Patres, simul cum clero et populo Corinthiano, a Bonifacio I, ut sibi liceret Perigenem in Corinthi Episcopum retinere. Jussit Bonifacius I, Vicario suo Apostolico Rufo, Thessalonicensi Archiepiscopo, ut informationem de hac re caperet atque Romam transmitteret. Qua recepta, Perigenem in Corinthi Episcopum constituit, et decreti sui executionem eidem Apostolico Vicario commisit; simulque censuras ecclesiasticas iis comminatus est, qui dicti decreti executionem præpedire præsumerent (videantur in collectionibus Conciliorum epistolæ 2 et 15 Bonifacii I). Sane si jus habuisset Concilium provinciale Corinthi adunatum dispensationem concedendi, non eam a Bonifacio I expostulasset.

2° Anno 424 in Episcopum Siziceuæ civitatis ordinatus est Proclus. At illius civitatis populus eum recipere noluit. Bis cogitatum est de assumendo eodem Proclo in Constantinopolitanum Episcopum : primo nempe, quando vacavit sedes Constantinopolitana per mortem Sisinnii, anno 427, secundo, in Concilio œcumenico Ephesino, quando depositus est Nestorius, anno 431. Sed quia ordinatus fuerat Episcopus Sizici, promotio hæc facta non est. Unde non putavit Ephesina Synodus sibi jus competere hac in re dispensandi. Tandem iterum vacante sede Constantinopolitana, anno 434, ad eam evehi Proclum voluerunt Constantinopolitani. At quid tunc agendum existi-

marunt? An recurrerunt ad provinciale Concilium pro obtinenda dispensatione? Minime, sed factus est recursus ad Romanum Pontificem (vide documenta apud Zaccariam, *Antifebronio,* tomo 3, pag. 196 et seq., edit. Cescuæ 1770).

3° Anno 465, vacante in Hispania Barcinonensi sede, postulavit clerus et populus Barcinonensis a Concilio Tarraconensis provinciæ, ut sibi Episcopus præficeretur Irenæus, alterius civitatis Episcopus. Votis annuendum duxit provinciale Concilium. Quapropter ipsi quidem hujus Concilii Patres translationem decreverunt, sed hujusce sui decreti confirmationem ab Hilario Papa postularunt: *Ergo suppliciter precamur Apostolatum vestrum, ut humilitatis nostræ decretum, quod juste a nobis videtur factum, vestra auctoritate firmetis* (apud Concilia Mansi, tomo 7, col. 926). Pontifex vero, non tantum id non concessit, sed insuper dictos Episcopos graviter commonuit perperam eos egisse. Sic nempe rescripsit ad eorum Metropolitanum Ascanium: *Unde remoto ab ecclesia Barcinonensi atque ad sua remisso Irenæo Episcopo, sedatis per sacerdotalem modestiam voluntatibus, quæ per ignorantiam ecclesiasticarum legum desiderant quod non licet obtinere; talis protinus de clero proprio Barcinonensibus Episcopus ordinetur, qualem te præcipue, frater Ascani, oporteat eligere et deceat consecrare : ne si similiter forte factum fuerit, non sine objurgatione tui maxime nominis retundat nostra præceptio* (apud Mansi, loco citato, col. 928). Sane si penes Concilium provinciale stetisset jus dispensandi pro transferendis Episcopis, fas sibi non existimasset Romanus Pontifex ejusmodi tentamen, si forte renovari contingeret, *retundere,* et Metropolitanum *objurgare;* quod tamen se facturum, si talia iterum attententur, tam acriter comminatur. Et notetur hujusce Concilii Patres non sibi jus adscripsisse translationem definitive pronuntiandi, sed decreti sui confirmationem a Papa expostulasse : et tamen eos reprehendit Summus Pontifex quod anticanonice egerint.

Nota. — Non aliter olim Romani Pontifices translationibus assentiebant quam dispensando super canonibus et Pontificiis

decretis eas prohibentibus. Ejusmodi porro dispensatio cleri et populi petitionem supponebat, necnon præviam sententiam Concilii provincialis; quam sententiam prævio pro informatione requirebat Sedes Apostolica. Unde in praxi requirebatur simul judicium Concilii provincialis *perfecti*, id est, Metropolitani cum suffraganeis, et Sedis Apostolicæ consensio. Non ergo mirum videri debet inter antiqua documenta reperiri de transferendis Episcopis Synodalia judicia. Hæcce judicia pro informando Romano Pontifice prævio requisita, non erant definitiva, nec per se licitas reddebant translationes, nisi accederet Pontificia dispensatio (vide apud Bianchi, tomi 5, parte 1, pagina 439, edit. Romæ 1750). Id adnotamus ad sequentium documentorum intelligentiam.

4° Celebris fuit Actardi Nanneticæ civitatis (Nantes) Episcopi ad sedem Turonensem translatio, quæ circa annum 871 hoc modo contigit: diruta penitus a Northmannis fuerat Nannetica urbs, nec spes affulgebat fore ut iterum extrueretur. Hinc vehementer optabant rex Galliæ Carolus Calvus, et Suessionensis Concilii Patres (de quorum numero erat Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus), ut Actardus ad primo vacaturam Galliæ sedem promoveretur. Id ut obtinerent recurrerunt ad Sedem Apostolicam. Scripserunt nempe ad Nicolaum I; rex quidem his verbis: *Actardum Nanneticæ quondam sedis venerabilem Episcopum, exilium, vincula, mare, dura pericula passum, sed gratia Dei liberatum, Northmannis nimium Britonibusque vicinum (ac perinde civitas sibi commissa, olim florentissima, nunc exusta et funditus diruta, redacta per decennium cernitur in eremum) fidelem legatum nostrum vestræ sanctissimæ Paternitati dirigimus... Cui, quia nulla manet spes in propria, si annuit et favet vigilantissima vestræ discretionis solertia, voluntate et mente promptissima optamus, vacantis sedis constituatur in cathedra, quo possit injuncta sibi et ordinata peragere ministeria, quoque valeat utilitatibus ecclesiasticis et obsequiis parere nostris.* Similia Nicolao I scripserunt Suessionensis Concilii Patres (apud Labbe, edit. Venet., tomo X, col. 321 et 383).

Petitioni annuens Adrianus II, qui Nicolao I interea successerat, rescripsit: *Qua de re secuti prædecessorum Patrum instituta, et Apostolicæ Sedis exempla Pontificum, præcipueque Beati Papæ Gregorii, qui circa hujusmodi, quæ nos nunc erga præfatum Antistitem Deo favente statuimus, sæpe statuisse dignoscitur, decernimus hunc sanctissimum crebro jam dictum fratrem nostrum et coepiscopum Actardum ecclesiæ, quæ forte suo fuerit viduata rectore, penitus incardinari... : si tamen ejus ecclesia, ut... vestrarum litterarum circumstantia innuit, funditus diruta*, etc.

Elapsis quinque annis vacavit sedes Turonensis ; Patresque Duziacensis Concilii, etsi potuissent, vi concessionis ab Adriano II obtentæ, Actardum Turonensi ecclesiæ præficere, iterum tamen Sedem Apostolicam litteris adierunt : quarum litterarum hæc præcipue attendenda sunt verba : *Quem licet, juxta Antiochenos canones perfecto Concilio, atque secundum Apostolicas vestras litteras, vacanti ecclesiæ incardinare possemus ; quia tamen Turonensis ecclesia ex antiquo metropolis et Beati Martini meritis famosissima et honorabilis semper exstitit; et præfatus frater noster Actardus venerabilis Episcopus genio Pallii a benignitate vestra est honoratus ; rationabilius vidimus, ut petione cleri ac plebis ipsius ecclesiæ et consensu nostræ unanimitatis, ac favore domini nostri Caroli regis gloriosi, a vestra auctoritate eidem incardinetur ecclesiæ*,

Ex hisce documentis, Actardi translationem concernentibus, sic arguendum venit : si penes Concilia provincialia stetisset jus Episcopos transferendi, rex et Episcopi Galliæ pro obtinenda Actardi ad aliam sedem promotione, ad Romanum Pontificem non recurrissent ; sed ipsimet translationem decrevissent : item Adrianus II dispensationem non concessisset sub hac conditione, dummodo vera sit vestra relatio de totali urbis Nanneticæ dirutione ; utpote quem non fugisset, validam futuram fuisse translationem, quam Episcopi Galliæ, non obstante hac restrictione, per seipsos solos decrevissent. Ergo documenta hæc supponunt omnimodam tunc exstitisse persuasionem, de reservatis Sedi Apostolicæ translationibus.

Id magis patebit ex solutione objectionum, quæ ex hoc eodem facto desumi solent.

Objicies 1°. — Expresse dicunt Duziacensis Concilii Patres se potuisse Actardum ad Turonensem ecclesiam transferre vi canonum Antiochenorum, concto perfecto Concilio : *Juxta Antiochenos canones perfecto Concilio.*

Respondeo :—1° Non dicunt tantum *juxta Antiochenos canones*, sed addunt, *atque vestras litteras*. Exprimunt nempe receptam disciplinam, qua simul requirebatur (ut supra notavimus) judicium provincialis Concilii et consensus Romani Pontificis; quia non dispensabat Sedes Apostolica nisi prævio cognita provincialium Episcoporum sententia. 2° Si existimassent Duziacensis Concilii Patres, vi sola canonum Antiochenorum, sibi jus competere transferendi Episcopos, aperte errassent. Loquuntur enim (ut fatentur omnes) de canone Antiocheno decimo sexto, cujus hæc verba sunt : *Si quis Episcopus vacans in ecclesiam vacantem supervenerit, et hanc obrepenter, præter plenariam Synodum, arripiendam esse crediderit, hunc abjici oportet, tametsi eum plebs quam arripuit, velit sibi Episcopum retinere. Illa autem dicitur Synodus esse plenaria, in qua etiam Metropolitanus Episcopus affuerit* (operum S. Leonis, tomo 3, col. 429, edit. Ballerinorum). Ibi agitur dumtaxat de Episcopis *vacantibus*, id est, qui nulli ecclesiæ incardinati seu præfecti fuerant, sed quibus honoris dumtaxat causa consecratio episcopalis impertita fuerat ; quales fuerunt illi de quibus loquitur Sozomenus (*Hist. eccl.*, l. 6, c. 34). Porro quod Episcopi, quibus nulla ecclesia regenda commissa fuerat, potuerint a Concilio provinciali alicui diœcesi præfici, nullus unquam in dubium vocavit. Sed tunc non fiebat translatio ab una ad alteram sedem. Unde canon ille perperam adducitur ad vindicandam provinciali Concilio Episcopos transferendi potestatem.

Objicies 2°, — Verba Hincmari : « Si autem causa certa « necessitatis vel utilitatis exegerit, ut quilibet Episcopus, de « civitate in qua ordinatus est, transferatur ad aliam civita-

« tem, *synodali dispositione*, VEL *Apostolicæ Sedis consensione* « apertissima ratione manifestum fieri debet. » (Opera Hincmari, tomo 2, pag. 744, edit. Sirmondi.) Ex illa particula *vel* probat Thomassinus, in ea sententia fuisse Hincmarum : quod translatio ex causa utilitatis fieri potuerit alterutro modo ; id est, vel sola auctoritate provincialis Synodi, vel sola auctoritate Romani Pontificis.

Respondeo cum Zaccaria *(Antifebronio*, tomo 3, pag. 206, edit. Cesenæ 1770) errasse Thomassinum circa sensum illius particulæ *vel*. In stylo quippe hujus temporis adhibebatur tanquam synonima particulæ *et*, prout videri potest apud Ducange. Sufficiat unum exemplum subjicere : « Quæ quasi « synodaliter definita... et a tribus Patriarchis, id est, Con« stantinopolitano, Alexandrino et Antiocheno, *vel* cæteris « præsulibus qui eo tempore illic convenerant, subscripta « erant. » (Anastasius Bibliothecarius tomo 1 pag. 307, edit. Vignol.) Hinc Ivo Carnutensis, eamdem quam Hincmarus sententiam exprimens ponit particulam *et :* « Translationes « Episcoporum, necessitate urgente, Metropolitani auctori« tate, *et* Summi Pontificis dispensatione fieri oportet. » (Epist. 171.) Unde in objectis verbis non aliud voluit Hincmarus, quam posse transferri ex causa utilitatis Episcopos, interveniente simul Synodi judicio *et* Romani Pontificis auctoritate. Requirebatur nempe prævio Synodi aut Metropolitani judicium translationem approbans, quia secus dispensationem non concedebat Romanus Pontifex.

5° Reservatas olim fuisse Romano Pontifici Episcoporum translationes probat etiam modus quo de Burdigalensi ad Bythuricensem ecclesiam translatus est Frotarius, anno 876. Rem narratam vide apud Zaccariam *(Antifebronio*, tomo 3, pag. 211, edit. Cesenæ 1770).

Ex adductis autem factis et documentis facile perspiciet lector, prorsus errasse Febronium, Gibert et alios (ex Gallia non paucos) scriptores, qui tenent, imo et tanquam indubitatum fidenter asserunt, per novem priora sæcula, stetisse

penes provincialia Concilia jus transferendi ex causa utilitatis Episcopos, et nequaquam Romano Pontifici reservatum fuisse jus illud toto hoc temporis tractu.

Ergo, non falsa decretali deceptus, sed antiquam exprimens disciplinam, asserebat Innocentius III (cap. *inter, de translat. Episc.*), *soli Romano Pontifici* reservatas esse Episcoporum translationes, prout et depositiones ac dimissiones. Quod autem addidit, *non tam constitutione canonica quam institutione divina*, id juris inductum, rigorose verum est eo sensu, quod dictum jus Romani Pontificis reservandi sibi Episcoporum depositiones, translationes et cessiones, non ei collatum fuerit a Conciliis, aut aliqua alia humana auctoritate, sed ab ipsomet Christo Domino, dum Petrum et successores ejus plena donavit potestate universalem Ecclesiam pascendi, regendi ac gubernandi.

§ II.

Exponitur hodiernum jus quoad Episcoporum translationes.

Prænotandum. — Sub hoc paragrapho jus hodiernum exponimus circa varias de translationibus quæstiones, una excepta : quæstionem videlicet, a quo tempore cesset Episcopi translati potestas, ad sequentem paragraphum, seorsim (pro rei gravitate) pertractandam, remittimus.

Propositio I^a^. — *An Episcoporum translationes de jure divino sint prohibitæ, controvertitur.* — Controversiam sic exponit sanctus Ligorius (l. 4, n. 104) : « *Prima* sententia tenet translationem Episcoporum esse tantum vetitam de jure ecclesiastico... Ratio, quia alias si esset vetita de jure divino, non sufficeret quælibet utilis et honesta causa ad dispensandum ; sed in capite *nisi* (*de renuntiatione*) Pontifex loquens de renuntiatione episcopatus, expresse dixit : *Ut si propter aliquam causam utilem et honestam in hujusmodi proposito perseveres, de licentia nostra cedas.* Ex quo infertur, Papam sine

« causa valide dispensare ; et cum aliqua causa, etiam licite. « Ita mordicus tuetur Suarez (tomo 3 *de Religione*, l. 1, c. 16), « cum Hostiensi... *Secunda* vero sententia, communior et mihi « longe probabilior, docet Episcopos teneri jure divino per- « manere in suis episcopatibus : ideo nec licite nec valide « posse Papam cum eis dispensare sine valde gravi causa. « Probatur ex capite *inter corporalia (de translatione Episcopi),* « ratio autem hujus naturalis indissolutionis est, quia alias « innumerabilia inconvenientia evenirent ; præsertim quia « Episcopi multum deficerent in dilectione suarum ecclesia- « rum, et ipsæ ecclesiæ parum bene regerentur... »

Propositio IIª. — *An possit Papa, valide Episcopum transferre, absque ulla necessitatis aut utilitatis causa, controvertitur.* — Nam si translationes sint de jure divino prohibitæ, non poterit Papa vinculum quo Episcopus suæ ecclesiæ devincitur valide solvere, nisi per modum dispensationis, ac proinde sine justa ac rationabili causa. Sin vero translationes jus divinum non prohibeat, sed dumtaxat jus ecclesiasticum, poterit Papa, etiam absque ulla causa Episcopum *valide* transferre.

Propositio IIIª. — *An possit Papa licite Episcopum transferre ex alia quam utilitatis ecclesiarum causa, pariter controverti potest.* — Adhuc nempe solutio hujusce quæstionis pendet a controversia, an translationes jure divino prohibitæ sint, vel dumtaxat jure ecclesiastico : si jure divino, non tantum illicita erit, sed etiam invalida translatio, absque causa utilitatis peracta : si jure dumtaxat ecclesiastico, cum leges mere ecclesiasticæ non habeant quoad Papam nisi vim directivam, non autem obligatoriam, et possit licite ab eis recedere ex qualibet honesta et rationabili causa, poterit etiam licite Episcopum transferre, ex honesto quolibet motivo, licet translationem non requirat ecclesiarum necessitas aut utilitas.

Propositio IVª. — *Episcopos transferre ad solum Romanum Pontificem de jure hodierno pertinet.* — « Translatio Episcopi de « una in aliam ecclesiam sola auctoritate Papæ fieri potest. « Sic expresse habetur in capite *sicut alterius* (39, causæ 7,

« q. 1) ; cap. *cum ex illo*, cap. *inter corporalia*, et capite *licet* « *(de translatione Episcopi)*. Episcopus propria auctoritate se « transferens de sua ecclesia ad aliam, carere debet utraque « (c. *si quis*, 31, c. 7, q. 1 ; cap. *quanto*, 3 *de transl. Episc.)*. « Et hoc procedit sive Episcopus fuerit jam consecratus, sive « solummodo electus et confirmatus. » (Cap. *inter corporalia*, et cap. *licet, de transl. Episc.*) Ita Ferraris, verbo *Episcopus*, art. 3, n. 40 ; estque id extra omnem omnino controversiam apud catholicos. Quod autem jus illud hodiernum, soli Romano Pontifici translationes reservans, novum non sit, sed e contra veteri disciplinæ plane consonum, superiori paragrapho probavimus. Cæterum qui sustinent aliam fuisse veterem disciplinam, saltem admittere debent, Sedem Apostolicam *legitime* ab illa prisca disciplina recessisse, translationes Episcoporum sibi reservando : alioquin enim a doctrina catholica prorsus aberrarent, nec condemnationem effugerent.

Propositio V^a. — *Potest Papa, ex causa necessitatis aut utilitatis, invitum Episcopum, et nullius delicti reum, transferre, eo saltem sensu quod possit sedem episcopalem quam occupat ei adimere. Remissive.* — Id inviete sequitur ex propositione 1, capitis 1, præsentis sectionis ; ubi probavimus posse a Papa, ex causa utilitatis, deponi aliquem et etiam omnes alicujus regionis Episcopos, etsi nullius delicti reos. Si enim possit Romanus Pontifex ita invitos deponere, a fortiori poterit eos invitos transferre, id est, eis sedem quam occupant adimere, aliam ipsis offerendo. An autem simul possit Papa eos adigere ad acceptandam aliam sedem, sequenti propositione expenditur.

Propositio VI^a. — *Non posse Episcopum, qui invitus transfertur, cogi ad acceptandum alterum episcopatum, certum est si agatur de Episcopo nondum consecrato : quoad consecratum controvertitur.*

I. Quod nequeat Episcopus nondum consecratus invitus cogi ad suscipiendam aliam ecclesiam, sic exponit Ferraris (v. *Episcopus*, art. 3, v. 51) : « Episcopus electus et confir-

« matus, sed nondum consecratus, non potest transferri in-
« vitus ad alium episcopatum. Sic Hostiensis..., Joannes An-
« dreas..., Fagnanus..., et alii passim. Et ratio est, quia
« nemo ab initio cogitur episcopari, seu nemo potest invitus
« consecrari (capite *innotuit* 20, et capite *cum inter* 21, *de*
« *elect.*). Unde satis est quod Episcopus confirmatus et non-
« dum consecratus, dum transferri recusat, omnino cedat
« dignitati, allegando se nolle unquam consecrari in Episco-
« pum. »

II. An autem Episcopus jam consecratus, et qui invitus transfertur, transire teneatur ad ecclesiam ad quam transfertur, affirmant quamplurimi, adeo etiam ut a nonnullis sententia illa communis dicatur (vide apud Ferraris, loco cit., n. 54 et 55). Allegant præcipue caput *scias* (35, causæ 7, q. 1), in quo dicitur eos qui ad aliam sedem transeunt, *non sponte, sed coacte* hoc agere. Si *coacte* transeant ad novam sedem, ergo in ipsorum arbitrio non est non transire.

At negativam sententiam fuse defendit Fagnanus (in cap. *quanto, de transl. Episc.*, n. 102 et seq.), cujus ratiocinium sic contrahi potest : si Episcopus transeundo ad aliam ecclesiam *novum conjugium* spirituale cum ea contrahat, non potest Episcopus translatus cogi ad acceptandum episcopatum ad quem transfertur, cum nequeat conjugium spirituale absque libero consensu contrahi : atqui Episcopus ad aliam ecclesiam transiens, novum spirituale conjugium cum ea contrahit : et hoc probat Fagnanus plurimis rationibus, quæ mihi videntur validissimæ. Et pro hac sententia cum Fagnano stant auctores non pauci, prout exponit Ferraris (loco cit., n. 58) in hunc modum:
« Non pauci tamen magni nominis doctores tenent, quod Epi-
« scopus nolens consentire translationi per Papam factæ pos-
« sit quidem auctoritate Papali a vinculo prioris ecclesiæ
« absolvi, idque tum in pœnam suæ obstinationis et inobe-
« dientiæ, tum ob causam communis utilitatis vel necessitatis;
« non tamen possit omnino invitus et coactus alteri alligari,
« seu ad aliam transferri. Ita expresse glossa (in c. *Episcopus*,

« 7, q. 1); Joannes Andreas... dicens quod Papa possit trans-
« ferre Episcopum invitum, saltem ut careat prima eccle-
« sia; Sannig...; ita etiam Reiffenstuel...; et late Fagna-
« nus... »

PROPOSITIO VII^a. — *Quando communis utilitatis aut necessitatis causa urget, non tantum ut a sua sede removeatur Episcopus, sed etiam ut alteri diœcesi non præficiatur, ecclesia sua privari potest, quin ipsi detur cambium.* — Contingere potest ut removeri possit ac debeat Episcopus, licet nullius delicti reus, ob ipsius diœcesis communem utilitatem aut necessitatem, prout supra ostendimus. Insuper contingere potest ut eædem causæ quæ remotionem suaserunt, obstent ne possit idem Episcopus alteri diœcesi utiliter præfici. Supponamus, verbi gratia, in aliqua regione Episcopum inter et gubernium exortos esse conflictus, etsi absque ullo illius Episcopi delicto; atque inde exarsisse animos, et imminere cæteris ejusdem regionis diœcesibus, aut toti etiam rei catholicæ, ingentia damna. Ejusmodi causa, si forte sufficiens sit ad removendum a sede sua Episcopum, urgebit etiam plerumque ne ad aliam in eadem regione transferatur. Aliunde autem fieri potest ut extra illam regionem haud possit Summus Pontifex ullam diœcesim tali Episcopo regendam committere, sive quod idoneus non sit, utpote linguæ nescius, sive aliis de causis. Item contingere potest, ut perturbationes quæ removendum Episcopum suadent, ex notabili prudentiæ defectu exortæ sint; ita ut eadem oritura incommoda prævideantur in altera quæ ipsi committeretur diœcesi. Porro in his et similibus casibus, absonum foret dicere, teneri Summum Pontificem ad committendam tali Episcopo aliam ecclesiam. Repugnat enim teneri Summum Pontificem ad præficiendos Episcopos quos suis diœcesibus noxios fore existimat, ac prævidet. Ergo in præfatis casibus, vel removeri poterit Episcopus absque cambio, vel nullo modo removeri poterit : falsum posterius, ex doctrina communiter recepta, et superius firmata : ergo verum prius.

Dum autem sic removetur Episcopus innocens absque cam-

bio, debet ei assignari decens congrua : ita tenent communiter canonistæ. Atque id probant ex ea ratione, quod alioquin remotus Episcopus mendicare cogeretur, cum ordinis episcopalis dedecore : id porro foret religioni valde noxium. Imo etiam ob delictum deposito Episcopo dari debet hæc congrua, ob eamdem rationem.

Propositio VIII[a]. — *Quando causæ quæ removeri Episcopum exposcunt, non impediunt quin alteram diœcesim utiliter regere valeat, cambium ipsi ex quadam saltem æquitate deberi videtur.* — Si nempe possibilis et nequaquam noxia sit translatio, durum foret Episcopum nullius delicti reum sua ecclesia privari, quin ipsi cambium offerretur. Id etiam adversaretur mansuetudini illi, qua decet Romanum Pontificem in universalis Ecclesiæ regimine uti. Et hinc in praxi videmus ejusmodi Episcopos non simpliciter privari, sed transferri, aut saltem eis translationem offerri.

Diximus *ex quadam saltem æquitate :* quod enim *de rigore iuris* teneatur Summus Pontifex in dicto casu cambium offerre, non video quomodo probari posset. Jus quippe in suam ecclesiam acquisitum habet Episcopus ; non in aliam. Perimitur autem hoc jus ipsius quando communis utilitas aut necessitas ejus remotionem exposcit. At ex eo quod jus amittat in suam ecclesiam, non ideo jus acquirit in aliam. Et nec divina nec ecclesiastica ulla lex posterius hoc jus ipsi tribuere videtur. Unde non video quomodo Summus Pontifex ipsi injuriam faceret, etiamsi eum a suo episcopatu removeret, non dato cambio.

§ III.

Quandonam cesset Episcopi translati jurisdictio, et ejusdem potestas beneficia conferendi.

Quæstio I[a]. — *A quo tempore vacet sedes Episcopi, ad aliam diœcesim translati.* — 1° Si *consentiens* transferatur, vacat statim ac in Consistorio translatio hæc pronuntiata fuit. Unde ad

inducendam *sedis vacationem*, necesse non est ut Episcopus novi episcopatus possessionem ceperit ; neque etiam ut expeditæ fuerint Apostolicæ litteræ, alteri eum diœcesi præficientes; imo neque necesse est ut ad eum pervenerit pronuntiatæ in Consistorio translationis notitia. Ita omnino certum atque tenendum : essetque sententia contraria prorsus erronea. Rem quippe definivit Urbanus VIII, constitutione *nobis nuper*, 20 martii 1625,in qua sic habetur : *De venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum (quibus negotium hujusmodi mature ac diligenter examinandum et nobis referendum commisimus) consilio ; ecclesiam a qua Episcopus de suo consensu transfertur ab eo tempore vacare, quo idem Episcopus ab illius vinculo in nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis Consistorio absolvitur, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam secundæ ecclesiæ possessionem ; posteaquam vero ex testimonio seu documento secretarii Sacri Collegii, vel alio modo, hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus translatus habuerit, illico eum exercitio ordinariæ jurisdictionis abstinere debere, eamque in capitulum transire, ita ut statim capitulum eadem jurisdictione uti, sedem vacantem publicare, atque officialem seu vicarium ad dicti Concilii præscriptum constituere possit et debeat..., Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus et declaramus.* Constitutionem illam in extenso reperies ad calcem operis Barbosæ *de officio et potestate Episcopi*, pagina 120, editionis Lugdunensis 1665.

Idem jam iisdem fere terminis declaraverat S. Congregatio Episcoporum et regularium, in hunc modum : « Die 14 decembris 1624, S. Congregatio illust. Cardinalium, negotiis « Episcoporum præposita, Sanctissimo Domino nostro approbante, censuit, ecclesiam a qua *volens* transfertur, seu « quam amittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem « Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis Suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ. Et postquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit,

« etiam ex testimonio seu documento Secretarii Sacri Collegii, « illico teneri eum abstinere exercitio ordinariæ jurisdictionis, « eamque transire in capitulum sede vacante ; et ita posse « et debere capitulum statim ea jurisdictione uti, ac vicarium « juxta Tridentini Concilii præscriptum eligere, sedemque « vacantem publicare. » Hanc decisionem refert Ferraris (verbo *Episcopus*, art. 3, n. 61). Eamdem autem doctrinam Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 13, c. 16, n. 7), et alii recentiores canonistæ tanquam omnino certam et tenendam communi consensu tradunt.

2° « Si transfertur Episcopus absens et *ignorans*, non vacat « prior ecclesia ante præstitum a translato consensum, nisi « secus exprimatur a Papa... Et ratio est quia quando Papa « transfert Episcopum absentem et ignorantem de una ad « aliam ecclesiam, non aliter solet transferre (nisi secus ex- « primat) quam sub conditione quod is consentiat, vel ex- « presse, vel saltem tacite acquiescendo videlicet translationi « de se factæ. » (Ferraris, verbo *Episcopus*, art. 3, n, 62.) At quoad praxim inutile est casum hunc expendere ; « cum, « juxta vigentem disciplinam, translationes nunc minime « fiant, nisi prævia *scientia* et *consensu* Episcopi, qui ab una « ad aliam ecclesiam est transferendus, » prout adnotat Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 13, c. 16, n. 13).

QUÆSTIO II^a. — *A quo tempore cesset ordinaria jurisdictio Episcopi, qui ad aliam ecclesiam consentiens transfertur.* — Quamvis prior sedes *vacet* eo temporis articulo, quo pronuntiata in Consistorio fuit translatio, prout superiori quæstione probavimus, non tamen cessat ordinaria Episcopi *jurisdictio* donec *certa* ad eum de pronuntiata in Consistorio translatione *notitia* pervenerit. Ita quippe Apostolica auctoritate dispositum fuisse constat his citatæ Urbani VIII Constitutionis verbis : *Posteaquam vero ex testimonio seu documento Secretarii Sacri Collegii, vel alio modo, hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus translatus habuerit, illico eum exercitio ordinariæ jurisdictionis abstinere debere, eamque in capitulum transire.* Atque idem

pluries fuit a S. Congregationibus declaratum (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 13, c. 16, n. 10). Notetur autem, ad inducendam ordinariæ jurisdictionis cessationem, sufficere dictam notitiam ex *testimonio seu litteris* Secretarii Sacri Collegii, *vel alio modo* acquisitam. Et ita quidem quoad Episcopum qui *consentiens* transfertur. Nam Episcopus qui inscius et ante præstitum ab ipso consensum transferretur, jurisdictionem non amitteret per acquisitam de facta translatione notitiam; sed dumtaxat statim ac ipse consensum præstitisset : nisi tamen Pontifex exprimeret, effectum habituram translationem, etiam non accedente Episcopi consensu. Sed, ut dictum est, casus hic non est practicus; quia non solent transferri Episcopi, nisi prius translationi consenserint.

Quæstio IIIª. — *A quo tempore Episcopus translatus prioris diœcesis beneficia conferendi potestatem amittat?* — « Declarat « Urbanus in supra relatis Apostolicis litteris, ecclesiam *va-« care* ab eo tempore, quo Episcopus ab ejusdem vinculo « fuit in Consistorio solutus. Hinc ortum est dubium, an, « si quod beneficium in ejus diœcesi vacaverit post præfa-« tum tempus, nondum expeditis litteris super provisione « alterius ecclesiæ ad quam transfertur, minusque capta « istius possessione, possit Episcopus illud conferre. Super « quo tribunalia constanter responderunt quod, sicuti non « licet Episcopo suos facere fructus, qui post solutum in Con-« sistorio vinculum spiritualis conjugii excurrunt, ita nec ipsi « integrum est beneficia conferre ex eo tempore vacantia... « Ejusmodi judicata indicantur a Rigantio, ad regulam 2 Can-« cellariæ, § 3, n. 38 et 39 tomi 1. » (Benedictus XIV, *de Synodo diœc.*, l. 13, c. 16, n. 9.) Omnino ergo tenendum est, nullam fore beneficii collationem quam faceret Episcopus post pronuntiatam in Consistorio ipsius translationem, etiamsi notitia de pronuntiata translatione nondum ad eum pervenisset.

Objicies. — Ordinariam jurisdictionem retinet Episcopus donec dictam notitiam receperit : ergo pariter beneficia con-

ferendi potestatem retinet usque dum ea notitia ad ipsum pervenerit. — Respondeo : nego paritatem. Etenim beneficiorum collatio non est de jurisdictionalibus. Aliunde autem, quod ab Episcopo retineatur ordinaria jurisdictio donec notitiam de pronuntiata in Consistorio translatione receperit, auctoritate Apostolica dispositum est ; at nequaquam disposuit Sedes Apostolica pariter remansuram beneficia conferendi facultatem. « Neque (ait Benedictus XIV) ex eo quod Epi« scopo prorogetur jurisdictionis exercitium ad illud usque « tempus, quo noverit suum cum ecclesia spirituale conjugium « diremptum fuisse, contendi ullo modo potest, prædictam « quoque apud ipsum manere facultatem conferendi bene« ficia, quæ eodem intermedio tempore vacare contingat : « jurisdictio enim ad diœcesis regimen necessaria in suspenso « manere nequit : at contra nihil prohibet quominus benefi« ciorum collatio differatur. » (*De Syn. diœc.*, l. 13, c. 16, n. 10.) Ut ergo devitet Episcopus transferendus invalidas beneficiorum collationes, debet ab iis conferendis abstinere, a tempore quo scit aut prævidet celebrandum fore Consistorium, in quo ipsius translatio pronuntiabitur. Quod autem etiam in Gallia Episcopi translati dicto momento conferendi beneficia (verbi gratia, canonicatus et parochias) potestatem amittaut, non est cur in dubium vocetur.

QUÆSTIO IV^a^. — *Ad quodnam usque tempus possit Episcopus percipere fructus ecclesiæ e qua consentiens transfertur ?* — Respondetur cum Benedicto XIV, « licere Episcopo reditus prio« ris ecclesiæ percipere usque ad illud tantummodo temporis « momentum, quo a Summo Pontifice in Consistorio ab illius « vinculo absolvitur : si quos vero fructus post illud tempus « decursos perceperit, ad eosdem restituendos omnino te« neri. » (*De Syn. diœc.*, l. 13, c. 16, n. 7.) Id concludit laudatus auctor, ex eo quod dicto momento sedes vacet.

Nota. — Rescivi haud ita pridem ab uno e præcipuis Romanæ Curiæ Prælatis, contigisse nuper in Gallia, ut unus aut alter Episcopus, post acceptam de pronuntiata in Consistorio

ipsorum translatione certam notitiam, jurisdictionem in suis diœcesibus exercere perrexerint. Id sane, si revera contigerit, nonnisi ex quadam inadvertentia et bona fide excusari potest. Intrusus enim proculdubio fit qui, amissa in diœcesim jurisdictione, eam nihilominus exercere attentat. Amittit autem jurisdictionem Episcopus, consentiens translatus, statim ac dictam notitiam recipit : statim nempe transit ad capitulum episcopalis jurisdictio. Nec video quomodo id alicui catholico, etiam quoad Galliæ diœceses, dubium esse possit.

CAPUT III.

DE EPISCOPIS EPISCOPATUI RENUNTIANTIBUS.

1° Certum est liberum Episcopis non esse episcopatum dimittere, absque obtenta Sedis Apostolicæ facultate. Nec valet Episcopi dimissio, nisi per Papam fuerit admissa. Constat ex Decretalibus *inter corporalia*, et *licet*, *de translatione Episcoporum*. De quo vide Ferraris (verbo *Episcopus*, art. 3, n. 69).

2° Sedes autem Apostolica nec solet nec debet ejusmodi episcopatuum resignationes nisi ob causam canonicam admittere (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 13, c. 16, n. 1 et 2).

3° Episcopatum dimittendi causas legitimas enumerat Decretalis *nisi cum pridem*, *de renuntiatione*. Et reduci possunt ad unam. « Ut scilicet tunc demum, et non alias, liceat Episcopo « ecclesiam dimittere, cum clare pateat ipsum concreditæ « sibi plebis saluti prodesse amplius non posse. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc*, l. 13, c. 16, n. 3.)

4° Episcopi regulares, si episcopatum, obtenta facultate, dimittant, debent religionis suæ claustra repetere, nisi expressam a Sede Apostolica extra claustra vivendi licentiam obtinuerint. Ita decrevit Benedictus XIII Constitutione *custodes*,

cujus textum vide apud Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 13, c. 16, n. 4.

5° « Renuntiatio episcopatus potest fieri dupliciter : scilicet renuntiando loco tantum, et renuntiando loco et « dignitati simul ; textu expresso in capite *requisivit* (1 *de* « *Ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit episcopatui*).

« Renuntiatio episcopatus renuntiando *loco tantum*, fit « quando Episcopus, ob aeris intemperiem, vel ob persecu- « tionem et odium sive malæ plebis sive principis, episcopatum « in manus Papæ renuntiat, dimittendo diœcesim dumtaxat, « titulum tamen episcopalem et auctoritatem retinendo.

« Renuntiatio autem episcopatus renuntiando *loco et digni-* « *tati* simul, fit quando Episcopus, ob zelum, verbi gratia, « ingrediendæ religionis, vel ut præveniat promeritam depo- « sitionem, renuntiat in manus Papæ nomen et omne jus « episcopalis administrationis, atque ordinis executionem, « respectu cujuscumque loci, retinendo solum ea quæ sunt « episcopalis ordinis seu characteris.

6° « Episcopus simpliciter renuntians episcopatui censetur « in dubio renuntiasse loco tantum, non autem loco et digni- « tati, nisi propter criminis conscientiam seu ex metu depo- « sitionis ita renuntiaverit.

7° « Renuntiatio non subtrahit Episcopo ordinem, sed « solam executionem ordinis... Nequit enim Episcopus renun- « tiare characteri episcopali, neque ab Ecclesia potest ipsi « auferri... »

8° « Episcopus qui renuntiavit episcopatui *quoad locum* « tantum, potest conferre ordines etiam majores...; dummodo « tamen sit rogatus ab aliquo Episcopo... Si ordinaret sine « proprii Episcopi licentia, ab eo ordinati essent suspensi ; « non quia sunt ordinati ab Episcopo post suam renuntiatio- « nem, sed quia sunt ordinati ab Episcopo alieno sine proprii « Episcopi licentia... »

9° « Episcopus qui renuntiavit episcopatui quoad locum et

« dignitatem simul, nequit licite ordines *sacros* (1) conferre...
« Quamvis illicite, valide tamen ordinaret... Ordinati tamen
« ab ipso remanent suspensi ab exercitio et usu ordinum re-
« ceptorum. »

10° « Cum ordinatis a tali Episcopo *ignoranter* ad sacros « ordines dispensat Episcopus suus : cum ordinatis vero « *scienter* ad sacros Episcopus non dispensat ; citato capite « *requisivit*, et ibi Fagnanus, numero 1, testans hoc de *com-* « *muni*. » (Ferraris, verbo *Episcopus*, art. 3, n. 69 et sequentibus.)

(1) « Potest conferre ordines *minores* nedum valide sed etiam licite, si de con- « sensu proprii ordinandorum Episcopi id faciat ; textu expresso in citato capite « *requisivit*. »

PARS IV

DE

GRADIBUS EPISCOPALIBUS

ET EPISCOPORUM VARIIS SPECIEBUS (1).



Attenta sola ordinis potestate, omnino æquales sunt Episcopi omnes; et sub hoc respectu nulli dantur inter ipsos gradus. Episcopus nempe quam minimæ diœceseos, imo et ipse etiam Episcopus *in partibus*, qui nullam administrandam diœcesim habet, quoad ordinis potestatem, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, et ipsi etiam Summo Pontifici æqualis est.

Sed præter ordinis potestatem, existit etiam in Ecclesia clerum ac fidelem populum regendi potestas, per varios gradus Episcopis distributa, ita ut alii aliis subjiciantur, et sic varia exurgat inter ipsos præcellentia ac dignitas. Ejusmodi gradus proprie dicti præter ac supra simplicem episcopatum quatuor sunt : Summus Pontificatus, patriarchatus, primatiatus et archiepiscopatus.

Sub præcedentibus hujusce tractationis partibus, etsi, data occasione, nonnulla dicta sint quæ hunc vel illum ex istis gra-

(1) Ubi de jure speciali quoad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos in partibus, Episcopos regulares, Episcopos coadjutores, majores capellanos, et prælatos inferiores episcopalem jurisdictionem obtinentes.

dibus respiciunt, de iis tamen ex professo non disseruimus. Unde in hac quarta parte breviter expendenda veniunt quæ singulis ejusmodi gradibus specialia sunt. Quod tamen spectat ad Summum Pontificem omnino prætermittimus, utpote in tractatu *de Papa* pleno volumine de hoc argumento dicturi.

Dantur autem inter Episcopos et aliæ nonnullæ, præter dictos gradus, varietates, quæ suum quæque speciale jus habent. Ex eo quod, verbi gratia, regularis sit aliquis Episcopus, exurgit quoad ipsum quoddam particulare jus. Atque idem dicendum est de Episcopo titulari seu *in partibus*, de Episcopo coadjutore, de Episcopo qui diœcesim regit tanquam administrator aut Vicarius Apostolicus, et de Episcopo qui majoris capellani regii munere fungitur. Item peculiare jus exurgit ex eo quod Episcopus Cardinalis sit, vel Legatus Nuntiusve Romani Pontificis. Sed de Cardinalibus, Legatis et Nuntiis, necnon de Apostolicis Vicariis et Administratoribus, in tractatu *de Curia Romana* suus erit disserendi locus. Unde in præsentiarum de aliis modo dictis varietatibus, necnon de memoratis gradibus agemus hoc ordine :

1° De Patriarchis et Primatibus : 2° de Archiepiscopis : 3° de Episcopo in partibus, de Episcopo regulari, de Episcopo coadjutore, de majori capellano regio, et de prælatis inferioribus jurisdictionem quasi-episcopalem habentibus.

SECTIO I.

De Patriarchis et Primatibus.

Post Romanum Pontificem, Christi in terris Vicarium, cui ex institutione divina competit primus ac summus inter omnes Episcopos gradus, secundo loco stant Patriarchæ, tertio Primates, quarto Archiepiscopi. Quibus omnibus inferiores sunt, non ordine (ut dictum est), sed gradu, cæteri Episcopi. Quamvis enim qui cardinalatu aut Pontificia legatione præfulgent, ob ipsam cujus personam gerunt Pontificiam dignitatem, alios in gradibus episcopalibus constitutos superent, cum tamen id non habeant ex episcopalibus sedibus quibus præsideant, extra gradus episcopales censendi sunt. Episcopales enim gradus hic proprie non dicimus, nisi eos qui ipsismet episcopalibus sedibus inhærent.

CAPUT I.

DE PATRIARCHIS.

Dicemus 1° quid sint Patriarchæ : 2° quandonam institui cœperint et quænam sedes in patriarchales constitutæ fuerint : 3° quænam sit propria Patriarcharum potestas.

§ I.

Quid sint Patriarchæ.

I. Ad vocem solam si attendatur, Πατριάρχης idem sonat ac *Princeps Patrum*. Quo sensu Patriarchæ forent etiam Primates

et Metropolitani, utpote qui potestatem aliquam habent in *Patres,* id est, in Episcopos.

II. Atvero jam a multis sæculis, in modo loquendi ab Ecclesia recepto, determinatus est hujusce vocabuli sensus, ita ut designet, non omnes Præsules qui in alios Episcopos potestatem habent, sed quosdam dumtaxat præcipuos. Sedes nempe quæ ab ipsis Apostolis ita fundatæ sunt, ut potestatem habeant in omnes alicujus regionis ecclesias, etiam metropolitanas ac primatiales, eæ stricto sensu *patriarchales* sunt; et tales exstare tres dumtaxat, videlicet Romanam, Alexandrinam et Antiochenam, infra ostenditur. Item sedes, quæ licet ab ipsis Apostolis non fundatæ, postmodum tamen prædictam potestatem obtinuerunt, *patriarchales* pariter dicuntur et sunt; at minus stricto sensu : et tales fuere duæ dumtaxat, nimirum Hierosolimitana et Constantinopolitana. Quod autem genuina sit illa de Patriarchis notio, abunde patebit ex sequenti paragrapho.

III. Ad quæstionem autem, an semper antiquitus Patriarchæ denominatio in dicto determinato sensu usurpata fuerit, respondendum negative. In antiquis siquidem monumentis quandoque hoc nomine dicti reperiuntur Archiepiscopi : immo et ipsi etiam Episcopi. Item quandoque indistincte idem Præsul Primatis et Patriarchæ titulo designatur, quasi non diversa sed eadem res utroque vocabulo tunc temporis exprimeretur. Et tandem eo etiam nomine Romanus Pontifex designatus occurrit. Unde quemadmodum vox *Papa* primis Ecclesiæ sæculis sensum omnino determinatum non habuit, nec designando Romano Pontifici fuit statim exclusive propria, ita *Patriarchæ* vocabulo haud exclusive statim adhæsit peculiaris illa acceptio, quæ postmodum, ex recepto loquendi usu ipsi est affixa. Rem documentis tantisper firmemus : in Concilio Matisconensi II, anni 575, Lugdunensis Episcopus Patriarchæ vocabulo insignitur. De quo sic adnotat Severus Binius (apud Labbe, tomo 5, col. 990-991, edit. Parisiis 1671) : « Cum « Venetiarum, Istriæ atque Liguriæ Episcopi essent in schis-

« mate..., Paulinusque Aquileiensis his omnibus præeminere, placuit eisdem schismaticis, qui ab Ecclesia Romana desciverant, eumdem Paulinum (teste Paulo diacono, l. 2, *de Gest. Longobard.*, c. 12) Patriarcham nominare, quem sibi loco Summi Pontificis supremum Antistitem constituerant. Et quanquam in Italia hactenus nemo præter Romanum Pontificem apud veteres ejusmodi titulo insignitus fuisse legatur, temporibus tamen hisce prædictum nomen frequenter usurpatum reperitur pro Archiepiscopo, nimirum ut qui sub se alios haberet Episcopos, sicut dictus esset Archiepiscopus, ita pariter ex vocis significatione *princeps Patrum*, et græco nomine *Patriarcha* nominaretur. Sunt de his plura exempla : Gregorius enim Turonensis (l. 5, c. 20, *Historiæ Franc.*) sanctum Nicetium Archiepiscopum Lugdunensem Patriarcham appellat. Ita hic (id est, in dicta Synodo Matisconensi) Priscus ejusdem ecclesiæ Lugdunensis Archiepiscopus, Patriarcha vocatur. Apud Victorem et Gregorium invenies, quod primarios suos Episcopos Ariani Patriarchas appellare consueverint. Et quia hoc nomen olim apostolicarum tantum sedium nomen erat, cum amplissima dignitate conjunctum, etiam hæretici Patriarcham nominare consueverunt illum, quem erroris sui principem sequebantur. »

§ II.

Quandonam in Ecclesia institui cœperint Patriarchæ : et quænam sedes in patriarchales erectæ sint.

PROPOSITIO Iª. — *A multo tempore ante primam Nicænam Synodum, sin minus quoad nomen, at saltem quoad rem exstiterunt, tres in Ecclesia Patriarchæ.*— Constat 1°, sexto et septimo ex viginti canonibus Nicænis, qui tanquam authentici communiter habentur. In eis siquidem sic occurrit dispositum. « Antiqui mores serventur qui sunt in Ægypto, Lybia et Pentapoli; ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quandoquidem et Episcopo Romano hoc est

« consuetum (ἐπειδὴ καὶ τῳ εν τῃ Ρώμῃ Επισκόπῳ τοῦτο σύνηθές « εστιν). Similiter et in Antiochia : et in aliis provinciis, ea « quæ sunt ab antiquo serventur ecclesiis. » (Canone 6 ex viginti Nicænis.)

« Quoniam obtinuit consuetudo et antiqua traditio, ut qui « est in Ælia Episcopus (1) honoretur, habeat honoris conse- « quentiam, Metropoli propria dignitate servata. » (Canone 7 ex viginti Nicænis.) Nota celebratam fuisse Nicænam Synodum anno 325.

Ibi Alexandrino Episcopo expressis terminis tribuitur potestas, non tantum in propriam diœcesim ac provinciam, sed in omnes etiam diœceses ac provincias, in omnes proinde Episcopos et Metropolitanos, totius Ægypti, Lybiæ et Pentapolis. Talis autem potestas vere et proprie patriarchalis est, quamvis Nicæni Patres nomen non exprimant. Neque illam patriarchalem jurisdictionem tunc primum constituunt; sed jam ab antiquo existentem agnoscunt atque confirmant. Quod autem similem potestatem agnoverint in Romano et Antiocheno Episcopo, est sensus obvius verborum citati canonis 6. Exstabant ergo (et quidem diu ante Nicænam Synodum, ut evincunt verba hæc, *antiqui mores*), tres in Ecclesia Patriarchæ. Ut proinde ab ipsa Apostolorum institutione patriarchalis potestas ac dignitas repetenda sit. Quod autem Hierosolymitana sedes nec ante Nicænam Synodum, nec Synodi hujus constitutione fuerit in patriarchalem proprie evecta, sed dumtaxat quoad honores, satis clare ostendit citatus canon 7, in quo decernitur quidem ut dictus Episcopus habeat *honoris consequentiam*, sed simul relinquitur Metropolitano suo subjectus : *Metropoli propria dignitate servata.*

De Constantinopolitano patriarchatu, ne mentio quidem fit in 20 Nicænis canonibus : et infra probamus, sedem illam nonnisi post nonum sæculum ad patriarchalem dignitatem legitime evectam fuisse.

(1) Intellige Episcopum Hierosolymitanum.

Constat 2°, positæ conclusionis veritas, ex communi eruditorum sententia; quam sic exprimit Cardinalis Petra : « Primis Ecclesiæ initiis tres fuerunt sedes patriarchales, Romana « nimirum, Alexandrina et Antiochena; quia harum trium « ecclesiarum Episcopi cæteros et potestate et honore superabant; ordine tamen supremo concesso soli Romano. Ipsæ « enim ecclesiæ a Beato Petro fundatæ exstiterunt, et præ « cæteris sua præsentia illustratæ. Nam Romæ ad palmam « usque martyrii pervenit, eamque suo sanguine irrigavit, Ecclesiamque eam fundavit. Antiochiæ fuit ante accessum ad « Urbem (Baronius, anno Christi 39, n. 9). Et Alexandrinam « sedem per beatum Marcum constituit. » (Card. Petra, tomo 4, ad Const. 17 Eugenii IV, sect. 3, n. 4.)

« His tribus Patriarchis per B. Petrum divinitus institutis, « additi sunt duo alii, Hierosolymitanus, et postea Constantinopolitanus : ille ob reverentiam Civitatis Sanctæ, in qua « ipse Christus Dominus mortem subire non dedignatus fuit; « et iste ex eo quod translata imperii sede in eam civitatem, « novæ Romæ titulo insignitam, imperatores omnes conatus « posuere ut illi ecclesiæ primos conciliarent honores. »

Item Binius persuasum habet, tres tantum in canone 6 Nicæno memoratos patriarchatus primum exstitisse, et nonnisi post Nicænam Synodum evectas in patriarchales Hierosolymitanam et Constantinopolitanam sedes : « Errat Theodorus « Balzamon, inquit, non tantum hac in re quod a Patribus « hujus Concilii (Nicæni I videlicet) Hierosolymitanum Patriarcham Romano, Alexandrino, et Antiocheno superadditum esse putet; verum et in eo quod Constantinopolitanus « patriarchatus ab eodem Concilio sit institutus. Quod Constantinopolitanus in Constantinopolitano I et Chalcedonensi « Concilio, non solum patriarchatum adipisci, sed etiam secundum locum inter patriarchales sedes obtinere conatus « fuerit, verum est : ante Justiniani autem tempora eumdem « id a Romanis Pontificibus impetrasse, nullo authentico

« scripto probari poterit. Post annum Domini 500, Justiniani « imperatoris opera, et Romanorum Pontificum permissione, « nullo amplius reclamante, Constantinopolitanum et Hiero- « solymitanum Episcopum in numerum Patriarcharum relatos « fuisse concedo. » (Binius, apud Labbe, *Concilia*, tomo 2, col. 73-74, edit. Parisiis 1671.)

PROPOSITIO II^{a}. — *Erronee et absone ex Concilio Nicæno concludunt hæretici et schismatici, Romanum Pontificem esse dumtaxat Patriarcham Occidentis, cum mere honorifico jure præcedentiæ; nullam autem ipsi competere in cæteros extra Occidentem patriarchatus et episcopatus potestatem aut jurisdictionem.* — In expendenda gravissima illa quæstione, procedemus hoc ordine : 1° in antecessum firmabimus, multo plura fuisse a Nicænis Patribus sancita, quam quæ in 20 canonibus continentur : 2° memorabimus quomodo Constantinopolitanæ Synodo anni 381 fraudulenter additus sit et a Romana sede rejectus pseudo-canon tertius : 3° subjiciemus analysim totius actionis 16 Chalcedonensis Concilii : 4° ostendemus pseudo-canonem 28 Chalcedonensi Concilio fraudulenter additum fuisse, et a Sede Romana rejectum : 5° concludemus canonem Nicænum sextum esse mutilum, et quisnam sit verus et integer textus determinabimus : 6° quisnam sit genuinus sensus genuini canonis sexti expendemus : 7° explodemus rationes queis hæretici et schismatici ex Nicæno Concilio rejiciendum Romani Pontificis jurisdictionalem Primatum insane concludunt : 8° Primatum illum ex aliis præter Nicænæ Synodi auctoritatibus plene firmari adnotabimus.

I. *Certum est plures quam viginti canones a Nicæna Synodo fuisse constitutos.* — Id probat Binius (apud Labbe, *Concilia*, tomo 2, col. 71, edit. Parisiis 1671) plures recensendo canones, quos certum est a Nicænis Patribus conditos fuisse, et qui tamen inter viginti Nicænos non reperiuntur; nimirum : « *Primo*, non exstat canon ille, qui, ut Eusebius (libro 3 de « Vita Constant.) et Athanasius in epistola de Synodo Arimi- « nensi testantur, unus ex præcipuis fuit, quo decretum est,

« ut Pascha nonnisi dominico die celebraretur. *Secundo*, ne-
« que exstat is canon de bigamis ab ordinibus arcendis con-
« stitutus, de quo S. Ambrosius epistola ad Vercellensem
« Episcopum hæc ait : *Sed prius cognoscamus non solum hoc*
« *Apostolum de Episcopo et presbytero statuisse, sed etiam Patres*
« *in Concilio Nicæno tractatus addidisse : neque clericum quem-*
« *quam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit. Tertio,* ubi
« quæso invenitur canon de Scripturis divinis et authenticis,
« cujus S. Hieronymus, epistola 3, meminit his verbis : *Sed*
« *quia hunc librum* (Judith) *Synodus Nicæna in numero sancta-*
« *rum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi*
« *tuæ. Quarto,* S. Augustinus, epistola 118, allegat canonem
« Nicænum, quo ne duo Episcopi in eadem ecclesia sedeant,
« sancte et pie cavetur. » *Quinto,* non exstat canon Nicænus, a Concilio Carthaginensi 3, capite 48, memoratus, quo præscribitur, ut nonnisi a jejuno sacrificium offeratur. *Sexto,* idem dicendum de canone Nicæno appellationem ad Sedem Apostolicam Episcopis concedente, qui allegatur a Concilio Carthaginensi 6, capite 3 : qui canon anterior Sardicensi Concilio exstitit; siquidem Theodoretus de Julio Papa, Athanasii causam cognoscente, sic adnotat (libro 2, c. 4) : *Ille Ecclesiæ canonem secutus, eos jussit Romam venire, et divinum Athanasium, qui pro seipso in judicio responderet vocavit. Septimo,* idem dicendum de Nicæno canone, quem memorat Julius Papa, epistola ad Arianos, his verbis : *Episcopi in magna Synodo Nicææ congregata, non sine Dei consilio permiserunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari. Octavo,* idem dicendum de canone Nicæno, in quo exhibebatur forma pro scribendis litteris quæ *formatæ* vocabantur; de quo Nicæno canone mentio fit in fine Chalcedonensis Concilii. *Nono,* idem dicendum de additione *sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum,* quam hymno *Gloria Patri* a Nicæna Synodo factam fuisse testatur Sozomenes (l. 3, c. 19 in fine). Ergo revera plures quam illi viginti, qui nunc exstant, canones a Nicæna Synodo conditi fuerunt. Ex epistola Athanasii ad Marcum, et Marci

ad Athanasium, alii concludunt 70 numero fuisse Nicænos canones, alii 80 (vide Binium citato loco). Non ergo miretur lector quod infra de sexto Nicæno canone dicturi sumus, eum nempe non esse integrum, sed ipsi deesse initium. Cum enim tot alia desint, in illa viginti canonum formula, quid mirum si omissa etiam sit pars canonis sexti? Præsertim cum ex actis Chalcedonensis Concilii, ubi canon ille integer habetur, dicta omissio omnino certa fiat.

II. *Concilio Constantinopolitano anni* 381 *fraudulenter additus est canon tertius, quo novæ Romæ Præsuli secundus inter Patriarchas locus assignabatur : sed canonem hunc Romana Ecclesia rejecit.* — Canon ille primatui jurisdictionis Romani Episcopi non adversatur. Ejus tamen historiam hic præmittendam duximus, ut bene intelligantur quæ postea in Chalcedonensi Concilio peracta sunt. Fuit enim et in Chalcedonensi Concilio fraudulenter additus canon, nempe vigesimus octavus, quo non tantum secundus locus novæ Romæ Episcopo tribuebatur, sed et sedes illa Romanæ Sedi quodammodo exæquabatur, et innuebatur primatum Romano Episcopo, ex mera institutione ecclesiastica, eo quod Roma esset caput imperii, fuisse concessum. Nullius autem esse valoris dictum canonem tertium secundi Concilii œcumenici, id est, Constantinopolitani, anni 381, sic breviter probari potest :

1° Celebris, ac toties a Constantinopoleos Præsulibus recantatus ille canon, tenoris est hujusmodi : « Constantinopoleos « Episcopus habeat prioris honoris partes post Romanum Epi« scopum, eo quod sit ipsa nova Roma : Τόν μέντοι Κων« σταντινουπόλεως Επίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετα « τὸν της Ῥώμης Επίσκοπον, διά τὸ ἐιναι αὐτὴν νεαν Ῥωμην. » (Apud Labbe, *Concilia*, tomo 2, col. 947, edit. Parisiis 1671.)

2° Certum est canonem hunc a Romana Ecclesia non fuisse receptum. « Constat primo (inquit Binius, apud Labbe, loco « cit., col. 670) ex iis quæ supra ex Gregorii epistola 123, « libro 6, attulimus ; ubi dicit : *Romana Ecclesia eosdem cano« nes vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit : in*

« *hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra* « *Macedonium definitum*. Deinde etiam id vel hinc manifestum « est, quod cum Anatolius Constantinopolitanus in Chalcedo- « nensi Concilio, non tantum patriarchatum adipisci, verum « etiam secundum locum inter Patriarchas occupare conatus « esset, Leonem Pontificem acerrimum sibi adversarium « expertus fuerit. Epistola 51 et 53 scribit : *Frustra quorum-* « *dam Episcoporum profertur consensus, cui tot annorum series* « *negant effectus*. Gelasius Papa, epistola ad Episcopos Dar- « daniæ, adversus Acacium proferens hoc elogium, *cujus sedis* « *Episcopus ? Acacius scilicet cujus Metropolitanæ civitatis Anti-* « *stes ? Nonne parochiæ Heracliensis ecclesiæ ?* Indicat primatum « a Constantinopolitana ecclesia ante sua tempora usurpatum, « vel nullo jure eidem adhuc concessum fuisse ; aut, si alibi « concessum fuerit, nunquam a Romana ecclesia approbatum « esse. Epistola Nicolai I quæ incipit *proposueramus* idem aper- « tissime significat. Unde licet Episcopi Constantinopolitani, « imperatorum potentia freti, ob dignitatem regiæ urbis « secundum locum sedium patriarchalium sibi usurparint, « multisque commentitiis canonibus sextæ et octavæ Synodi « confirmarint, tamen nunquam a Romana Ecclesia id ap- « probatum fuit. Pacis et tranquillitatis causa, tempore Ju- « stiniani imperatoris, ita permissum est, ut nemo amplius « contradixerit : id declarat Innocentius III, Constitutione « *antiqua, de privilegiis*. »

3° Canon ille fraudulenter additus est. « Non desunt (ait « Binius, loco cit.) firmissimæ rationes suspicandi hunc ca- « nonem plane commentitium et suppositum videri. » Rationes illas, brevitatis causa, prætermittimus. Eas si lector adeat, videbit plane iis evinci obreptitium fuisse dictum canonem.

III. *Subjicitur analysis totius actionis XVI Chalcedonensis Concilii.* — Habita est actio illa die 1 novembris 451. Pridie autem, post discessum Paschasini, Lucentii et Bonifacii, qui tanquam Legati Romani Pontificis Concilio præsidebant, conventum protraxerant Synodi Præsules (instigante Anatolio

Constantinopoleos Episcopo), et lecto canone 3 Concilii Constantinopolitani anni 381 (quem modo vidimus fuisse obreptitium, et a Romana Ecclesia rejectum), subscripserunt decreto tenoris sequentis :

Definitiones sanctorum Patrum sequentes ubique, et regulam quæ nunc relecta est centum quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt piæ memoriæ imperatore Magno Theodosio in regia civitate Constantinopoli nova Roma, cognoscentes; et nos eadem definimus de privilegiis ejusdem sanctissimæ Constantinopolitanæ ecclesiæ novæ Romæ. Etenim Sedi senioris Romæ, propter imperium civitatis illius, Patres consequenter privilegia contulerunt (οἱ Πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα). *Et eadem intentione permoti* 150 *Dei amantissimi Episcopi æqualia privilegia* (τὰ ἴσα πρεσβεῖα) *sanctissimæ sedi novæ Romæ tribuerunt ; rationabiliter judicantes, imperio et senatu urbem ornatam æqualibus senioris regiæ Romæ privilegiis frui, et sicut illam in ecclesiasticis negotiis magnifieri, et secundam post illam existere* (δευτεραν μετ' εκεινην ὑπαρχουσαν) (apud Labbe, t. 4, col. 799).

Eodem decreto tribuebatur Constantinopolitano Præsuli, ut Ponti, Asiæ et Thraciæ Metropolitanos ordinaret.

De istiusmodi attentato conquesti sunt Legati Romani Pontificis. « Paschasinus et Lucentius reverendissimi Episcopi, « Vicarii Sedis Apostolicæ, dixerunt.... Habemus quædam re« ferre vobis. Gloriosissimi judices (1) dixerunt : quod vultis « edicite. Paschasinus, Vicarius Sedis Apostolicæ, dixit .... « Hesterna die postquam potestas vestra surrexit, et humi« litas nostra vestigia vestra secuta est, quædam gesta facta « dicuntur, quæ nos et præter canones ecclesiasticos et disci« plinam æstimamus effecta. Poscimus ergo ut vestra magni« ficentia relegi hæc præcipiat. »

Antequam legeretur quod sic anticanonice factum pridie fuerat, conatus est Constantinopolitanæ ecclesiæ archidiaconus

(1) Hoc nomine designabantur magnates laici, qui imperatoris nomine, Concilio assistebant, atque ordinate et pacifice omnia fieri procurabant.

ostendere jure factum fuisse : « Consuetudo est in Synodis, « inquit, postquam ea quæ sunt omnium præcipua (1) fuerint « definita, et alia quædam examinari et statui. Habuimus, « hoc est, Constantinopolitana sanctissima ecclesia, certa « quædam quæ agere deberemus. Rogavimus dominos Episco- « pos de Roma, ut communicarent iis gestis. Recusarunt, « dicentes talia se non suscepisse mandata... Sanctissimi Epi- « scopi qui hic sunt, tanquam de communi causa surgentes « poposcerunt hæc fieri gesta. »

Tum lectum est decretum, quod sic pridie renitentibus Legatis Romanis confecerant. Finita lectione, exprobravit inter alia Lucentius quod in eo decreto non facta fuisset mentio canonum Nicænæ Synodi; et memorati dumtaxat fuissent Constantinopolitani Concilii prætensi canones, *qui inter conciliares canones non fuerunt relati*, quosque prætendebant ante annos octoginta confectos fuisse. Tum hocce dilemmate adversarios pressit Legatus Pontificius : *Si ergo his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? Si nunquam usi sunt, quare requirunt?* Et tandem Bonifacius unus e tribus Legatis Pontificiis, dixit : « Beatissimus et Apostolicus Papa inter « cætera hoc nobis mandavit. Et ex cartula recitavit : *San-* « *ctorum quoque Patrum Constitutionem prolatam nulla patiamini* « *temeritate violari vel imminui; servantes omnimodis personæ* « *nostræ in vobis, (quos vice nostra, transmisimus) dignitatem :* « *ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi* « *tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retun-* « *datis.* »

Postea Paschasinus Legatus recitavit canonem sextum Nicænæ Synodi. Textum græce et latine ponimus infra, numero V. Et hic est proculdubio textus integer et genuinus : qui autem habetur inter viginti Nicænos canones, integer non est, sed mutilus, ut dicto numero V mox ostendemus.

(1) Nota quam aperte iniquitas mentita sit sibi : quasi vero decretum quod pridie confecerant non esset *de præcipuis*, sed *de minimis*.

Cum autem persisterent Patres Concilii in retinendo præfato decreto quod irregulariter pridie confecerant, Legati Pontificii suam protestationem opposuerunt hoc modo: « Lucentius Episcopus dixit : Apostolicus Thronus præcepit, ut « nobis præsentibus omnia fierent. Quapropter, quidquid « contra canones hesterna die nobis absentibus peractum est, « sublimitatem vestram rogamus ut jubeat abstrahi ; ut contradictio aliqua ex parte nostra hisce gestis non inhæreat ; « sed prudenter videre possimus, quid referre debeamus « *Apostolico et totius Ecclesiæ principi Episcopo* (τῷ Ἀποστολικῷ « καὶ πάσης Ἐκκλησίας προὔχοντι Ἐπισκόπῳ) ; ut ipse tum de « propriæ suæ sedis injuria, tum de canonum eversione possit sententiam declarare. » Hæc est totius actionis XVI summa.

Canones autem Chalcedonenses pronuntiati fuerant pridie, nimirum actione XV. Decretum porro de quo supra (in favorem Constantinopolitani Præsulis, absentibus Legatis Romanis, peractum) reperitur inter Chalcedonenses canones, numero 28. Ex quo satis patet canonem illum 28, utpote qui post Romanorum Legatorum e Synodo discessum furtive additus fuerat, et contra quem tota actione XVI iidem Legati adeo fortiter reclamarunt, pro obreptitio ac nullo et irrito esse habendum. Id aliis etiam auctoritatibus sic ostendi potest.

IV. *Ostenditur pseudocanonem* 28, *Chalcedonensi Concilio irregulariter additum, ab Ecclesia Romana fuisse rejectum.* — 1° Editores Romani, antequam canonem hunc 28, et sequentem 29, suo loco reponant, sic adnotant : « Canones qui sequuntur « non-exstant in codicibus græcis manuscriptis quos habemus « hujus Concilii, nec etiam in latinis, neque in collectionibus « Dionysii et Isidori. Cujus rei causa esse videtur, quia Anatolii Constantinopolitani Episcopi circumventione ac fraude, « cum Sedis Apostolicæ Legati e Synodo egressi essent, Patribus Concilii propositi, atque ab eis subscripti fuerant. Ex « quorum primo, qui est 28, duorum Patriarcharum Alexandrini et Antiocheni privilegia, a Concilio Nicæno eis data,

« infringebantur; et primatus ejus in Ecclesia post Romanum « Pontificem statuebatur. Quod Beatus Leo indigne ferens, « eosdem (canones) rejecit et infirmavit, ut apparet ex ipsius « epistola 61 ad Episcopos Synodi Chalcedonensis, et epistola « 62 ad Maximum Antiochenum, et aliis. » (Apud Labbe, tomo 4, col. 768, edit. Parisiis 1671.)

2° In Concilio Florentino (parte 2, collatione 22) sic de ea re disseritur : « In processu temporis facta est patriarchalis « Hierosolymitana et Constantinopolitana; quia a principio « hæ duæ non fuerunt. Et in quarta Synodo (*intellige Chalce-* « *donensem*) incœperunt tractare ut esset secunda (*nempe sedes* « *Constantinopolitana*), et abstulerunt potestatem ab Alexan- « drina, quæ erat secunda : et allegabant quod hæc materia « fuerat mota in secunda Synodo. Et tamen multa tempora « fluxerunt, quia Damasus Papa nunquam voluit confirmare, « nec successores, quia nolebant turbare canones Nicænos, « quibus dicebatur ut observarentur privilegia ecclesiarum : « nec potuit dici patriarchalis, quia Papa non consentiebat; nec « postea Leo consensit. Et Justinianus imperator fecit legem, « quod Constantinopolitana esset secunda. » (Apud Labbe, tomo 13, col. 1152, edit. Parisiis 1671.)

3° In notis ad citatam collationem 22 Florentini Concilii, sic habet Horatius Justinianus : « Canonem Chalcedonensem « de primatu Constantinopolitanæ ecclesiæ post Romanum, a « sancto Leone Papa fuisse reprobatum expresse, vide apud « Baronium (tomo 6, anno 452, n. 9, et 453, n. 5; et tomo « 12, anno 1191, n. 52). Imo nec Nicolaus Papa I illum ca- « nonem agnoscit in epistola ad Michaelem imperatorem, quæ « incipit *proposueramus*. Sed Patriarchæ Constantinopolitani, « imperatorum freti potentia, secundum post Romanum lo- « cum sibi usurpabant. Qui tandem a Romanis Pontificibus, « tranquillitatis causa, fuit permissus; et primo ab Innocen- « tio III in Concilio Lateranensi approbatus. »

4° Hinc perperam Justinianus (novella 131), ex Conciliis Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino et Chalcedonensi, novæ

Romæ Præsuli dictum privilegium competere supponens (an ex errore, an fide græca, haud liquet) lege sua illud sic firmavit : « Ideoque sancimus, secundum earum (Synodorum) « diffinitionem, Sanctissimum senioris Romæ Papam primum « esse omnium sacerdotum : reverendissimum autem Archi- « episcopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum ha- « bere locum post sanctissimam Apostolicam senioris Romæ « Sedem. »

V. *Concluditur canonem sextum Nicænum, prout habetur inter viginti Nicænos, esse mutilum ; integrum vero qui in Chalcedonensi Concilio a Legatis Pontificiis recitatus est.*— Duos nempe textus hujus canonis habemus : alterum qui inter vulgatos viginti Nicænos canones exstat ; alterum qui in Chalcedonensi Concilio a Legatis Romani Pontificis recitatus est. In hoc autem differunt, quod prima phrasis, Romani Pontificis universalem jurisdictionem exprimens, reperiatur in posteriori, non autem in priori : nam in reliquis quoad sensum omnino concordant, et fere etiam quoad omnia verba. Utrumque subjicimus :

1° *Textus canonis sexti Nicæni, prout in Chalcedonensi Concilio a Romanis Legatis lectus est.* — « Ecclesia Romæ semper « obtinuit primatum. Habet igitur et Ægyptus, ut Episcopus « Alexandriæ omnium habeat curam, quoniam Romæ Epi- « scopo id consuetum est : similiter et quoad Antochiam : et « in aliis provinciis suæ ecclesiis prærogativæ salvæ sint : « (ἡ Εκκλησία Ρώμης πάντοτε ἔσχε τὰ προτεῖα. Εχει τοιγαροῦν « καὶ ἡ Αἴγυπτος, ὥστε τὸν Επισκοπον Αλεξανδρείας πάντων ἔχειν « εξουσιαν, επειδη καὶ τῳ Ρώμης Επισκοπῳ τοῦτο σύνηθες ἐστιν. « Ομοίως καὶ κατὰ την Αντιοχειαν· καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις « τὰ πρωτεῖα σοζέσθω ταῖς ἐκκλησίαις.) Illud etiam manife- « stum, si quis præter assensum Metropolitæ fiat Episcopus, « istum hæc Synodus magna statuit non debere esse Episco- « pum. Quod si aliorum omnium consensus rationabilis sit et « secundum regulam ecclesiasticam, duo vero aut tres per « contentionem contradicant, prævaleat numerosiorum sen-

« tentia. Quoniam vero consuetudo obtinuit, et traditio anti« qua est, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat consequen« tiam honoris, salva Metropolitano sua dignitate. » (Vide apud Labbe, tomo 4, col. 812, edit. Parisiis 1671.)

2° *Textus sexti canonis, prout habetur inter viginti Nicænos.* — « Antiqui mores serventur, qui sunt in Ægypto, et Lybia, « et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus omnium istorum « curam habeat; quandoquidem et Romæ Episcopo id con« suetum est (*τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τα ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ « καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας Ἐπισκόπον πάντων « τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. Ἐπειδὴ καὶ τῳ ἐν Ρωμῃ Ἐπισκόπῳ » τοῦτο συνηθες ἐστιν*) similiter et quoad Antiochiam, etc. »

3° Ex collatione utriusque textus manifestum est in posteriore deesse initium, illam nempe tanti momenti sententiam, *Ecclesia Romæ semper obtinuit primatum.* Ergo ut recte et integre citetur canon sextus Nicænus, debet desumi ex formula quam Legati Romani in Chalcedonensi Concilio recitarunt. Cæterum initium illud, *Ecclesia Romana semper habuit primatum*, reperitur etiam in versione latina dicti canonis, a Dionysio abbate (vide apud Labbe, tomo 2, col. 72).

VI. *Expenditur genuini et integri canonis Nicæni sexti sensus.* — 1° Quod Alexandrinus Præsul potestatem habeat in omnes Ægypti provincias, deducitur tanquam *consequentia* ex his duobus, videlicet : ex eo quod Ecclesia Romana semper habuerit primatum, et ex eo quod id Romano Episcopo sit consuetum. Constat vocibus τοιγαροῦν et ἐπειδὴ. Nam prior idem sonat ac *quapropter* seu *idcirco;* posterior vero idem ac *quia* seu *quandoquidem.* Is nempe sensus est Nicænorum Patrum : Ecclesia Romana semper habuit primatum : *idcirco* habet Ægyptus, ut Alexandrino Episcopo in omnes (Ægypti provincias) potestas competat, *quia* hoc est Romano Episcopo consuetum.

2° Jam vero ut legitima sit, et non absurda, deductio hæc Nicænorum Patrum, duo requiruntur : *primo* ut Romanus Pontifex primatum jurisdictionis seu plenam regendi potestatem habuerit in universum orbem, et vi hujusce primatus

potuerit omnes alicujus regionis provincias alicui episcopali sedi subjicere : *secundo* ut de facto ita statuerit, et postea ratum constanter habere consueverit quoad Ægyptum. Positis nempe hisce duobus, recte arguunt Nicæni Patres Alexandrino Episcopo competere potestatem in Metropolitas omnes Ægypti *ex eo quod Romana Ecclesia semper habuerit primatum*, et *ex eo quod ita sit Romano Episcopo consuetum.* Nam a tempore quo sanctus Petrus sanctum Marcum in Ægyptum misit, consuevit Ecclesia Romana Alexandrinos Episcopos, Marci successores, habere tanquam toti Ægypto præpositos. Et quia eadem Sedes Romana primatum semper habuit in totum orbem, potuit ab initio Alexandrinos Præsules cum hac in omnem Ægyptum potestate constituere. Unde verba hæc, *quandoquidem Romano Episcopo id consuetum est*, intelligi debent de consuetudine qua Romana Ecclesia solebat Alexandrinos Præsules agnoscere tanquam toti Ægypto præpositos. Proinde toto cœlo errarunt, qui prædicta verba intellexerunt de consuetudine, qua Romana Sedes soleret Occidentis provincias regere. Nam ex illa Romani Pontificis consuetudine absurde Nicæni Patres deduxissent Alexandrini Episcopi in totam Ægyptum potestatem. Quis enim nexus inter hæc duo : *Romanus Episcopus solet omnem Occidentem regere ; ergo ad Alexandrinum Episcopum pertinet regere totam Ægyptum.* Vertat autem se lector quocumque voluerit, nisi dictum Nicæni canonis sensum admittat, non poterit absurdum vitare; quia tandem ideo Nicæni Patres agnoscunt Alexandrini Episcopi in totam Ægyptum potestatem, *quoniam Ecclesia Romana primatum semper habuit, et quoniam ita consuetum est Romano Episcopo.*

3° Ergo versio Dyonisii Exigui et Isidori Mercatoris, *quoniam quidem et Episcopo Romano parilis mos est* (apud Labbe, tomo 2, col. 41 et 46), tanquam mendum habenda est. « Hæc verba, « inquit Binius, corrupta sunt, ac proinde corrigenda sic : « *Quoniam talis Episcopo Romano consuetudo est :* ita legendum « esse, canon sextus, quem ex Romanæ Ecclesiæ scriniis Pas« chasinus, Beati Leonis I Legatus, ad Concilium Chalcedo-

« nense attulit, aperte indicat. » (Apud Labbe, tomo 2, col. 73.)

4° Ergo pariter erravit Rufinus Aquileiensis, quando substantiam Nicæni canonis sexti exposuit hoc modo : *Et ut apud Alexandriam et in urbe Roma, vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat* (apud Labbe, tomo 2, col. 56). De quo sic Binius : « Quod Rufini expositio hæc mala sit, erronea, et ex ignorantia profecta, patet : quia hoc Concilium neque ut hic, « neque ut in Concilio Carthaginensi sexto, vel etiam in Chalcedonensi, aut ut a Dionysio citatum reperitur, suburbicariarum ecclesiarum usquam meminit. Accedit quod ipsa « ratio inepta foret si ita restringenda esset. Ante victoriam « igitur novantes nostri sæculi triumphant, quasi hoc loco « definita fuerit Romanæ Ecclesiæ jurisdictio, ut tantum præsit « suburbanis ecclesiis. » (Apud Labbe, tomo 2, col. 73.)

5° Ergo verba hæc Nicænorum Patrum, *Ecclesia Romana semper habuit primatum*, intelligenda sunt *de primatu jurisdictionis in totum orbem*. Nam ex illo Romani Episcopi primatu deducunt jurisdictionem Alexandrini Antistitis in totam Ægyptum ; ita ut ipsorum ratiocinii (prout ostendimus) sensus sit : quia Romana Ecclesia potestatem habet in omnem orbem, ac proinde constituere potuit Alexandrinam sedem cum jurisdictione per totam Ægyptum, et quia insuper ita de facto constituit, et permanenti sua consuetudine constitutum agnoscit et ratum habet, *ideo obtinet Ægyptus ut Alexandrinus Præsul omnium curam habeat*. Porro si primatum hunc Romani Pontificis intellexissent Nicæni Patres de jurisdictione restricta, ita ut, verbi gratia, non attingeret nisi Occidentis provincias, absona eorum ratiocinatio fuisset : nam ex eo quod Romana Sedes habeat solum *honoris* primatum in totum orbem, cum jurisdictione restricta ad Occidentis provincias, nullatenus sequitur Alexandrinum Episcopum jurisdictionem in totam Ægyptum sibi vindicare posse. Ergo, vel Nicænus canon sextus nullum nisi absonum sensum exprimere dicendus est, vel agnoscen-

dum, in eo edici verum et proprie dictum Romanæ Ecclesiæ *primatum jurisdictionis* in universum orbem.

6° Verba hæc Nicæni canonis, *similiter et quoad Antiochiam*, intelligenda sunt eo sensu, quod Antiochenus Episcopus jurisdictionem habeat in regionis suæ provincias, sicut Alexandrinus in provincias Ægypti, et ex iisdem rationibus ; quia nempe ita ab initio potuit, pro suo primatu, Romana Ecclesia statuere, et ita de facto statuerit, et statutum consuetudine sua firmet et ratum habeat. E contra quoad alias, præter duarum illarum regionum, Orientis provincias, independentia cujusque metropolitanæ ecclesiæ declaratur : *Et in aliis provinciis suæ ecclesiis prærogativæ salvæ sint.*

VII. *Exploduntur rationes quibus hæretici et schismatici, primatum jurisdictionis Romano Pontifici abnuendum ex Nicæno Concilio insane concludunt.* — 1° Dicunt per Nicænum canonem sextum exprimi æqualitatem inter Romanum Episcopum et duos alios Patriarchas. Pro quo citant canonem cum hac aut simili versione : « Antiqui mores serventur..., ut Alexandri« nus Episcopus omnium istorum curam habeat, *sicut* et Romæ « Episcopo mos est. » *Primo,* citari debet, non mutilus ille canon, sed integer, cujus hoc initium est *Ecclesia Romæ semper habuit primatum. Secundo,* non adest vox *sicut,* sed vox *quandoquidem. Tertio,* si æqualitatem illam admisissent Nicæni Patres, eorum ratiocinium absurdum foret.

2° Nituntur versione Dionysii Exigui, *quandoquidem et Romano Episcopo parilis mos est ;* et expositione Rufini, jurisdictionem Romani Pontificis restringente ad suburbanas ecclesias. Sed jam vidimus hasce versiones tanquam spurias et erroneas esse rejiciendas, cum textui authentico aperte adversentur.

3° Dicunt interpretandum esse Nicænum canonem per subsequentes Synodos. Porro in Constantinopolitano Concilio statutum fuisse, ut Constantinopolitanus Episcopus secundum locum obtineret post Romanum, ob dignitatem novæ Romæ ; quo innuitur Romanam Sedem non aliam habuisse prærogativam quam honoris, et ex eo quod Roma esset caput imperii.

Respondeo : canon ille fuit fraudulenter additus, et a Romana Ecclesia rejectus, ut supra probavimus. Præterea canon ille primatui jurisdictionis Romanæ Sedis non adversatur; cum assignet dumtaxat secundum locum Constantinopolitano Præsuli, et de potestate Romani Episcopi nihil statuat.

4° Fidenter præcipue adducunt celebrem Chalcedonensem canonem 28, quo statuitur *æqualia* novæ Romæ deberi *privilegia,* nec minora quam antiquæ. Sed jam vidimus canonem illum fraudulenter fuisse insertum, et contra ipsum a Legatis Romanis per totam actionem XVI reclamatum ; necnon a Leone I expresse hunc eumdem canonem rejectum et proscriptum fuisse. Unde tandem concludendum est, Nicænam Synodum, nedum Romani Pontificis jurisdictionali et universali primatui adversetur, inconcussum de eo monumentum reliquisse.

VIII. *Aliis præter Nicænæ Synodi auctoritatibus inconcusse probatur, Romano Pontifici competere jurisdictionis primatum in universum orbem. Remissive.* — Etiamsi obscurum aliquatenus remaneret dictus primatus, attentis solis Nicænis viginti canonibus (quod non conceditur), exstat monumentorum, quæ dogma illud evidens faciant, immensa copia ; prout in *tractatu de Papa* abunde ostendemus. Hic vero, quia de Patriarchis disceptatio est, voluimus dumtaxat insaniam illam retundere, quæ Nicænam Synodum allegans, effutire non erubescit, independentes a Romano Pontifice olim alios exstitisse Patriarchas.

Propositio IIIª. — *Si fides adhibenda sit* 84 *canonibus Nicænis qui dicuntur Arabici, etiam quoad nomen, Concilii Nicæni* 1 *tempore, exstiterunt Patriarchæ.* — Cum magni momenti sint isti canones ad illustrandam antiquam Ecclesiæ disciplinam, nonnihil de iis prænotabimus; tum et quid de Patriarchis contineant subjiciemus.

I. *Prænotantur nonnulla.*—Eruditis explorata res est, multo plures a Nicænis Patribus editas fuisse constitutiones, quam quæ 20 receptis canonibus exprimuntur. Perierunt autem cæterorum decretorum, præter viginti prædictorum, græca

exemplaria; quod furori Arianorum, qui quotquot reperire poterant exemplaria flammis concremabant, præcipue tribuitur. At conservata versio quædam Arabica, canonum Nicænorum 84 : quam in latinum translatam ediderunt patres Pisanus et Turrianus, societatis Jesu. Qui etiam probant in iis canonibus haud genuina esse omnia, sed quædam spuria, sectarum fraude,ad patrocinandum suis erroribus,inserta fuisse. Ad secernenda autem a spuriis genuina, utuntur hac regula : quæ eadem apud varias sectas variisque in codicibus et versionibus reperiuntur, hæc pro genuinis habenda erunt : quæ vero diversa, et apud hanc tantum aut illam sectam, et hujus sectæ hæresi faventia, merito suspecta erunt. Multæ autem exstant in antiquis atque omnino authenticis documentis (verbi gratia, apud S. Augustinum, S. Hieronimum, et in plurium Romanorum Pontificum litteris), Nicænorum decretorum citationes, quas frustra quæres in viginti Nicænis canonibus : eas autem reperies cum dictis 84 arabicis canonibus concordes. Quæ omnia fuse exposita reperies apud Labbe (*Concilia*, tomo 2), documenta percurrendo quæ Nicænam Synodum respiciunt. Quo prænotato, superest ut ex illis arabicis canonibus Nicænis eos subjiciamus qui ad patriarchales sedes referuntur.

II. *Transcribuntur nonnulli ex dictis* 84 *Nicænis canonibus.*— « Episcopus Ægypti, nimirum Magnæ Alexandriæ Patriarcha, « toti præsideat Ægypto et omnibus ejus provinciis, adjacen- « tibusque civitatibus ei subjectis, quoniam ita convenit Epi- « scopo Romano, nempe Patriarchæ successori Petri, ut « præsideat etiam omnibus suis provinciis et regionibus quæ « ei subjectæ sunt. Pariter et Episcopus Antiochiæ, nempe « Patriarcha ejus, præsideat omnibus provinciis et regionibus « ei subjectis. In aliis vero regionibus antiquus servetur mos « Ecclesiæ, nimirum quod in præterito constitutum et ser- « vatum est. » (Canon 8 ex 84 Nicænis, qui dicuntur *Arabici.* Apud Labbe, tomo 2, col. 320, edit. Parisiis 1671.)

« Ne Patriarcham sibi constituant Æthiopes ex suis docto-

« ribus, neque propria electione; quia Patriarcha ipsorum est « constitutus sub Alexandrini potestate, cujus est ipsis ordi- « nare et præficere Catholicum, qui inferior Patriarcha est. « Cui præfato in Patriarcha constituto nomine Catholici, non « licebit Metropolitanos constituere, sicut constituunt Pa- « triarchæ. Etenim honor nominis patriarchatus illi defertur « tantummodo, non vero potestas. » (Canon 42, ex 84 Nicænis qui dicuntur *Arabici.)*

« Patriarcha igitur inspiciat quodcumque negotium fecerit « aliquis suorum Metropolitarum, sive Episcoporum, in pro- « vinciis quibus præsunt. Si autem invenerit ex illis quidquam « quod non decet, permutet illud, ac de illo constituat prout « ipsi videtur. Etenim omnium ipsorum Pater est, et illi filii « sunt ipsius. Metropolitæ autem principatum supra se agno- « scere, eumque venerari debent instar fratris majoris, quem « sibi fratres anteponunt... Et quemadmodum Patriarcha « potestatem habet super subditos suos, ita quoque potesta- « tem habet Romanus Pontifex super universos Patriarchas, « quemadmodum habebat Petrus super universos Christiani- « tatis Principes et Concilia ipsorum : quoniam Christi Vica- « rius est super redemptionem, ecclesias et curatos populos « ejus. » (Canon 44 ex 84 Nicænis qui dicuntur *Arabici.*)

« Conveniant Metropolitani etiam ad suum Patriarcham « semel quotannis. » (Canon 46 ex 84 Nicænis canonibus qui dicuntur *Arabici.*)

« Neque Metropolitanus et Episcopi ejus cognitionem cri- « minis sibi assumant delinquentis Episcopi qui sub ejus po- « testate est, et judicium de illo ferant, vel pœnitentiam ejus « recipiant etiam, sine interventu Patriarchæ. » (Canon 49, ex 84 Nicænis, qui dicuntur *Arabici.*)

« Si quis Episcoporum delatus fuerit aliqua in re, et pro- « pterea convenientes Episcopi illius sedis exsolverint illum « suo ordine, et ministerio interdixerint, volueritque ille ap- « pellare et querimoniam deferre ad Beatissimum Episcopum « Ecclesiæ Romanæ, nempe Papam, placueritque ei audire

« querimoniam, atque justum ipsi visum fuerit iterum per-
« scrutari negotium ejus; et rogaverit illum delatus ut pro
« se scribat ad universam illius provinciam, et ad Episcopos
« contiguarum provinciarum, ut perdiligenter exquirant de
« suo negotio, pervestigantes judicium de illo ferant juxta
« justitiæ æquitatem. Si vero rogaverit ille Episcopum Romæ,
« et commoverit eum ut mittat a suo latere duos presbyteros
« ecclesiasticarum causarum peritos et exquirant et investi-
« gent auctoritate seu potestate illius quid agendum sit de
« ipsius causa, et sub anathemate obstringat Legatos quos
« mittet ut judicent cum Episcopis, at principatum habeant
« Legati; et profecto obediendum in hoc est, statimque ac-
« quiescendum in causa illius Episcopi atque judicio de ipso
« lato, qua consentaneum rectumque visum fuerit Episcopo
« Romano Papæ. Quicumque autem sanctioni huic contra-
« dixerit, Patres Synodi illum excommunicant.» (Canon 71 ex 84 Nicænis, qui dicuntur *Arabici.*) Habentur illi canones apud Labbe (*Concilia*, tomo 2, col. 320 et seq., edit. Parisiis 1671); et de iis sunt quos eruditi fraudis non arguunt. At canones 37, 38 et 41, quibus Ephesina sedes inter patriarchales memoratur, et asseritur patriarchatum Ephesinum fuisse ad sedem Constantinopolitanam a Nicænis Patribus translatum, habendi sunt pro spuriis additionibus, queis Asiatici Ephesinam suam sedem extollere conati sunt.

III. *Quid concludendum videatur.* — Maximi profecto momenti est codex ille Arabicus Nicænorum canonum. At cum, fatentibus eruditis, spuria nonnulla iis intermixta sint, haud mihi liquet an ex solo eorum textu aliquid tanquam omnino certum argui valeat. Dum tamen patriarchales sedes memorant, vehementer saltem suadent, Nicænæ Synodi tempore, Patriarchas *etiam quoad nomen* exstitisse. Item non parum confirmant quæ aliunde certo constant de eorumdem Patriarcharum jurisdictione et relative ad Romanum Pontificem subjectione.

Propositio IVª. — *Constantinopolitana sedes nondum anno*

494 *in patriarchalem, imo nec in metropolitanam evecta fuerat: sed adhuc eo tempore Alexandrina sedes erat secunda; Antiochena vero tertia* : — Constat celeberrimo Decreto Gelasii Papæ, in Concilio Romano dicti anni 494; necnon epistola 13 ejusdem Pontificis. Præfati decreti tenor est hujuscemodi: « Illud « etiam intimandum putamus quod quamvis universæ per « orbem catholicæ ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta « tamen Romana, Catholica et Apostolica Ecclesia nullis syno- « dicis constitutis cæteris ecclesiis prælata est, sed evangelica « voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit, *tu es « Petrus*, inquientis, *et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam « meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi « dabo claves regni cœlorum : et quæcumque ligaveris....*

« Est ergo prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, *non « habens maculam neque rugam, nec aliquid hujusmodi* (Eph. 5).

« Secunda autem sedes, apud Alexandriam Beati Petri no- « mine a Marco ejus et discipulo et Evangelista consecrata « est. Ipseque a Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum « veritatis prædicavit, et gloriosum consummavit martyrium.

« Tertia vero sedes, apud Antiochiam ejusdem Beatissimi « Petri Apostoli nomine habetur honorabilis, eo quod illic, « priusquam Romam venisset, habitavit, et illic primum nomen « Christianorum novellæ gentis exortum est. » (Apud Labbe, *Concilia*, tomo 4, col. 1261, edit. Parisiis 1671.) In hoc decreto, ne mentio quidem fit Constantinopolitanæ sedis.

In dicta autem epistola XIII, Acacii Constantinopolitani Episcopi ambitionem retundens Gelasius, sic habet: « Risimus « autem quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia « Episcopus fuerit regiæ civitatis. Numquid apud Ravennam, « apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros, multis tempo- « ribus non constitit imperator? Num quidnam harum urbium « sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam « quidpiam suis dignitatibus usurparunt?... Si certe de digni- « tate agitur civitatum, secundæ sedis et tertiæ major est « dignitas sacerdotum, quam ejus civitatis, quæ non solum

« inter sedes (1) minime numeratur, sed *nec inter Metropolita-*
« *norum jura censetur*. Nam... alia potestas est regni sæcularis,
« alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim
« quamvis parva civitas prærogativam regni non minuit, sic
« imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non
« mutat... Postremo si sibi de imperatoris præsentia blandi-
« untur, et inde putant Constantinopolitanæ civitatis Episcopi
« potiorem fieri posse personam, audiant Marcianum, ejus-
« dem principem civitatis, (posteaquam, pro augmento urbis
« ipsius, sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obti-
« nere nihil potuit), sanctæ memoriæ Papam Leonem summis
« laudibus prosecutum, quod canonum regulas violari nulla
« fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium, ejusdem sedis
« Antistitem, clerum potius Constantinopolitanum, quam se,
« tentasse talia confitentem, atque in Apostolici Præsulis
« totum dicentem positum potestate. » (Apud Labbe, loco cit., col. 1207.)

Ad rem etiam faciunt hæc verba, quæ in epistola quarta ejusdem Gelasii habentur : « An secundæ sedis Antistites, et
« tertiæ, cæterique bene sibi conscii sacerdotes depelli de-
« buerunt...; et Constantinopolitanæ civitatis Episcopus, quæ
« utique per canones inter sedes nullum nomen accepit, in
« communionem recidens perfidorum, non debuit submo-
« veri? » (Gelasius Papa, epist. 4, apud Labbe, tom. 4, col. 1169.)

Ergo revera nondum sub finem sæculi quinti patriarchalis erat Constantinopolitana sedes, quamvis ad obtinendum a Romano Pontifice honorem istum plura jam tum facta fuissent tentamina.

Propositio V[a]. — *Nono sæculo recensebantur quidem inter Patriarchas Constantinopolitanus et Hierosolymitanus Episcopi : ast tanquam minus proprie dicti, et tribus proprie dictis inferiores.*

(1) Ibi vox *sedes* opponitur archiepiscopatibus; ac proinde ad designandas solas patriarchales sedes a Gelasio adhibetur.

— Habemus hac de re luculentissimum documentum, quo tota fere de Patriarchis notio breviter exhibetur. In suis nempe *responsis ad consulta Bulgarorum*, Nicolaus I, qui anno 858 ad Apostolicam Sedem evectus est, sic habet, n. 92 (apud Labbe, tomo 8, col. 545, edit. Parisiis 1671) : « Desideratis « nosse, quot sint veraciter Patriarchæ. Veraciter illi ha- « bendi sunt Patriarchæ, qui Sedes Apostolicas per succes- « siones Pontificum obtinent ; id est, qui illis præsunt eccle- « siis, quas Apostoli instituisse probantur ; Romanam videlicet, « et Alexandrinam, et Antiochenam. Romanam quam San- « ctorum Principes Apostolorum Petrus ac Paulus et prædi- « catione sua instituerunt, et pro Christi amore fuso proprio « sanguine sacraverunt. Alexandrinam, quam Evangelista « Marcus discipulus et de baptismate Petri filius a Petro mis- « sus instituit, et Domino Christo cruore dicavit. Antioche- « nam, in qua conventu magno Sanctorum facto, primum « fideles dicti sunt Christiani, et quam Beatus Petrus, prius- « quam Romam veniret, per annos aliquot gubernavit. Con- « stantinopolitanus autem et Hierosolymitanus Antistites, licet « dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis quantæ « superiores existunt. Nam Constantinopolitanam ecclesiam « nec Apostolorum quisquam instituit ; nec Nicæna Synodus, « quæ cunctis Synodis celebrior et venerabilior est, ejus « mentionem aliquam fecit ; sed solum quia Constantinopolis « nova Roma dicta est, favore principum potiusquam ratione, « Patriarcha ejus Pontifex appellatus est. Hierosolymitanus « autem Præsul, licet et ipse Patriarcha dicatur, et secundum « antiquam consuetudinem ac Nicænam Synodum honoran- « dus sit, salva tamen Metropoli propria dignitate ; sed et in « eadem sancta et magna Synodo nequaquam Jerosolymitanus, « sed Æliæ Episcopus dicitur. Nam vera Jerusalem tantum in « cœlis est, quæ est mater nostra : illa vero Jerusalem terre- « stris, secundum quod Dominus prædixit adeo funditus ab « Ælio Hadriano imperatore romano destructa est, ut in ea « nec lapis super lapidem sit derelictus, et ab eodem Ælio

« Hadriano in alio est loco constructa ; ita ut locus Dominicæ « Crucis extra portam, nnnc intra cernatur, et a prædicto « Ælio Hadriano nrbs illa Ælia vocitetur.

« Porro quis Patriarcharum secundus sit a Romano consn« litis. Sed juxta quod sancta Romana tenet Ecclesia, et Ni« cæni canones innuunt, et ipsa ratio docet, Alexandrinus « Patriarcharum a Romano Papa secnndus est. »

Propositio VI[a]. — *Constantinopolitano Episcopo concessum est a Chalcedonensi Concilio privilegium, ut qui controversiam haberent cum Metropolitanis, adire possent vel proprium Exarchum, vel Constantinopolitanum Episcopum ; sed privilegium illud sublatum est.* — 1° Sic habetur dictæ Synodi canone 9 : « Si autem « cum ipsius provinciæ Metropolitano Episcopns vel clericus « controversiam habeat, diœcesis Exarchnm adeat, *vel impe« rialis urbis Constantinopolis thronum*, et apud eum litiget. » Atque idem iternm sancitnr canone 17.

Vi autem hujus extraordinarii privilegii consueverant Constantinopolitani Antistites causas, ex variis Orientis exarchatibus ad ipsos delatas, synodice judicare, non quidem cnm regulariter coacta Synodo, sed vocatis iis Episcopis, qui in regia urbe pro suis negotiis reperiebantur.

2° Quod tamen dictum privileginm non permanserit, existimat Petrus de Marca (*de primatu Lugdunensi*, apud Labbe, tomo X, col. 525) : « Itaque, ait, privileginm illud jurisdictio« nis extraordinariæ, quod, Legatis Romanis conniventibus, « confirmatum erat Episcopo Constantinopolitano in Metro« politanorum causis, per totius Orientis provincias, paulatim « extinctum est... Justinianus constitutione sua definivit, « omissa electione agendi apud sedem Constantinopolitanam : « *Si vero contra Metropolitam talis aditio fiat ab Episcopo aut « clerico, aut alia quacumque persona, diœceseos illius Patriarcha « judicet* (novella 123, cap. 22). Photins quoque, titulo 9 « nomocanonis, capite 1, ex novella 137 : *Si Metropolitanus « accusatur, ipsius Patriarcha cognoscit.* »

Propositio VII[a]. — *A Concilio Lateranensi anni* 1215 *appro-*

batum est ut Constantinopolitanus Patriarcha primum post Romanum Pontificem locum consequeretur. — Verba Concilii sunt tenoris hujuscemodi : « Antiqua patriarchalium sedium pri-« vilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante, « sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente « Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet prin-« cipatum, utpote mater universorum Christi fidelium et ma-« gistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, « Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obti-« neant, servata cuilibet propria dignitate : ita quod postquam « earum Antistites a Romano Pontifice receperint Pallium, « quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, præstito sibi « fidelitatis et obedientiæ juramento, licenter et ipsi suis « suffraganeis Pallium largiantur, recipientes pro se profes-« sionem canonicam, et pro Romana Ecclesia sponsionem « obedientiæ ab eisdem.

« Dominicæ vero Crucis vexillum ante se faciant ubique « deferri, nisi in urbe Romana, et ubicumque Summus Pon-« tifex præsens exstiterit, vel ejus Legatus utens insigniis Apo « stolicæ dignitatis.

« In omnibus autem provinciis eorum jurisdictioni subjectis, « ad eos, cum necesse fuerit, provocetur : salvis appellatio-« nibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab « omnibus humiliter deferendum. » (Concilium œcumenicum Lateranense IV, anni 1215, capite 5, sub Innocentio III.)

Propositio VIII^a. — *Præter quinque Patriarchas in Concilio Lateranensi anni* 1215 *memoratos, cæteri quibus a Sede Apostolica hujus nominis honor concessus est, pro veris Patriarchis habendi non sunt.* — « Scimus aliquot Archiepiscopos decoratos « fuisse titulo Patriarchæ, quin tamen idcirco patriarchalia « jura sint assecuti. Atque ut alios plures prætermittamus « Metropolitas, quinimmo etiam simplices Episcopos, qui se « Patriarchas appellarunt..., refert Dionysius Sammarthanus « (in sua *Gallia christiana*, tomo 2, col. 26). Rodolphum Ar-« chiepiscopum Bituricensem atque Aquitaniæ Primatem,

« Patriarchæ titulo cohonestatum fuisse a Nicolao I... Sed « quamquam Archiepiscopi Bituricenses Patriarchæ titulum, « ab Apostolica Sede semel obtentum, constanter retinuerint, « recte tamen existimantes eum esse meri honoris, nunquam « Patriarchalia jura sibi vindicare, jurisdictionemque in cæte« ros Primates ausi sunt exercere. » Ita Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 2, c. 4, n. 6 et 7).

Propositio IXª.— *Romana, Alexandrina et Antiochena sedes solæ sunt patriarchales strictiori sensu, atque institutionis Apostolicæ: duæ aliæ patriarchales factæ fuerunt, at minus stricto sensu, et ex institutione ecclesiastica.* — Patet ex relatis huc usque documentis. In strictiori nempe sensu solæ illæ sedes Patriarchales dici debent, quas ipsimet Apostoli constituerunt, cum potestate in omnes totius alicujus regionis ecclesias, etiam metropolitanas et primatiales. Porro tales institutæ reperiuntur tres dumtaxat; nimirum Romana, Alexandriua et Antiochena : suntque iustitutionis Apostolicæ, institutionis scilicet Beati Petri Apostolorum principis. Cum autem duæ aliæ nonnisi pluribus sæculis post Apostolorum obitum in patriarchales evectæ fuerint, hoc ipso, quamvis nomen et potestatem patriarchatuum adeptæ sint, minus stricto sensu patriarchales dici potuerunt,

§ III.

Quænam sit Patriarcharum potestas.

Propositio Iª. — *Nihil potest Patriarcha in patriarchatus sui Præsules et diœceses, nisi quod in jure exprimitur, vel antiqua consuetudine ei tribuitur.* — Regula hæc, quam primatibus et Archiepiscopis infra applicamus, etiam quoad Patriarchas vera est; pront constat ex epistola Nicolai I ad Rodolphum Archiepiscopum Bituricensem (apud Labbe, tomo 8, col. 505, edit. Parisiis 1671), quæ sic habet :

« Conquestus est Apostolatui nostro frater noster Sigebodus

« Archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos eo invito « ad judicium tuum venire compellas, et de rebus ad eccle« siam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure patriar« chatus tui disponas : cum hoc neque antiquitas, cui sancti « Patres sanxere, reverentiam habeat, et auctoritas sancto« rum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis, quæ « apud se terminari non possunt, ad te quasi ad Patriarcham « suum provocaverint per appellationes; vel, si Episcopus « suus decesserit, res ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare « voluerint. Primates enim vel Patriarchas nihil privilegii « habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones « concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, « diffinimus : ita ut, secundum Nicænas regulas sua privile« gia serventur ecclesiis, præterquam si Apostolica Sedes « aliquam ecclesiam, vel rectorem ipsius quolibet speciali « privilegio decreverit honorare. »

Propositio IIª. — *Patriarcha est legitimus judex appellationis quoad omnes patriarchatus sui provincias.* — Id jam vidimus a Nicolao I assertum. Sed magis expresse definitum est in Concilio Lateranensi IV, capite 5 : « In omnibus autem « provinciis eorum jurisdictioni subjectis, ad eos cum ne« cesse fuerit provocetur, salvis appellationibus ad Sedem « Apostolicam, quibus est ab omnibus humiliter deferen« dum. »

Propositio IIIª. — *Causæ Episcoporum Metropolitano subjectorum in prima instantia, non a Patriarcha, sed a Concilio provinciali olim judicabantur : ita tamen ut sententia depositionis nunquam vim haberet, nisi assentiente et confirmante Romano Pontifice.* — Quod nunquam deponi potuerit ullus Episcopus, nisi sententiam depositionis approbante Romano Pontifice, in tractatu *de Concilio provinciali* fuse probavimus (vide etiam supra, parte 3, sect. 1, cap. 1). Quod autem a Concilio provinciæ, præsidente Metropolitano, judicari in prima instantia, possent Episcoporum causæ, testantur documenta quamplurima et totius antiquitatis praxis : sed, ut diximus, si pronun-

tiaretur depositionis sententia, vim non habebat, ante Sedis Apostolicæ confirmationem.

Hic vero occurrit quæstio, an potuerit Patriarcha ad suum tribunal avocare alicujus Episcopi causam, priusquam fuisset ad ipsum per appellationem delata? Equidem poterat Episcopus, a Concilii provincialis sententia ad Patriarcham appellare, prout ex citato, sub præcedenti propositione, Lateranensi decreto plene constat. Sed nequibat Patriarcha Episcopi Metropolitano subjecti causam in prima instantia cognoscere. Hoc enim nullibi a jure communi ei concessum reperitur; et contrarium aperte definit Nicolaus I in epistola, quam supra, sub propositione prima, transcripsimus.

PROPOSITIO IV[a]. — *Causas Metropolitanorum in prima instantia judicare olim pertinebat ad Patriarcham : non tamen solum, sed in Concilio : et ita ut non valeret sententia depositionis, nisi eam confirmante Sede Apostolica.* — Supponimus hic Metropolitanos qui Patriarchæ immediate subjicerentur; ita ut inter ipsos et Patriarcham non adesset Primas, qui relative ad Metropolitas immediatus superior existeret. Porro tunc legitimus judex Metropolitanorum erat Patriarcha in prima instantia; utpote qui ipsorum immediatus superior foret. Unde jus commune ecclesiasticum non mutabat, sed solum brachii sæcularis auxilio muniebat Justinianus, quando sic (novella 123, c. 22) decernebat : *Si vero contra Metropolitam talis aditio fiat, sive ab Episcopo, sive a clerico, sive a qualibet alia persona, diœcesis illius Patriarcha causam judicet.*

Quod autem non posset Patriarcha Metropolitani causam judicare nisi cum Concilio, ex constanti antiquitatis praxi colligitur, et sequitur ex generali canonum dispositione, qua cavebatur ne ullus Episcopus nisi conciliariter condemnaretur.

Quod tandem non valeret depositionis sententia contra Metropolitanam pronuntiata, nisi accedente Romani Pontificis confirmatione, sequitur ex generali thesi, in tractatu *de Concilio provinciali* probata, nunquam scilicet deponi

potuisse ullum Episcopum, nisi assentiente Sede Apostolica.

Propositio Va. — *Nationali Concilio alicujus regni præsidere pertinet ad hujus regni Patriarcham.* — Vide apud Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 1, c. 1, n. 2. At convocari nequit ejusmodi Concilium nisi auctoritate Sedis Apostolicæ, prout sequenti propositione firmatur.

Propositio VIa. — *Nequit Patriarcha nationale Concilium convocare nec celebrare, nisi approbante ac decernente Romano Pontifice.* — I. Quod nequeant ulla Concilia celebrari absque assensu Romani Pontificis, fuit pro constanti et certa regula, in tota retro antiquitate admissum. Id fuse probavimus in alio tractatu (*du Concile provincial*, pag. 368 et seq.). Quam conclusionem certam faciunt, inter alia multa, documenta hæc :

1° Narrat Socrates (*Hist. eccles.*, l. 2, c. 17), exprobrasse Eusebianis sanctum Julium I, quod, contra canones (παρὰ κανόνας ποιοῦντας), ipso prætermisso, Synodum Antiochiæ celebrare attentassent, *cum, ex ecclesiasticæ regulæ præscripto, non debeant Ecclesiæ, præter assensum Episcopi Romæ statuere :* τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ Ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. Per vocem illam κανονίζειν, pro qua posuimns *statuere*, sustinet Bellarminus (*de Conc.*, l. 1, c. 12) intelligendum esse : « *Canonicum cœtum* « *convocare, sive Concilium indicere*, quomodo loqnuntur Mar- « cellus et Julius Pontifices, qui latine videntur scripsisse, et « quomodo in Socrate et Sozomeno vertit Cassiodorns, in « historia tripartita (l. 4, c. 9 et 19); quomodo etiam intel- « lexit Nicephorus, l. 9, c. 5. » Sed quomodocumque vertatur vox illa, certum remanet, quarto sæculo persuasum fuisse anticanonice celebrari Concilia, absque assensu Romani Pontificis. Quam ecclesiasticam regulam memorat etiam Socrates, eodem libro, capite 8.

2° Item narrat Sozomenns (l. 3, c. 10) reprehensos a Julio Papa fuisse dictos Episcopos, qnod contra legem ecclesiasticam ipso non vocato Synodum celebrassent : « Est enim lex « sacra, invalida esse quæ fiunt absque assensu Romanorum

« Episcopi : *εἶναι γὰρ νόμον ἱερατικὸν, ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ « γνώμην πραττόμενα Ῥωμαίων Ἐπισκόπου.* »

3° In Chalcedonensi Concilio Paschasinus et Lucentius Romani Pontificis Legati non passi sunt Dioscorum Alexandrinorum Patriarcham cum cæteris Episcopis sedere, eo quod sine auctoritate Sedis Apostolicæ Synodum celebrasset : « Paschasinus reverendissimus Episcopus, Vicarius Apostolici « Throni..., dixit : Beatissimi et Apostolici Episcopi Roma- « norum urbis, capitis super omnes ecclesias principatum « habentis (*κεφαλῆς ὑπάρχοντος πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν*) præ- « cepta habemus, quibus præcipere dignatus est, ut Diosco- « rus non sedeat in Concilio : quod si hoc facere tentet, ex- « pellatur... Aut ille egrediatur, aut nos eximus. » Postulatum fuit a Legatis, quid specialiter Dioscoro exprobraretur. Ad quod respondit Lucentius, Sedis Apostolicæ Legatus : *Synodum ausus est facere absque auctoritate Apostolici Throni, quod nunquam factum est, nec fieri licet : Σύνοδον ετόλμησε ποιῆσαι ἐπιτροπῆς δίχα τοῦ Ἀποστολικοῦ Θρόνου, ὅπερ οὐδέποτε γέγονεν, οὐδὲ ἐξὸν γενέσθαι* (actione 1, apud Labbe, *Concilia*, tomo 4, col. 94, edit. Parisiis 1671).

4° In epistola Pelagii Papæ ad Patricium Narsen (circa annum 556, apud Mansi, *Concilia*, tomo 9, pag. 715), hæc occurrunt verba : *Nec licuit alicui aliquando nec licebit particularem Synodum congregare.*

5° Theodorus Studites, ad Leonem Papam III scribens, queritur de habita Constantinopoli Synodo quadam anticanonica. E qua epistola refert Fleuri (*Hist. eccl.*, l. 45, n. 47) hæc verba : « S'ils n'ont pas craint de tenir un Concile héré- « tique de leur autorité, *quoiqu'ils n'eussent pas dû en tenir « un même orthodoxe à votre insu* (1), *suivant l'ancienne coutu- « me,* combien est-il plus convenable et plus nécessaire que « vous en assembliez un pour condamner leurs erreurs? »

(1) Textum græcum præ manibus non habeo; sed suspicor in eo legi παρὰ γνώμην quod plus dicit quam *à votre insu.*

II. Concilia provincialia, utpote ab ipso jure præscripta, non celebrantur absque consensu Romani Pontificis, sed consentiente et implicite per legem ipsam præcipiente Pontifice, ut patet. Et insuper nequeunt eorum decreta publicari, quin prius Sedi Apostolicæ subjecta, et ab ea recognita fuerint.

III. Atvero regula ecclesiastica, de non convocandis aut celebrandis Conciliis absque auctoritate Sedis Apostolicæ, nationalia Concilia plane attingit, ut ex præmissis aperte colligitur. Hinc cum Lugdunensis Primas, anno 1112, aliarum Galliæ provinciarum Metropolitas et Episcopos ad Concilium apud Ansam celebrandum propria auctoritate convocasset, merito Senonensis provinciæ Metropolitanus ejusque suffraganei obtemperare renuerunt, contendentes haud fas esse primæ sedis Galliarum Præsuli aliarum provinciarum Episcopos, absque Romani Pontificis præcepto, ad Synodum cogere. Rescripserunt nempe hac synodica epistola :

« Joanni Dei gratia Lugdunensis primæ sedis Archiepiscopo, « Damibertus eadem gratia Senonensium Archiepiscopus, Ivo « Carnotensis Episcopus, Walo Parisiensis Episcopus, Joannes « Aurelianensis Episcopus, cum cæteris Coepiscopis Senonensis provinciæ, institutam a Patribus reverentiam. — Jure « primatus vestri invitastis nos ad Concilium apud Ansam « celebrandum, in quo tractare disposuistis de fide et investituris laicorum. Ad quod venire minime contemnimus : « sed terminos quos posuerunt Patres nostri, terminos antiquos transgredi formidamus. Nusquam enim reverenda « Patrum sanxit auctoritas, nusquam hoc servare consuevit « antiquitas, ut primæ sedis Episcopus Episcopos extra provinciam propriam positos invitaret ad Concilium, nisi hoc « aut Apostolica Sedes imperaret, aut una de provincialibus « ecclesiis, pro causis quas intra provinciam terminare non « poterat, primæ sedis audientiam appellaret. Quod non de « corde nostro prophetamus, sed Apostolica auctoritate muniti, « irrefragabilibus sententiis approbamus. Unde scribit Papa « Nicolaus in hæc verba Rodolpho aquitaniarum Primati, ultra

« jus Primatis aliquæ sibi usurpanti : *Conquestus est apostolatui* « *Nostro frater noster Sigebodus Archiepiscopus Narbonensis, quod* « *clericos suos eo invito ad judicium venire compellas, et de rebus* « *ad ecclesiam suam pertinentibus eo inconsulto, quasi jure patri-* « *archatus tui disponas : cum hoc nec antiquitas, cui Patres san-* « *xere reverentiam, habeat, et auctoritas Sanctorum et canonum* « *penitus interdicat ; nisi forte pro causis quæ apud se terminari* « *non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum provocaverint ;* « *vel, si Episcopus suus decesserit, res ecclesiæ suæ judicio tuo* « *dispensare voluerint. Primates enim vel Patriarchas nihil pri-* « *vilegii habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones* « *concedunt et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffi-* « *nimus : ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia ser-* « *ventur ecclesiis...*

« His auctoritatibus muniti, nolumus ecclesiis nostris inau- « ditam novitatem inducere, vel jura earum antiquitus insti- « tuta permutare. » Alia multa gravitate plena subnectunt Senonensis provinciæ Episcopi.

Ad hanc Epistolam respondit quidem Lugdunensis Archi-episcopus ; at rationibus quæ vim nullam habent :

« Cum prima Lugdunensis provincia, inquit, Lugdunensis « provincia sit, nihilominus secunda et tertia Lugdunensis « provincia est. Cum ergo primæ sedis Lugdunensis Præsul, « pro suis aut illorum necessitatibus secundæ vel tertiæ pro- « vinciæ Præsules vocat, non ad alienam provinciam trahit, « sed rationabili et justo ordine servato, inferiora membra ad « caput revocat... Nec prudentiam tuam latere credimus, « quoslibet Metropolitas provincialia Concilia intra suos fines « convocandi jus habere : qua autem habitudine suffraganei « ad suos Metropolitas se habent, eadem Metropolitæ ad suos « Primates se habere noscuntur : ut videlicet causæ quæ « apud inferiores terminari nequeunt, apud superiores diffi- « niantur ; nisi ad Romanam audientiam appellatum fuerit. »

Prior ratio non eget confutatione. Sed neque posterior vim ullam habet. Nam quod valeant et teneantur Metropolitæ

Concilia provinciæ suæ convocare, expresse a jure sancitum est. Atvero posse a Primate aut Patriarcha convocari in Concilium auctoritate propria aliarum provinciarum Episcopos, id nullibi jus exprimit; ac proinde quoad hoc applicanda venit regula Nicolai Pontificis, *Primates vel Patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, diffinimus.*

Citatas illas Epistolas reperies apud Labbe (*Concilia*, tomo 10, col. 786 et seq., edit. Parisiis 1671).

Propositio VII[a]. — *Patriarchæ competit privilegium jubendi ut ante ipsum crux deferatur.* — « Dominicæ vero Crucis vexil« lum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, et « ubicumque Summus Pontifex præsens exstiterit, vel ejus « Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis. » (Concilium Lateranense IV, cap. 5.)

Mos prægestandæ crucis a Summo Pontifice ad ejus Legatos primum fluxit : mox ad Patriarchas et Primates : tum nonnullis Archiepiscopis et etiam Episcopis privilegium concessum est : et tandem in commune jus transiit ut præter Patriarchas et Primates, Archiepiscopi quoque hac prærogativa potirentur ; quam non habent Episcopi nisi exceptionaliter et ex privilegio (vide Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 2, c. 6, n. 2).

Propositio VIII[a]. — *Quod sæculo saltem decimo tertio Patriarchæ Orientis debuerint Pallium a Romano Pontifice recipere, et potuerint illud Metropolitanis sibi subditis conferre, constat ex Concilio Lateranensi IV anni* 1215. — Vide id probatum infra, sectione 2, capite 5, § 3, ubi de Pallio agimus.

CAPUT II.

DE PRIMATIBUS.

Dicemus 1°, quid sint, et quo jure instituti : 2°, quænam eorum jurisdictio et prærogativæ : 3°, an hodie aliqui in Galliis Archiepiscopi Primatum appellationem sibi vindicare jure valeant.

§ I.

Quid sint Primates, et quo jure instituti.

PROPOSITIO I^a. — *Definiri potest primatialis sedes, illa cui in perpetuum annexum est certum quoddam jus supra omnes alicujus regionis Metropolitanos; ita tamen ut, vel ipsa patriarchali sedi subjaceat, vel (si forte sit extra omnem patriarchatum) patriarchalis denominationis prærogativam non habeat.* — Etenim 1°, quidquid sit de variis acceptionibus quibus illud Primatis vocabulum in autiquis mouumentis usurpatum occurrit, certum est, juxta sensum a multis jam sæculis in Ecclesia receptum, non dici proprie Primatem nisi qui jus aliquod supra Metropolitanos habeat. Id testantur documenta quamplurima; e quibus juvat nonnulla subjicere :

Bonifacius I, qui anno 418 ad Apostolicam Sedem evectus est, decrevit in hunc modum. « Si inter Episcopos ejusdem « Concilii dubitatio emerserit de ecclesiastico jure, et de aliis « negotiis, primum Metropolitanus eorum cum aliis quibus- « dam in Concilio considerans rem, dijudicet. Et si non ac- « quiescat utraque pars judicatis, tunc Primas illius regionis « inter ipsos audiat : et quod canonibus et legibus consen- « taneum sit, hoc diffiniat. Et nulla pars valeat calculo ejus « contradicere. » (Bonifacius I ad Episcopos Galliæ; apud Labbe, *Concilia,* tomo 2, col. 1587, edit Parisiis 1671.) Ibi clare statuitur a sententiis Metropolitanorum ad Primates appellari posse.

Post Saracenorum e Toletana civitate expulsionem, restituta sedes illa episcopalis fuit cum primatiali dignitate, per diploma seu privilegium Urbani II, anno 1088. In quo diplomate sic habetur : « Teque, secundum quod ejusdem « urbis antiquitus constat exstitisse Pontifices, in totis « Hispaniarum regnis Primatem privilegii nostri sanctione « statuimus... Primatem te universi Præsules Hispaniarum « respicient, et ad te, si quid inter eos quæstione dignum

« exortum fuerit, referent : salva tamen ratione, Ecclesiæ « auctoritate, et Metropolitanorum privilegiis singulorum. » (In tractatu *de Primatu ecclesiæ Toletanæ* Garciæ Loaisæ, apud Labbe, *Concilia*, tomo 5, col. 1635, edit. Parisiis 1671.)

Concesso hocce diplomate, idem Urbanus II Toletanum Episcopum insuper constituit Sedis Apostolicæ Legatum in universa Hispania et provincia Narbonensi : prout constat sequenti ejusdem Pontificis epistola, anno 1099 ad Terraconensem Episcopum directa : « Novit dilectio tua, frater in « Christo venerabilis, quo tenore, qua conditione Pallium tibi « privilegiumque concessimus... Memineris tamen ita te « Archiepiscopum constitutum, ut tam tu quam universi pro« vinciæ Tarraconensis Episcopi Toletano tanquam Primati « debeatis esse subjecti. Sic ei a nobis in Toletanæ ecclesiæ « privilegio constitutum est ; quod nos omnino ratum volu« mus permanere. » (Apud Labbe, loco cit., col. 1636.) Jus in Metropolitanos Primati competere aperte supponunt et exprimunt ejusmodi rescripta.

Item in dirimenda controversia Lugdunensem inter et Senonensem Archiepiscopum, jus Primatis in Metropolitanos omnino certum habuit præfatus Urbanus II. Mandavit siquidem, ut Senonensis Archiepiscopus teneretur Lugdunensi Præsuli ejusque legitimis successoribus, *tanquam Primatibus obedire* (vide infra, § 2, propositione 6).

Et quod revera de essentia primatialis dignitatis proprie dictæ sit, ut ei jus aliquod in Metropolitanos competat, receptum est apud doctores, dum agunt de Primatibus juxta sensum qui jamdudum in stylo ecclesiastico prævaluit. Hinc, verbi gratia, definitur primatialis dignitas a Petro de Marca : « Institutio civitatibus jure perpetuo affixa, quæ in concessus « prærogativa, et in judiciis reddendis super appellationibus « a Metropolitanorum sententiis, versabatur. » (Apud Labbe, *Concilia*, tomo 10, col. 536, edit. Parisiis 1671.)

2° Atvero non omnis qui potestatem habet in Metropolitanos est Primas. Etenim ejusmodi potestatem habent Legati

Pontificii, et tamen nequaquam Primates dicuntur aut pro talibus habentur. Unde quamvis olim Summi Pontificis Legatus ac Vicarius esset Arelatensis Archiepiscopus quoad universam Galliam, atque ei quatenus tali obtemperare tenerentur omnes Galliarum Metropolitani atque etiam Primates, nunquam tamen ideo Primatibus annumeratus fuit. Et idem dicendum de Archiepiscopo Thessalonicensi, necnon Hispalensi et nonnullis aliis, quibus pariter vices suas Romani Pontifices delegare solebant. Hæc enim eorum potestas *personalis* erat, et cum persona desinebat. Est autem de essentia primatialis dignitatis (prout et patriarchalis ac archiepiscopalis) ut sit ipsimet sedi annexa, eique permanenter inhæreat. Unde, quod primatialis dignitas sit *jus quoddam in Metropolitanos*, est ipsius genus proximum; sed ad discriminandam illam a Legatorum Pontificiorum potestate, addendum est *ipsi sedi perpetuo affixum.*

3° Sed etiam sic nondum accurate definitur : patriarchalis quippe dignitas est etiam *jus in Metropolitanos, sedi permanenter affixum.* Differt autem primatialis a patriarchali duobus capitibus : *primo,* quia primatialis esse potest cum subjectione alicui sedi præter Romanam, id est, alicui sedi patriarchali : atvero Patriarcha, si cui sedi præter Romanam subjiciatur, verus Patriarcha non est. *Secundo,* si erigeretur sedes primatialis nulli patriarchali subjecta, quod absolute non repugnat, ambæ in eo convenirent, quod jus haberent in Metropolitanos absque subjectione relative ad aliam sedem præter Romanam; et tunc non aliter videntur differre quam nominis prærogativa. Quod si objiciatur, majorem esse Patriarchæ quam Primatis in Metropolitas potestatem, et inde discrimen inter utramque dignitatem desumi posse, respondeo : vix ac ne vix quidem determinari posse in quo de jure minor sit in hoc casu hujus quam illius jurisdictio. Concipitur enim primatialis sedes eisdem, excepta denominatione, prærogativis donata, quibus patriarchalis. Cæterum in Occidente nunquam exstitit primatialis sedes quæ nulli patriarchali sub-

jiceretur; cum Romanus Pontifex totius Occidentis Patriarcha semper fuerit.

« In Oriente quidem (ait Petrus de Marca, tomo 10, col. « 528), præter Alexandrinum et Antiochenum, erant alii tres « Exarchi diœceseon; scilicet Ephesinus Asianæ diœcesis, « Cæsareensis Ponticæ, et Heracleensis Tracicæ Præfecti; « qui Metropolitanos sibi subditos plerumque ordinabant, et « Synodos indicebant; sed ipsi a nullo Patriarcha pendebant « in administratione diœceseon; et pari fere jure fruebantur « in suis diœcesibus, quo Alexandrinus et Antiochenus, qui « potiores erant tantum dignitate. »

PROPOSITIO IIa.—*Primates proprie dicti erant qui in Oriente Exarchorum et Catholicorum nomine designabantur.* — 1° Exstitisse in Oriente Præsules Metropolitanis superiores, qui Exarchorum et Eparchorum appellatione insigniri solebant, constat duobus sequentibus œcumenici Chalcedonensis Concilii canonibus :

« Si autem cum ipsius provinciæ Metropolitano Episcopus « vel clericus controversiam habeat, diœcesis Exarchum « adeat, vel imperialis urbis Constantinopolis thronum, et « apud eum litiget.

Εἰδὲ πρὸς τὸν τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας Μητροπολίτην Ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς αμφισβητοίη, καταλαμβανέτο ἢ τὸν Ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς Βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ δικαζέσθω (Concilium Chalcedonense, canone 9).

« Si quis autem injuria afficiatur a proprio Metropolitano, « apud Eparchum diœcesis (παρὰ τῷ Ἐπάρχῳ τῆς διοικήσεως), « vel Constantinopolitanam sedem litiget, sicut prius dictum « est. » (Concilium Chalcedonense, canone 17.)

Item in Oriente exstabant Præsules Metropolitanis superiores, qui *Catholici* vocabantur. Id, inter alia documenta, testantur Nicæni canones qui dicuntur Arabici, in quibus, capite 33 : « Honoretur quoque similiter sedes Seleuciæ...; qui de- « beat etiam appellari nomine *Catholici;* et possit is ordinare « Archiepiscopos, sicut faciunt Patriarchæ. » (Apud Labbe,

Concilia, tomo 2, col. 301, edit. Parisiis 1671.) Atque ibidem, capite 36 : « Ut non possint Æthiopes creare nec eligere Pa« triarcham. Quin potius eorum Prælatus sub potestate ejus « sit, qui tenet sedem Alexandriæ. Sit tamen apud eos loco « Patriarchæ, et appelletur *Catholicus :* non tamen jus habeat « constituendi Archiepiscopos, ut habet Patriarcha; siquidem « non habet Patriarchæ honorem et potestatem. » (Apud Labbe, ibid., col. 302.) De ejusmodi *Catholicis* meminit etiam epistola Petri Antiocheni ad Dominicum Gradensem (vide apud Labbe, tomo 10, col. 528).

2° In citatis Synodi Chalcedonensis canonibus vox *diœcesis* usurpatur pro quodam regionis tractu, plures metropolitanas sedes, et omnes diœceses iisdem Metropolitis subjectas, comprehendente. Patet ex eo quod Metropolitanus supponatur esse *in diœcesi* et *de diœcesi* Exarchi seu Eparchi. Atque ita cæteroquin rem intelligunt eruditi : « Nunc fere omnibus « notum est (ait Petrus de Marca) *diœcesim* hoc loco sumi « pro tractu diversarum provinciarum, in unum corpus com« pactarum. » (Apud Labbe, tomo 10, col. 522, edit. Parisiis 1671.) In Orientali imperio quinque exstitisse ejusmodi exarchatus, tradit idem Petrus de Marca (loco cit.) : videlicet Ægyptiacum, cui Alexandrinus Episcopus; Orientalem stricte sumptum, cui Antiochenus; Asianum, cui Ephesinus; Ponticum, cui Cæsareensis; et Thracicum, cui Heracleensis, et postea Constantinopolitanus Præsul Exarchus fuit.

3° Ejusmodi autem *Exarchi, Eparchi* et *Catholici* Præsules, veros fuisse Primates inde colligendum venit, quod ipsis Metropolitani subjicerentur, nec tamen idem essent ac Patriarchæ. Ipsis, inquam, Metropolitani subjacebant, siquidem juxta citatos Chalcedonenses canones, ad Exarchi tribunal causa contra Metropolitanum deferenda erat; et juxta canones Nicænos arabicos, qui dicebatur *Catholicus* Æthiopiæ, erat apud Æthiopes *loco Patriarchæ,* non tamen Patriarcha, sed Alexandrino Patriarchæ subditus. Hinc revera ejusmodi *Exarchos* ac *Catholicos* veros Primates fuisse concludendum est.

Equidem inde sequitur quasdam sedes simul patriarchales et primatiales fuisse, nempe Alexandrinam, Antiochenam et Constantinopolitanam : sed hoc non repugnat; sicut non repugnat eamdem Sedem Romanam esse simul Papalem, quoad universum orbem, patriarchalem quoad Occidentem, metropolitanam quoad Romanam provinciam, et episcopalem quoad diœcesim urbis Romæ. Quod Exarchi, quatenus tales non essent Patriarchæ, patet ex eo quod Exarchi fuerint Ephesinus, et Cæsariensis Episcopi, qui tamen Patriarchæ non fuerunt.

Propositio IIIª.— *Primatis vocabuli acceptio non fuit semper antiquitus juxta præmissum sensum determinata, sed varia.* — Non desunt enim documenta in quibus *Patriarchæ* et *Primatis* denominationes pro synonimis adhibentur. Item *Primatis* vocabulum quandoque usurpatum reperitur pro designando Metropolitano. Quod sic adnotat Garsias Loaisa : « Primas « dicitur Episcopus qui est caput totius provinciæ. Sic Con« cilio Carthaginensi 2, capite 12, *ut inconsulto Primate cujus« libet provinciæ nemo præsumat Episcopum ordinare.* Ibi enim « pro Metropolitano accipitur; utpote cum hoc munus ad « solum Metropolitanum pertineat, ut ex multis Conciliis li« quet. » (Apud Labbe, *Concilia*, tomo 6, col. 1274, edit. Parisiis 1671.)

Unde quod de voce *Papa* et *Patriarcha* superius annotatum est, ad Primatis etiam denominationem est extendendum : ejusmodi scilicet vocabula non statim ob Ecclesiæ exordiis eum determinatum sensum exclusive habuisse, qui eis postmodum affixus est.

Propositio IVª. — *Quamvis aliquæ primatiales sedes ab ipsismet forsan Apostolis constitutæ fuerint, constat plures saltem nonnisi post Apostolica tempora institutas fuisse. Remissive.*— An revera institutionem Apostolicam sibi merito vindicare queat primatialis aliqua sedes, eruditis enucleandum relinquimus (vide tractatum *de primatu Ecclesiæ Toletanæ*, Garsiæ Loaisæ, apud Labbe, tomo 5, col. 1635 ; necnon dissertationem Petri de Marca, *de primatu Lugdunensi*, ibidem, tomo 10, col. 519).

Plures autem sedes in primatiales a Romanis Pontificibus fuisse evectas, reperies in dicta dissertatione Petri de Marca, caute tamen legenda, utpote sanæ doctrinæ haud undequaque concors. Atque ibidem nonnulla etiam traduntur de cæteris præter Lugdunensem Galliæ Primatibus. Ab ejusmodi circa priscos Galliæ Primates evolvendis quæstionibus abstinendum duximus, tum ne nimium tractatus excresceret, tum quia per Bullas Concordati anni 1801 certum est suppressas fuisse Episcopales Galliæ sedes quaslibet, et inter eas quæ erectæ fuerunt, nullam primatiali dignitate fuisse decoratam : ita ut hodie nullus exstet in Galliis Primas, prout dicetur infra, paragrapho 3.

Nota. — De primatu Lugdunensis Ecclesiæ, eum a S. Gregorio septimo fuisse confirmatum anno 1079 : *Confirmamus,* inquit, *primatum super quatuor provincias Lugdunensi ecclesiæ tuæ, et per eam tibi tuisque successoribus* (libro 6 epistolarum S. Gregorii VII, epistol. 34). Contendit Petrus de Marca, a Gregorio VII dictum fuisse *confirmamus* potiusquam *instituimus,* « ne exceptio novitatis opponeretur » (apud Labbe, tomo 10, col. 538, edit. Parisiis 1671) ; et putat tunc primum constitutum fuisse Lugdunensem primatum. Sed frivola est ratio illa. Nam si jam nullatenus exstitisset ille primatus, multo magis oppositionem et querelas quatuor illarum provinciarum excitasset Pontifex dicendo *confirmamus,* quam dicendo *instituimus ;* quia confirmando, non tantum primatum inducebat, sed declarabat jam exstitisse. Dum autem innuit Petrus de Marca sanctum Pontificem ita ex astutia esse locutum, impiæ quidem in Sanctum canonizatum injuriæ se reum fecit; at non Gregorii VII, sed suam utique versutiam prodidit.

§ II.

Quænam sit propria Primatum potestas.

PROPOSITIO Iª. — *Nullum Primati jus competit nisi quod expresse ipsi a jure concessum reperitur, aut legitime præscripta*

consuetudine fuit acquisitum. — Constat epistola Nicolai I ad Rodolphum Archiepiscopum Bituricensem, in qua sic habetur : « Primates enim vel Patriarchas nihil privilegii habere præ « cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et « prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus. » (Vide supra, cap. 1, § 3, prop. 1.)

Fuit autem regula hæc tanquam certa constanter habita ; prout adnotat Petrus de Marca, occasione contentionis Lugdunensem inter Primatem et Senonensem Archiepiscopum : « Attamen obtinere non potuit quod tantopere ambiebat « (*nempe Primas Lugdunensis*), ob certam illam regulam, quæ « illius voto erat contraria, nempe nihil licere Primatibus, « quam quod iis ex veteri instituto indultum est, scilicet « *solum appellationis judicium.* » (Apud Labbe, *Concilia,* tomo 10, col. 566, edit. Parisiis 1671.)

Propositio IIª. — *Primatis prærogativa est, ut ad ipsum appellari possit a sententiis Metropolitarum.* — Constat 9 et 17 canone Chalcedonensis Concilii (vide illos canones supra, § 1, prop. 2). Ibi siquidem statuitur adeundum esse *Exarchum diœceseos,* si controversia cum Metropolitano habeatur. Et per Exarchum diœceseos intelligendum esse Primatem, jam ibidem ostendimus. Unde merito Petrus de Marca propriam Primatis potestatem reponit *in concessus prærogativa, et in judiciis reddendis super appellationibus a Metropolitanorum sententiis* (vide supra, § 1, prop. 1). Qui auctor (textu sub præcedenti propositione citato) propriedictum jus Primatum esse asserit *solum appellationis judicium ;* ubi tamen loco vocis *solum*, rectius posuisset *præcipuum.*

Propositio IIIª. — *Ad Primatem pertinet nationali Concilio præsidere ; sed ejusmodi Concilium convocare nequit, nisi interveniente Romani Pontificis auctoritate.* — 1° Quod in Synodum coeuntibus Episcopis omnium provinciarum alicui Primati subjectarum, ad Primatem illum pertineat præsidere, certum et constanti praxi firmatum supponunt doctores. Vide Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana,* l. 1, c. 1, n. 2.

2° Quod autem nequeat Primas ejusmodi provinciarum Episcopos ad Concilium cogere, nisi imperante Romano Pontifice, sequitur ex dictis quoad Patriarchas superiori capite, § 3, propositione 6. Unde, prout ibidem refertur, cum vocasset Lugdunensis Primas ad Synodum cæteros Metropolitanos qui eum tanquam Primatem agnoscebant, renuerunt provinciæ Senonensis Præsules jussis obtemperare; eam merito allegantes rationem, quod nullibi potestas hæc reperiretur Primatibus a jure concessa.

Propositio IVª. — *Primati competit, ut ante ipsum crux deferatur.* — Competit ejusmodi privilegium cuilibet Metropolitano quoad propriam provinciam. Sed Primas eo potiri censendus est quoad omnes provincias ipsi tanquam Primati subjectas. Et videri potest in tractatu Garsiæ Loaisæ *de primatu ecclesiæ Toletanæ* (apud Labbe, tomo 5, col. 1635) quam diligenter curarent Toletani Primates hanc prærogativam (utpote primatialis dignitatis signum) exercere, in eorum præsertim Metropolitanorum provinciis, qui suam primatiali juri subjectionem in dubium revocare tentabant.

Propositio Vª. — *Primati non competit jus visitationis in alios Metropolitanos eorumve provincias.* — Quia nempe id a jure ipsi concessum non reperitur.

Propositio VIª. — *Ad jus primatiale pertinere videtur, ut possit Primas a Metropolitanis primatui suo subjectis obedientiæ professionem exigere.* — Jus illud in dubium revocabat Ivo Carnotensis. Cum scilicet, anno 1096, in Senonensem Archiepiscopum electus fuisset Daimbertus, atque Hugo Lugdunensis Primas exigeret sibi a dicto Daimberto fieri obedientiæ sponsionem, recusaretque Daimbertus, scripsit hac de re sanctus Ivo ad Urbanum II, quid tenendum esset sciscitans, atque ita interim adnotans : *Cum de professione a Metropolitanis Primatibus facienda nihil legamus consuetudine firmatum, vel legibus institutum : ultra quas metas nihil concessum esse Primatibus testatur Papa Nicolaus* (apud Labbe, *Concilia*, tomo 10, col. 565, edit. Parisiis 1671). Sed controversiam diremit

Urbanus II in favorem Lugdunensis Primatis, ut constat ex epistola ejusdem Pontificis ad Hugonem directa; in qua, postquam narravit quomodo Daimbertus Romam se contulerit et consecrationem episcopalem receperit, sic prosequitur: *Sedis Apostolicæ cogente judicio, omni demum tergiversatione cassata, in manu nostra professus est* (Daimbertus) *se et Lugdunensis ecclesiæ super Senonensem Primatum agnoscere, et de cætero tibi tuisque legitimis successoribus tanquam Primatibus obedire. Similiter etiam pollicitus est, statuto a nobis tempore, se ad vos venturum, et in conspectu Lugdunensis ecclesiæ idipsum ore proprio professurum* (apud Labbe, loco cit.).

§ III.

An aliqui hodie in Gallia Præsules Primatum appellationem sibi vindicare jure valeant.

Propositio Iª. — *Certum est per Concordatum anni* 1801 *exstinctam in Galliis fuisse quamlibet primatialem jurisdictionem, si quam sibi antea jure vindicare potuerint aliquæ hujus regionis sedes.* — Nam a Pio VII suppressæ sunt atque exstinctæ omnes Galliarum ecclesiæ seu diœceses, ita ut tunc quælibet episcopalis, metropolitana ac primatialis sedes sublata atque exstincta fuerit, cum omnibus suis juribus atque privilegiis.

Propositio IIª. — *Certum est nulli Galliarum sedi hodie competere primatialem jurisdictionem.* — Cum enim exstinctæ fuerint, ut dictum est, quælibet sedes quæ hanc jurisdictionem sibi vindicare potuissent, nulla ex hodiernis Galliæ sedibus primatialia jura habere potest, nisi a tempore dicti Concordati in primatialem auctoritate Apostolica erecta fuerit. Porro certum est nullam adhuc factam fuisse ejusmodi erectionem.

Propositio IIIª. — *Neque mere honorificum Primatis titulum ullus Galliæ Antistes sibi vindicare potest, nisi a tempore Concordati anni* 1801 *id ei Sedes Apostolica indulserit.* — Nulla enim suppressarum et exstinctarum per dictum Concordatum

episcopalium Galliæ sedium jura permanserunt : exstinctæ scilicet fuerunt sedes illæ cum omnibus suis juribus et privilegiis. Ergo ut aliqua ex modernis sedibus *etiam honorificam primatialis appellationem* sibi jure usurpare potuerit, debuit jus illud a Sede Apostolica post dictum Concordatum accipere.

Hinc cum ab Eminentissimo Cardinali Gousset, Rhemensi Archiepiscopo, primæ ex recentibus Provinciæ suæ Synodis acta Romam transmissa fuissent, atque in iis actis Sacra Congregatio Concilii conspexisset eidem Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo tributam *Primatis* appellationem, eum expungendam duxit. Quod non tantum is æquo animo tulit, sed et sibi gratum accidisse rescripsit ; eo quod inde nova probatio suppeditaretur, pro exstinctis omnino habenda esse quælibet antiquarum Galliæ sedium jura et privilegia.

Ex quo patet omnino errasse Præsules illos Galliæ, qui post Concordatum in civitatibus, antea (sive proprie sive quoad nominis honorem) primatialibus, constituti, hanc sibi denominationem usurpare posse existimarunt.

Nota. — Postulavit a Pio Papa IX feliciter regnante, paucis abhinc annis, Eminentissimus Cardinalis de Bonald Lugdunensis Archiepiscopus, ut sibi liceret honorificam illam Primatis denominationem retinere. Et mihi dictum est rescriptum ei fuisse in hunc sensum : Si vellet in actis curiæ suæ per diœcesim Lugdunensem publicandis ea uti denominatione, id non impediturum Romanum Pontificem : in actis autem Romam transmittendis ab hac denominatione esse ipsi abstinendum. Rescriptum tamen præ manibus non habui ; ut adeo quid a Sede Apostolica hac de re dispositum fuerit, tanquam certum asserere nequeam.

SECTIO II.

De Archiepiscopis.

Disseremus hoc ordine 1°, quid sint Archiepiscopi ac Metropolitani ; quo jure instituti ; et quænam olim fuerit eorum potestas : 2°, de generali regula, nihil posse Archiepiscopum in suffraganeos eorumque subditos ac diœceses, nisi quod ipsis expresse fuit a jure concessum : 3°, de potestate Archiepiscopi in suffraganeos : 4°, de ipsius potestate in suffraganeorum subditos ac diœceses : 5°, de Pallio.

CAPUT I.

QUID SINT ARCHIEPISCOPI SEU METROPOLITANI ; QUO JURE INSTITUTI ; ET QUÆNAM OLIM FUERIT EORUM POTESTAS.

QUÆSTIO Iª. — *Quid sint Archiepiscopi seu Metropolitani ?* — I. Archiepiscopi nomen , prioribus Ecclesiæ sæculis , non solebat usurpari ad designandos Metropolitanos ; sed eo designabantur dumtaxat maximarum sedium Antistites. Epiphanius Archiepiscopos vocat Patriarchas Alexandrinos : *Hic enim mos est,* inquit , *Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totam Ægyptum ac Thebaidem, Mareotidem , Libyam , Ammoniacam ac Pentopolim, ecclesiastica negotia administrent* (hæresi 68, n, 1). Et in Concilio Chalcedonensi, absente Patriarcha Alexandrino , dicebant Episcopi Ægypti : *Extra voluntatem Archiepiscopi nostri non possumus subscribere* (apud Labbe, t. 4, col. 511). Justinianus (novella 11, pag. 28 editionis 1663) P matem qnemdam instituens sic loquitur :

Volumus ut non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fiat. Et in Galliis nonnisi sæculo septimo generalem invaluisse usum ut Metropolitani Archiepiscoporum nomine donarentur existimat Thomassinus. Postea tamen in eodem sensu usurpata sunt Archiepiscopi et Metropolitani vocabula ; ad designandos nempe Antistites qui sub se habent totius alicujus provinciæ Episcopos, quin tamen eis ullus Metropolitanus subjiciatur.

In Africa nec Archiepiscopi nec Metropolitani nomen in usu fuit. Sic nempe statutum occurrit in Concilio Carthaginensi III, canone 26 : *Ut primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.* Quoad rem tamen habuit Africa Archiepiscopos ; sed longe aliter ac in cæteris mundi regionibus. Nam singularum Africæ provinciarum Episcopis non præsidebat unius determinatæ sedis Episcopus, sed ille qui ordinatione antiquior existeret. Hinc qui pro tempore in provincia præerat, *senior* vocari solebat. Excipienda prima seu Carthaginensis sedes, cui fixo modo adnexum erat primatiale jus in omnes Africæ provincias. Cæterum qui singulis provinciis ratione antiquioris ordinationis præerant, vocari etiam solent Primates. Sed in re non aliud erant quam quod hodie Archiepiscopi ; et solus Carthaginensis præsul, verus Primas erat. Vide Mamachium, *Origines Christianæ*, tomo 4, pag. 488, edit. Romæ 1850.

II. *Metropolitani* nomen multo antiquius est ; a remotissima nempe antiquitate usurpatum reperitur in eo sensu quem etiamnum habet ; ad designandum scilicet Antistitem, qui totius alicujus provinciæ Episcopis præerat ; non tamen Episcopis alios Episcopos sub se habentibus. Canone IV Nicænæ Synodi sic habetur : *Firmitas eorum quæ per unamquamque provinciam geruntur, Metropolitano tribuatur Episcopo.* Et in Concilio Antiocheno anni 341, canone 9 : *Episcopos qui sunt in unaquaque provincia scire oportet, Episcopum qui præest metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ... Visum*

est... reliquos Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut vult qui ab initio obtinuit Patrum canon.

III. In hodierno jure, pro synonymis habenda sunt duo illa vocabula *Metropolitani* et *Archiepiscopi*. Equidem nonnulli volunt illud intercedere discriminis, quod exstare possint et revera exstent Archiepiscopi sine suffraganeis, non autem Metropolitani. Sed Archiepiscopi quibus nulli subsunt suffraganei, tales non sunt nisi nomine et quoad honores, nec sibi vindicare possunt propria Archiepiscoporum jura : ita decisum fuisse, post maturum quæstionis examen, vide apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 2, c. 4, n. 4 et 5). Aliunde sicut hodie exstant nonnulli Archiepiscopi sine suffraganeis, ita et olim exstitisse Metropolitanos, mere honorarios tradunt eruditi (vide apud Thomassinum, in indice materiarum, verbo *Archiepiscopus*) ; nec minus repugnat, si solæ voces attendantur, dari verum Archiepiscopum sine subjectis Episcopis, quam verum Metropolitanum. Unde revera, in hodierna disciplina, unum idemque sunt Archiepiscopi et Metropolitani.

IV. Definiri autem potest Archiepiscopus, seu Metropolita : *Antistes sibi subditos habens Episcopos, quibus alii Episcopi non subjiciuntur*. Per illas voces *sibi subditos habens Episcopos*, confunditur Archiepiscopus cum Primate, Patriarcha, imo et Summo Pontifice. Ast ab eis discernitur per subjuncta definitionis verba, *quibus alii Episcopi non subjiciuntur*. Nam qui sibi subjectos habet Episcopos quibus alii subjiciuntur (verbi gratia, Metropolitas) non simplex Metropolitanus est, sed Primas.

Quæstio IIª. — *Quo jure instituti sint Archiepiscopi.* — 1° Extra controversiam est eam institutionem divino juri haud adscribi debere. 2° An auctores habuerit ipsosmet Apostolos, negat Van-Espen ; ortam eam duntaxat proximis post Apostolos temporibus contendens. At multo præstantiores viri, inter quos clarissimus Bianchi, contrarium tenent. Disceptationem hanc brevitatis causa prætermittimus. 3° Item prætermittimus Van-Espenii et aliorum nonnullorum systema,

circa normam in erigendis antiquitus Metropolitanis ecclesiis servatam. Volunt nempe metropoles ecclesiasticas ad normam civilium institutas fuisse; ita ut, si principes provincias divisissent, et Ecclesia eorum divisiones adoptaverit. Inde factum, ut Episcopi metropolitica jura ambientes, imperatores adirent, et obtenta ab eis in urbis suæ gratiam metropoleos dignitate, ecclesiastica quoque jura metropolitica consecuti sint. Posterioribus dumtaxat temporibus metropoleon ecclesiasticarum erectionem penes Ecclesiam exclusive stetisse. Ac tandem ejusmodi erectiones sibi reservasse Romanos Pontifices. Mendax illud systema confutarunt viri eruditissimi; inter quos vide Ballerinos fratres (in sua editione operum S. Leonis, tomo 2, in partem 2, dissertationis 5 Quesnelli, cap. 5, n. 12). Nunquam non auctoritate ecclesiastica erectæ sunt metropolitanæ sedes. Pauca in contrarium facta quæ citari solent, nihil aliud fuisse quam lugenda attentata prorsus evincitur.

QUÆSTIO III[a].—*Quænam olim fuerit Metropolitanorum potestas.* — I. Solent Jansenistæ et Gallicani scriptores summo eruditionis et eloquentiæ sumptu antiquam Metropolitarum auctoritatem describere, et cum præsenti eorum conditione conferre : eo scilicet consilio, ut vix eis relictam veteris splendoris umbram concludendo, solitam suam obtrudant, de inflictis per Pontificias reservationes Ecclesiæ vulneribus, lamentationem. At certe inanis est hæc eorum machinatio, atque ad evincendum quod volunt plane inutilis. Id paucis ostendamus: 1° ad ea quæ perorare solent de prisca Metropolitarum auctoritate, dicimus *transeat;* lectorem dumtaxat monendo, ne istorum assertionibus fidat, sed eruditos hac de re adeat. 2° Hanc priscam Metropolitarum potestatem, quæcumque tandem fuerit, fateri necesse est, non divini et immobilis, sed ecclesiastici et mutabilis juris fuisse. Ergo mutari atque minui potuit per supremam Ecclesiæ auctoritatem. Ejusmodi autem supremam et plenam universalis regiminis auctoritatem ad Romanum Pontificem pertinere, dogma catholicum est, a Florentino Concilio definitum. 3° Item fateri necesse est jura

omnia sive patriarchalia, sive primatialia, sive metropolitica, primitus a voluntate Petri et successorum ejus defluxisse. Quod Episcopus Alexandrinus et Antiochenus jurisdictionem habuerit in multos Metropolitas et in horum suffraganeos, non fuit institutum a Christo, sed a Petro ejusve successoribus. Nullum aliud assignari potest hujusce unius in alios Episcopos jurisdictionis exordium, prout supra, parte 2, probavimus. Idem concludendum venit quoad Orientis Metropolitas. Jus enim suum metropoliticum receperunt ab eis qui metropolitanas ecclesias cum hac jurisdictione instituerunt; id est, vel ab ipso Petro aut ejus successoribus, vel a Patriarchis. In hac autem posteriori hypothesi, cum Patriarchæ hocce jus metropoles ecclesiasticas instituendi non ipsi habuerint nisi a Petro aut ejus successoribus, remanet primarium metropolitici juris in Oriente fontem esse illum ipsum quem assignamus. In Occidente primum non alius exstitit Metropolitanus quam Romanus Pontifex; et ab ipso postea metropolitanæ ecclesiæ erectæ sunt. Proinde jura sua non ab alio acceperunt. Ergo Romani Pontifices jura metropolitica imminuendo, et nonnulla Metropolitis adimendo ac sibi reservando, nihil aliud faciunt quam resumere quæ commiserant. 4° Objiciunt jura metropolitica fuisse a Conciliis œcumenicis statuta. Respondetur, *primo*, exstitisse patriarchalia et metropolitica jura antequam ulla generalis Synodus celebrata sit. Ea jura jam existentia agnoverunt Patres Nicænæ Synodi, et præceperunt dumtaxat ea inviolate observari. Ergo jura illa exordium non habuerunt a Conciliorum œcumenicorum decretis. *Secundo*, vim habere nequit ullius generalis Concilii disciplinaris lex, nisi expresse vel tacite consentiente Romano Pontifice. Id etiam dogma catholicum est, quod firmant totius antiquitatis monumenta. Ergo si quid juris metropolitici a Conciliis œcumenicis ortum sit, ad Romani Pontificis voluntatem refundendum est. *Tertio*, œcumenicum proculdubio fuit Tridentinum Concilium. Porro Tridentini Patres jus metropoliticum prout nunc existit approbarunt et determinarunt. Ergo sicut adversarii laudant ac

mirantur priscam Metropolitarum potestatem, utpote a Conciliis œcumenicis olim receptam ac firmatam, laudare similiter ac mirari debent novam ejusdem potestatis metropoliticæ normam, utpote ab œcumenico pariter Concilio sancitam.

II. Cæterum præcipua e quibus Metropolitani exciderunt jura hæc fere sunt : 1° partes non exiguas habebant olim in suffraganeorum electionibus, prout parte 2, capite 1, vidimus : hodie autem Episcoporum electiones Romano Pontifici sunt reservatæ. 2° Ad Metropolitanum spectabat suffraganeos suos ordinare : hodie vero promotis concedi solet in Bullis provisionis, ut ordinari valeant a quocumque Episcopo catholico. 3° Quod electos suos suffraganeos olim non tantum consecrarent, sed et consecrando *confirmarent* Metropolitani, asserunt quidem et tanquam certum propugnant auctores multi : sed parte 2, capite 1, vidimus, aliter sese rem habuisse : in Oriente quippe necessariam fuisse Patriarchæ approbationem seu confirmationem ; eamdemque certo viguisse disciplinam in provinciis Illyrici, et probabilius in toto fere reliquo Occidente. 4° Poterat Metropolitanus in Concilio provinciali cognoscere de causis suffraganeorum majoribus ; at falsum est potuisse ullo tempore a provincialibus Synodis pronuntiari *definitivam* depositionis sententiam contra ullum Episcopum. Id fuse probavimus in tractatu de Concilio provinciali gallice edito. Nequibat definitive pronuntiari depositio nisi a Romano Pontifice. Nimirum quæ fiebant in Synodo provinciali, ac ipsa etiam quam pronuntiabat depositionis sententia, vim non habebat nisi processus informativi ; et expectanda erat Romani Pontificis confirmatio seu assensio, ut depositionis sententia valorem haberet et ad executionem deduci posset. In hodierna autem disciplina causæ majores Episcoporum, ex decreto Tridentino, Sedi Apostolicæ sunt reservatæ ; ita ut de ipsis jam cognoscere nequeat provinciale Concilium. 5° Aliquam habebat olim potestatem Metropolita cognoscendi de causis Episcoporum minoribus. Ast ejusmodi causas provinciali Concilio reservatas

voluit Tridentinum Concilium. 6° Major olim quam nunc fuit Metropolitanorum potestas in visitandis suffraganeorum diœcesibus. 7° Tenebantur olim suffraganei Metropolitanum honoris causa invisere. Quam obligationem sustulit Tridentinum Concilium. 8° Item obsolevit suffraganeorum obligatio (si revera generaliter olim viguerit) Metropolitano suo obedientiam profitendi.

III. Hanc disciplinæ mutationem et metropoliticorum jurium imminutionem optimis de causis ac sapientissime inductam fuisse, vel inde præsumere debet catholicus quisque, quod Tridentinum Concilium ac Sedes Apostolica opportunam duxerit. Sed et si pacato animo perpenderentur difficultates ac subortæ novæ temporum circumstantiæ, ob quas unaquæque ex dictis Metropolitarum prærogativis rescindenda visa est, facile in singulis agnosceretur perpetua illa, qua semper Christus Ecclesiæ suæ in generali regimine adsistit, plane mirabilis ut et indeficiens sapientia. Quibus breviter sub præsenti capite de veteri quoad Metropolitanos jure prælibatis, ad exponendum hodiernum jus gressum faciamus.

CAPUT II.

EXPENDITUR GENERALIS REGULA, NIMIRUM : NIHIL POSSE ARCHIEPISCOPUM RELATIVE AD SUFFRAGANEOS SUOS, NISI QUOD IPSI A JURE EXPRESSE TRIBUITUR.

Maximi interest apprime perspectum habere, num vera sit atque admittenda generalis hæc regula. Nam si vera sit, ad dignoscendum in praxi an hoc vel illud possit Archiepiscopus in suffraganeos, eorumve diœceses aut subditos, videndum erit num in jure reperiatur ipsi expressis terminis concessa res de qua agitur : si expresse concessa reperiatur, rem illam peragendi jus habebit Archiepiscopus : secus, hocce jus ipsi non competet. Quod si prædicta regula non foret admittenda,

multo difficilius esset determinare quid possit vel non possit Archiepiscopus. Hinc visum est de præfata regula diligenter in antecessum inquirere ; ut, postquam admittendam eam probaverimus, ipsa uti possemus in solvendis variis de Archiepiscopi potestate quæstionibus.

PROPOSITIO I[a]. — *Vera atque admittenda videtur generalis regula, nihil posse Archiepiscopum in suffraganeos eorumque subditos ac diœceses, nisi quod ipsi a jure fuit expresse concessum.* — Ad id probandum adduci solet Decretalis *duo simul* (9, *de officio judicis ordinarii*), qua Innocentius III sic declarat : « Cum « sit in canonibus definitum, Primates vel Patriarchas nihil « juris præ cæteris habere, nisi quantum sacri canones conce- « dunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo... » Ibi quidem de solis Primatibus et Patriarchis fit mentio ; sed idem Archiepiscopis etiam, et quidem a fortiori, esse applicandum videtur.

Idem Innocentius III (capite *pastoralis,* XI *de officio judicis ordinarii)* ad quæstionem sibi propositam, an posset Archiepiscopus causam, per appellationem ipsi delatam, suffraganei sui subdito delegare, et eumdem subditum (si renuat) ad suscipiendam delegationem cogere, sic respondet : « Archiepi- « scopus ipsum ad suscipiendam delegationem hujusmodi « compellere nequit invitum ; cum in eum (exceptis quibus- « dam articulis) nullam habeat potestatem, licet Episcopus « suus eidem sit metropolitana lege subjectus. » Ille textus evincit, nullam Archiepiscopo *in subditos* saltem suffraganeorum competere potestatem, nisi in casibus a jure expressis. Dico *in subditos* saltem suffraganeorum : nam utrum idem affirmandum sit quoad suffraganeos ipsos, aut eorum diœceses, ex hac Decretali colligi nequit.

Capite *venerabilibus* (7 *de sententia excommunicationis,* in 6), statuitur excommunicatos a suffraganeis vel ab eorum officialibus absolvi non posse per Archiepiscopum aut ejus officialem, nisi causa fuerit per appellationem ad Archiepiscopi tribunal delata. Et datur ratio hæc : *Cum nec excommunicantium nec*

excommunicatorum sint judices Archiepiscopus et ipsius officiales. Ergo quod Archiepiscopus non sit judex relative ad suos suffraganeos et eorum subditos, seu quod nullam in eos jurisdictionem habeat, est *regula generalis;* quæ regula stare semper censenda est, quandiu non constat de exceptione, seu quandiu non probatur fuisse ei in aliquo derogatum.

Capite *Romana (1 de supplenda negligentia Prælatorum*, in 6) Innocentius IV revocat edictum, quo Rhemensis Archiepiscopus prætendebat ad se devolutam esse jurisdictionem suorum suffraganeorum excommunicatione innodatorum. Et ratio cur hocce jus præfato Archiepiscopo deneget Innocentius IV, est ista : *Cum id non inveniatur a jure concessum*. Ergo veram supponit dictus Pontifex regulam quam tuemur, nihil scilicet posse Archiepiscopum in suffraganeos eorumque diœceses et subditos, nisi inveniatur ipsi a jure concessum.

Attendat autem præcipue lector ad caput *per singulas* (2, quæstionis 3, causæ 9), quod desumptum est e Concilio Antiocheno, et cujus græcum textum in decreto Gratiani correcto reperies, cum hac versione : « Episcopos qui in unaquaque « provincia sunt nosse oportet, eum qui metropoli præest, « universæ quoque provinciæ curam suscipere, eo quod in « metropoli undique conveniunt omnes quicumque negotia « habent. Quapropter placuit et honore ipsum præcellere, et « reliquos Episcopos nihil aliud sine ipso facere (secundum « veterem, qui viguit, Patrum nostrorum canonem) quam « ea sola quæcumque ad cujusque parochiam, subjectasque parochiæ regiones pertinent. In cujusque enim Episcopi potestate esse propriam ipsius parochiam, ut eam « administret, pro ea quæ cuique convenit integritate; et « universæ regioni, quæ suæ civitati subjecta est, prospiciat « consulatque : ita ut et presbyteros diaconosque ordinet, et « singula quæque cum judicio explicet. Præterea vero nihil « quicquam facere aggrediantur, sine metropolitani Episcopi, « neque ipse sine reliquorum sententia. » Ultima phrasis græce sic se habet : Περαιτέρω δὲ μηδὲν πράττειν ἐπιχειρεῖν,

δίχα τοῦ τῆς μητροπόλεως Επισκόπου, μηδὲ αὐτὸν ἄνευ τῆς τῶν λοιπῶν γνώμης.

Ibi clare dicitur Archiepiscopum nihil omnino posse, quoad alias (præter suam) provinciæ suæ diœceses, nisi de cæterorum Episcoporum *sententia*. Equidem simul decernitur neque alios Episcopos quidquam facere posse sine Archiepiscopi *sententia ;* sed excipiuntur omnia ea quæ pertinent ad propriæ cujusque diœcesis administrationem ; ac proinde prohibitio illa relativa est ad ea quæ Episcopi *in communi* quoad plures simul diœceses statuere ac disponere vellent. In has nimirum communes Episcoporum dispositiones cadit prohibitio ; et injungitur ne fiant nisi concorditer cum Archiepiscopo.

Confirmatur ex sequentibus Decretalibus quæstionis 3, causæ 9 : « Salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, nullus « Metropolitanus absque cæterorum omnium comprovincia« lium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas : quia « irritæ erunt aliter actæ, quam in conspectu eorum omnium « ventilatæ : et ipse si fecerit coerceatur a fratribus. » (Cap. *salvo*, 4 quæstionis 3, causæ 9.)

« Archiepiscopus nihil de Episcoporum causis, aut aliis « communibus, juxta statuta Apostolorum, absque cunctorum « illorum agat consilio : nec illi, nisi quantum ad suas paro« chias pertinet, sine suo : quoniam tali gaudet concordia « Altissimus et gloriatur in membris suis. » (Cap. *Archiepiscopus*, 5, q. 3, c. 9.)

« Si autem aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, et sine « omnium comprovincialium præsentia vel consilio Episco« porum, aut eorum, aut alias causas (nisi eas tantum quæ ad « propriam suam parochiam pertinent) agere, aut eos gravare « voluerit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps « præsumere audeat. Si vero incorrigibilis eisque inobediens « apparuerit, ad hanc Apostolicam Sedem, cui omnia Episco« porum judicia referri præcepta sunt, ejus contumacia « referatur, ut vindicta de eo fiat, et cæteri timorem ha« beant. » (Cap. *si autem*, 6, q. 3, c. 9.)

« Nullus Primas vel Metropolitanus diœcesani ecclesiam « vel parochiam aut aliquem de ejus parochia præsumat ex- « communicare, vel judicare ; vel aliquid agere absque ejus « consilio vel judicio : sed hoc observet quod ab Apostolis ac « Patribus et Prædecessoribus nostris est statutum et a nobis « confirmatum, id est : si quis Metropolitanus Episcopus (nisi « quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam) « sine consilio et voluntate omnium comprovincialium Epi- « scoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus periculo « subjacebit ; et quod egerit, irritum habeatur et vacuum. « Sed quidquid de provincialium coepiscoporum causis, « eorumque ecclesiarum, clericorum et sæcularium necessi- « tatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc communi « consensu comprovincialium agatur Pontificum.... Et ipsi « comprovinciales Episcopi cuncta cum ejus consilio (nisi « quantum ad parochias proprias pertinet) agant, juxta san- « ctorum constituta Patrum. » (Cap. *nullus*, 7, quæstione 3, causæ 9.)

Nec objiciatur quatuor modo citatas Decretales de iis esse, quas Gratianus falso tribuit iis Pontificibus quorum nomine inscribuntur : eas nos citamus dumtaxat quatenus indicant, quid Gratiani tempore de Archiepiscoporum in suffraganeos eorumque diœceses et subditos potestate existimaretur. Dum autem in iis Decretalibus sermo est de statuto Apostolorum, intelligi solet 34 ex iis canonibus qui ducuntur *canones Apostolorum*, et in quo sic habetur : « Episcopus extra terminos suos, « in civitatibus et regionibus sibi non subjectis ordinationes « facere non præsumito. »

Ex his et similibus textibus regulam generalem de qua disserimus colligunt canonistæ quamplures, inter quos sic Ferraris (v. *Archiepiscopus*, art. 2, n. 32) : « Nihil potest facere « in diœcesibus suffraganeorum, nisi quatenus reperiatur in « jure expressum. » Et apud Cardinalem Petra (ad Const. 2, Leonis IX, sectione 5, n. 15) citatur hæc S. Congregationis Concilii declaratio : « Metropolitani Archiepiscopi, Primates

« aut Patriarchæ, in suffraganeos, eorumve subditos non ju-
« dicent, nisi in casibus a jure expressis. »

Porro citata documenta, etiamsi nonnullis objectionibus obnoxia forent, et aliqui textus in contrarium urgeri possent (quam discussionem brevitatis causa omittimus), *saltem probabilem* redderent conclusionem illam, non posse quidquam Archiepiscopum circa suffraganeos eorumque subditos et diœceses, nisi quod expresse a jure ipsi concessum est. Jam vero in praxi non tenentur suffraganei *dubiæ* Archiepiscopi potestati ac jurisdictioni sese subjicere. Unde quoad praxim saltem vera semper remaneret posita generalis regula. Hinc in sequentibus capitibus hac regula merito utemur in determinanda Archiepiscopi potestate : hoc ipso nempe quod aliquid ipsi a jure concessum non reperietur, merito colligemus id ipsi non competere.

PROPOSITIO IIª. — *Præfata regula non impedit quin Archiepiscopi jurisdictio, quam jus ipsi quoad suffraganeos eorumve subditos ac diœceses concedit, ordinaria vocari possit ac debeat.* — Nam jurisdictio quæ habetur a jure, et muneri seu gradui a jure ipso annexa est, delegata dici nequit : ergo est ordinaria. Nam quæ a nonnullis excogitata est jurisdictio quæ nec ordinaria nec delegata sit, at media inter utrumque, subtilitas videtur. Unde præfata Archiepiscopi jurisdictio, restricta quidem est, juxta dictam regulam, ad casus in jure expressos; sed in istis casibus vere ordinaria est; atque in iisdem casibus vere judex ordinarius est Metropolitanus.

CAPUT III.

DETERMINATUR QUID POSSIT VEL NON POSSIT ARCHIEPISCOPUS IN SUFFRAGANEOS.

Hic expendimus dumtaxat quid possit Archiepiscopus in ipsosmet suffraganeos : sequenti capite dicemus quid pos-

sit in eorumdem subditos ac diœceses. Quo prænotato, sit

Propositio Iª. — *Ad Archiepiscopum non pertinet eligere, nec confirmare, nec consecrare suffraganeos.* — Hæc omnia nempe de jure communi hodierno sunt reservata Summo Pontifici (vide probatum supra, parte 2, c. 3). Solet autem Summus Pontifex Episcopo promoto facultatem facere ut a quo maluerit catholico Antistite consecrationem recipiat.

Propositio IIª. — *Ad Archiepiscopum non pertinet cognoscere de causis criminalibus suorum suffraganeorum sive majoribus sive minoribus.* — Nam a Concilio Tridentino (sess. 24, c. 5) criminales causæ majores Episcoporum Sedi Apostolicæ, minores autem provinciali Concilio fuerunt reservatæ. Hinc posita conclusio extra controversiam est apud doctores.

Propositio IIIª.— *Ad Archiepiscopum non pertinet cognoscere de causis civilibus suffraganeorum suorum.* — Civiles vocantur causæ omnes ecclesiasticæ, seu ad forum ecclesiasticum pertinentes, quæ criminales non sunt; pront, verbi gratia, si moveatur lis Episcopum inter et capitulum, vel Episcopum inter et alicujus monasterii abbatem circa jus aliquod; contendente una parte hocce jus ad se pertinere, et idipsum denegante altera. Prænotandum autem est, præsentem conclusionem apud doctores controversam reperiri. De qua controversia sic adnotat Cardinalis Petra (ad Constit. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 8) : « An Archiepiscopus sit judex ordinarius suf« fraganeorum in causis civilibus? In hoc varias opiniones « reperi; ita ut mirum sit quod ita inter se doctores certent; « aliis dicentibus debere conveniri Episcopum coram Metro« politano, aliis negantibus. » Prænotandum insuper, nihil a Concilio Tridentino dispositum fuisse quoad judicem ordinarium Episcoporum in eorum causis civilibus. Equidem sessionis 24 capite 5, criminales majores reservavit Sedi Apostolicæ, et criminales minores provinciali Concilio; « Sed non « loquitur de civilibus, ut erronee docuerat Barbosa. » (Card. Petra, loco cit., n. 17.) Hinc solvenda est quæstio ex jure communi ante Tridentinam Synodum vigente, utpote quoad

hoc non immutato a Tridentinis Patribus. His prænotatis, probatur posita conclusio ut sequitur :

Quando suffraganeus causam civilem habet, vel est Actor, vel Reus : atqui in neutro casu ad Archiepiscopum pertinet de causa illa cognoscere. Probanda remanet utraque pars minoris.

I. *Cognoscere nequit Archiepiscopus de causa civili, in qua suffraganeus est Actor.* — Est enim certa regula semper adeundum esse forum Rei, nec esse judicem competentem qui non habet jurisdictionem in Reum : atqui Archiepiscopus in dicto casu nullam habet jurisdictionem in Reum : vel enim Reus cum quo suffraganeus causam habet, est aliquis subditus suffraganeorum provinciæ, vel exterus : porro Archiepiscopus jurisdictionem non habet in subditos suffraganeorum suorum, nisi in solo casu quo ad ipsum appellent a sententia sui Ordinarii ; prout sequenti capite probatur, et hic certum supponimus; et a fortiori nullam jurisdictionem habet in personas provinciæ extraneas. Ergo non poterit causa illa deferri ad tribunal Archiepiscopi. Hinc quando suffraganeus est Actor in causa civili contra aliquem subditum suum, cum neque ipse judex esse possit (utpote qui judicaret in propria causa), nec Metropolitanus ob carentiam jurisdictionis in Reum, recurrendum necessario est ad judicem Pontificia auctoritate munitum. « Si vero Episcopus sit Actor, inquit Cardinalis Petra, « tunc velut in causa propria nequit judicare. Itaque vel « datur judex a Signatura, vel potest convenire subditum « coram Nuntio..., vel coram Auditore Cameræ (Apostolicæ); « non autem coram Metropolitano, quia is non est judex sub« ditorum Episcopi, nisi in casu devolutæ jurisdictionis. » (Ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 15.)

II. *Cognoscere nequit Archiepiscopus de causa civili, in qua suffraganeus est Reus.* — Etenim admittenda est, ut supra probavimus, regula , nullam competere Archiepiscopo jurisdictionem in suffraganeos, nisi hanc ei jus expresse tribuat : atqui competentia in dicto casu non reperitur a jure Archie-

piscopo concessa. Non a jure Tridentino : nam Tridentini Patres, sicut solas criminales Episcoporum causas reservarunt Sedi Apostolicæ ac provinciali Synodo, non autem civiles, ita neque ullibi sanxerunt has ab Archiepiscopo esse cognoscendas. Sed neque jus commune ante Tridentinam Synodum obtinens, eam potestatem Archiepiscopis attribuit. Equidem nonnulli adducuntur textus, qui contrarium aliquatenus sonare videntur ; sed eos aliter esse intelligendos, eo sensu nempe quod loquantur de casu factæ appellationis a sententia aut a gravaminibus suffraganei, vide probatum a Cardinali Petra (ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 15 et 16). Qui auctor sic concludit : « Dicendum hodie non posse Metropo« litanum in hoc se ingerere, ut præcise demandavit S. Con« gregatio Episcoporum et regularium in epistola scripta Ar« chiepiscopo Rhegiensi... Ita quoque servat praxis, quæ est « rerum magistra... Et quod istæ causæ decidantur in prima « instantia in Curia (Romana), dicit Cardinalis de Luca, « discursu 80 de jurisdictione, n. 2 ; et in *relatione Romanæ* « *Curiæ*, discursu 37, n. 7. » Hinc etiam in causa civili in qua suffraganeus est Reus, recurrendum est ad Romanam Curiam : aliunde et quando suffraganeus est Actor : ergo in omnibus civilibus suffraganeorum causis.

III. *Confirmatur propositio, auctoritate S. Congregationis Episcoporum et regularium.* — Rescripsit nempe dicta Congregatio Rhegiensi Archiepiscopo, die 31 maii 1588 in hunc modum : *Non hanno potuto* (Nimirum Eminentissimi Patres Congregationis) *approvare que V. S. possa persuardersi d'esser giudice competente in cause civili, che si pretendesse di agitare con il Vescovo ; poiche la sua giuridizione non si estende a questo particolare, come che V. S. havera potuto vedere nei decreti del Concilio di Trento* (1) (apud Cardinalem Petra, tom. 1, ad

(1) Ex eo quod Sacra Congregatio Rhegiensem Archiepiscopum remittat ad Tridentina decreta, ut videat sibi non competere jurisdictionem in civilibus suffraganeorum causis, existimabit forte quis expresse in iis decretis denegari Archiepi-

Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 18.) Ibi de omnibus indistincte civilibus suffraganeorum causis S. Congregatio loquitur, et tanquam certum declarat competentem in eis judicem non esse Archiepiscopum.

Nota. Si tamen alicubi vigeret consuetudo, ut civiles suffraganeorum causæ a Metropolitano dirimerentur, putat laudatus Cardinalis Petra (loco citato, n. 19) tali consuetudini standum fore.

PROPOSITIO IV^a. — *An possit Archiepiscopus, in rigore juris, suffraganeos suos suspendere, interdicere et excommunicare, affirmant doctores multi ; sed negant alii, aliquibus exceptis casibus.* — Nonnulla prænotabimus : tum utramque sententiam cum suis fundamentis exponemus. Tandem quid sentiendum videatur subjungemus.

Prænotanda. — 1° Dicimus *in rigore juris :* nam quod nequaquam deceat Archiepiscopum censuras in suffraganeos suos ferre, inconsulta Sede Apostolica, ii etiam doctores præmonent qui potestatem hanc Archiepiscopis attribuunt. « Cæ« terum, ait Cardinalis Petra, prædicta sunt vera in ratione « juris, ut Episcopi possint censuris innodari ab Archiepi« scopo metropolitano; sed de congruentia debet consuli « Sacra Congregatio, ut notat Cardinalis de Luca (*Miscellanea,* « discursu 1, n. 78); ubi quod agendum est cum magna con« sideratione. » (Tom. 1, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 88.) Et ibidem adnotat citatus auctor, tales censuras, ab Archiepiscopo in suffraganeos latas, Romæ et in Sacris Congregationibus haud approbari.

2° Mirum nonnullis forsan videbitur, cum censuræ ferri nequeant nisi ob delictum, et Tridentina Synodus (sess. 24, c. 5) causas omnes criminales Episcoporum Sedi Apostolicæ

scopis dictam jurisdictionem. Sed non ita est. Tacet Tridentina Synodus de iis civilibus causis; ac proinde remittitur dictus Archiepiscopus ad Tridentina decreta ut videat jurisdictionem illam per ejusmodi decreta ipsi *non concedi;* et inde concludat sibi eam non competere, cum neque aliunde jura hanc ei jurisdictionem tribuant.

et provinciali Concilio reservaverit, reperiri tamen canonistas qui Archiepiscopo tribuant facultatem censuris in suffraganeos animadvertendi. Sed tamen gravibus auctoritatibus sententia hæc nititur : imo et communior videtur. Hinc exponenda utraque sententia visa est, ut sequitur :

I. *Sententia affirmans.* — Sic habet Ferraris (verbo *Archiepiscopus*, art. 1, n. 19) : « Potest Archiepiscopus, interveniente causa, suos suffraganeos suspendere, interdicere et « excommunicare : capite *venerabili (de sententia excom.)*, et « capite *Romana* (1, *de Officio Ordinarii,* in 6). Et Archiepi« scopo absente et a sua provincia distante, etiam ejus vica« rius potest ipsos suffraganeos suspendere, interdicere et « excommunicare, textu claro in citato capite *Romana.* »

Eamdem doctrinam tenet Cardinalis Petra (tomo 1 ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 60) : « An Episcopus possit « excommunicari, suspendi et interdici ab aliquo Episcopo, « vel etiam a Metropolitano, cum hujusmodi pœnæ inter cri« minales ponantur? Quoad Metropolitanum namque erga « Episcopos suffraganeos, certi juris est posse, juxta textum « in capite *venerabili* (52, *de sententia excomm.);* ubi Abbas..., « Barbosa..., Passerinus..., Cardinalis de Luca (*de Jurisdi« ctione*, discursu 52, n. 10), ubi magis communem opinionem « receptam esse ait, ut Archiepiscopus possit, etiam incon« sulto Romano Pontifice, excommunicare ac aliis censuris « plectere Episcopos suffraganeos. Quod eo magis procedit « in declarando censuras a jure inflictas, quæ declaratio fieri « potest etiam contra exemptum, ut alias dixi. »

II. *Sententia negans.* — Sic habet Schmier (*Jurisprud. canonico-civ.*, libro 1, tract. 5, cap. 4, sect. 2, supplemento ad dictum cap. 4, n. 35 et seq.) : « Quia ejusmodi pœnæ et cen« suræ ecclesiasticæ non dictantur nisi præcedat culpa et « delictum, cognitio vero de delicto suffraganeorum ad Ar« chiepiscopum haud spectat ; ideo prætactum jus Archiepi« scopi non aliter in usum deducere poterunt, quam cum « provinciali Concilio..., aut saltem in ea hypothesi, qua suf-

« fraganeus delinquit in officio et actu qui spectat ad jus « metropolitanum..., aut denique in casu quo Archiepiscopus « procedit ad declarationem censuræ latæ ab ipso jure : hanc « enim declarationem etiam contra exemptos fieri posse satis « innuit Cardinalis de Luca. »

III. *Quid sentiendum videatur.* — Qui Archiepiscopo tribuunt potestatem suffraganeos suos censuris innodandi, haud satis forsan attenderunt ad decretum Tridentinum, capite 5, sessione 24. Ibi Tridentini Patres Sedi Apostolicæ reservarunt criminales Episcoporum causas *majores*, absque ulla exceptione : et pariter *minores* omnes sine ulla exceptione, provinciali Concilio reservarunt. Qua proculdubio sanctione contrarium jus commune, antea vigens, abrogatum remansit. Jam vero ex illa dispositione sic argui potest : nequit Archiepiscopus in suffraganeos censuram ferre, quin hoc ipso cognoscat de aliqua causa criminali Episcoporum : atqui de nulla Episcoporum causa criminali cognoscere et judicare potest : ergo nunquam et in nullo casu potest censuris in suffraganeos animadvertere. Minor syllogismi, nempe quod Archiepiscopus cognoscere et judicare nequeat de ulla criminali Episcoporum causa, patet ex ipso Tridentino decreto. Unde probanda tantum est major, id est, non posse Archiepiscopum in suffraganeos censuris animadvertere, quin hoc ipso cognoscat de aliqua causa criminali Episcoporum. Rigorose autem probari posse videtur hoc modo : nequit Archiepiscopus censuram ferre in suffraganeum, nisi ob aliquod suffraganei delictum : aliunde autem nequit censura punire suffraganei delictum, nisi sufficienti capta informatione, patratum a suffraganeo fuisse illud delictum judicet. Jam vero capere informationem de delicto suffraganei, et judicare illud delictum patratum fuisse, et pœnam contra illud delictum pronuntiare, est *cognoscere de aliqua causa criminali* illius Episcopi, atque in ea pronuntiare ; quod præcise prohibuit Tridentina Synodus.

Hinc ulterius inferendum esset, neque in casu quo suffra-

ganeus delinqueret contra Metropolitani jurisdictionem, posse Metropolitanum censuris in eum animadvertere. Nam etiam tunc cognosceret de aliqua causa criminali alicujus Episcopi; quod sine ulla exceptione prohibuit Tridentina Synodus. Unde, verbi gratia, quando a sententia suffraganei ad Metropolitanum tribunal fuit legitime appellatum, si renuat suffraganeus acta transmittere, aut aliter legitimo metropolitanæ jurisdictionis exercitio obsistat, non poterit Archiepiscopus, per seipsum, censuris suffraganeum cogere; sed recurrere debebit ad Concilium provinciale, vel ad Sedem Apostolicam. Ad textus autem in contrarium adductos, respondetur, iis per præfatam Tridentinam sanctionem fuisse derogatum.

Ita, inquam, mihi videretur logice deducendum ex illo Tridentino decreto, nisi in contrarium starent doctores quamplurimi, et forsan aliquæ etiam sacrarum Congregationum decisiones. Quapropter nihil audeo concludere, sed rem doctioribus enucleandam relinquo. Id tantum adnotabo, in quo omnes conveniunt, nimirum haud decere ut Metropolitanus in suffraganeos censuras unquam ferat, inconsulta Sede Apostolica; et Romæ non probari contrariam agendi rationem.

Propositio V^a. — *An absente et distante Metropolitano, possit ejus vicarius generalis suffraganeos suspendere, interdicere et excommunicare, resolvendum est juxta dicta sub præcedenti propositione.* — Prout nempe Archiepiscopo tribuitur vel denegatur dicta potestas, ipsius etiam vicario generali, in casu posito, tribuenda vel deneganda erit. Etenim,

I. Si dicatur cum citato Schmier, non posse Archiepiscopum censuris in suffraganeos suos animadvertere perseipsum solum, sed dumtaxat *cum Concilio provinciali*, a fortiori potestas hæc in ejus vicario generali agnoscenda non erit, ut patet.

II. Si e contra, cum sententia quæ communior videtur, admittatur dicta potestas in Archiepiscopo, erit etiam ejus vicario attribuenda; prout docet Cardinalis Petra (tomo 1, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 72) in hunc modum: « Prædicta autem facultas in Metropolita excommunicandi

« suffraganeos, an verificetur in vicario Archiepiscopi? Et « distinctio est, quod aut Archiepiscopus est absens a provin- « cia, et poterit vicarius metropolitanus illud agere : secus « in præsentia Archiepiscopi, vel si sit prope illam, quia « tunc non poterit, prout nec suspendere aut interdicere. » In confirmationem adducit (ibidem, n. 79) Cardinalis Petra declarationem Sacræ Congregationis Concilii in causa *Massulabrensi* 26 junii 1688. Cum nempe proposita fuissent hæc dubia : 1° *An Metropolitanus possit in litteris compulsorialibus et hujusmodi comminari Episcopis suffraganeis pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ :* 2° *An vicarius generalis idem possit :* responsum est quoad primum posse : et pariter quoad secundum, *posse absente Metropolitano.*

Propositio VI^a^. — *Si Archiepiscopus suffraganeos suos vocet ad sibi præstandam obedientiam, non tenentur suffraganei accedere nec per seipsos, nec per procuratorem : imo Archiepiscopo non licet eos ad id vocare, nisi adsit longa consuetudo ; si vero adsit dicta consuetudo, vocare quidem poterit, sed quin ullatenus teneantur accedere.* — « Episcopi antiquitus juramentum fidelitatis et obedientiæ præstabant Metropolitano, ut notat « Gonzalez (in cap. *significasti*, n. 27, *de elect.*), ubi refert « ultra juramentum præstari quoque fidelitatem et obedien- « tiam ; et, si quis non fuisset a Metropolitano consecratus, « statim Episcopus suffraganeus ad Metropolitanum accedebat « ratione præstandæ obedientiæ. » (Cardinalis Petra, tomo 1, ad Const. unicam Honorii II, sect. 1, n. 137.) Consonat glossa (in cap. *antiqua, de privilegiis*, verbo *obedientia*) : « Sic suffraganei suo Metropolitano obedientiam præstare « debent, secundum quam ipsi præstant Papæ. »

Quæstio est, an et quatenus hæc suffraganeorum obligatio sublata sit per Tridentinum decretum (capitis 2, sessionis 23) in quo sic statuitur : *Nec Episcopi comprovinciales prætextu cujuscumque consuetudinis ad metropolitanam ecclesiam in posterum accedere inviti compellantur.* Resolvendum autem est ut sequitur :

1° Suffraganei, nec personaliter, nec per procuratores, tenentur ad Metropolitanum accedere ut obedientiam ipsi præstent. Id jamdudum extra controversiam est apud doctores ; et jam ab anno 1578 fuit expresse decisum, ut constat ex duabus sequentibus Congregationis Concilii epistolis :

« *Archiepiscopo Surrentino.* Reverendissime Domine, jampridem cum a S. Congregatione Cardinalium Tridentini « Concilii interpretum declarari petiisses, an, ex decreto « Concilii (sessione 24, capite 2) Episcopi provinciæ tuæ « tenerentur ipsimet accedere, vel liceret eis mittere procu« ratores ad præstandam obedientiam tibi uti Metropolitano, « responsum fuit : Congregationem censuisse dictum caput « 2 intelligendum esse de personali accessu ipsorum : de « procuratore autem mittendo Concilium nihil decidisse, « sed reliquisse in terminis juris veteris. Quoniam vero « deinde postulasti hunc etiam articulum de procuratore « mittendo decidi. Congregatio diligenti studio adhibito..., « omnia ad Sanctissimum Dominum nostrum retulit; qui, « etiam ex sententia ejusdem Congregationis, declaravit « ipsos Episcopos tuos comprovinciales, nec teneri procura« torem mittere, nullamque consuetudinem etiam immemo« rabilem obstare... Romæ, 18 octobris 1578. »

« *Archiepiscopo Cusentino.* Reverendissime Domine, cum « libellus hic Episcopi Martoranensis propositus fuisset in « S. Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii inter« pretum, ea censuit scribendum Amplitudini tuæ : Sanctis« simum Dominum nostrum, etiam ex sententia ipsius Con« gregationis declarasse, Episcopos comprovinciales, ex « decreto Concilii sessione 24, capite 2, non teneri neque « personaliter accedere, neque procuratorem mittere ad « præstandam obedientiam Metropolitano suo ; nullamque « consuetudinem, etiam immemorabilem, obstare... Romæ, « 19 novembris 1578. » (Epistolas illas reperies apud Card. Petra, tom. 1, ad Constit. unicam Honorii II, sect. 1, n. 133.)

2° Quamvis Archiepiscopus nequeat suffraganeos obligare,

ut accedant ad præstandam sibi obedientiam, potest tamen ad id eos vocare, si ex longa consuetudine fieri soleat ejusmodi vocatio. Propositum est hac de re dubium a comprovincialibus Archiepiscopi Surrentini, anno 1694, in hunc modum : *An Archiepiscopus Surrentinus possit vocare Episcopos suffraguneos ad præstandam ei obedientiam, etiamsi eos non cogat, neque per se neque per alios seu procuratores ad comparendum ?* Et primum quidem S. Congregatio, die 11 septembris 1694, responderat *negative*. Sed postmodum, allegante Surrentino Archipræsule longævam consuetudinem necnon privilegium Apostolicum (deperditum quidem, sed quod certo exstitisse videbatur), die 23 martii 1697, ab eadem S. Congregatione Concilii resolutum est : *Recedendum a decisis ; et manuteneri Archiepiscopum in vocandis suffraganeis: sed non teneri Episcopos accedere, nec per procuratores.* Non adversatur declaratio hæc Tridentino capiti 2 sessionis 24. Ibi enim tollitur dumtaxat quælibet suffraganeorum vocatio *coacta ;* non autem vocatio cui suffraganei obsequi non tenentur. Hinc concludit Ferraris (verbo *Archiepiscopus*, art. 2, n. 29), posse ab Archiepiscopo fieri ejusmodi *non coactam* convocationem, seu invitationem, ad præstandam sibi obedientiam, si pro se habeat consuetudinem *immemorabilem*. Existimat tamen Cardinalis Petra sufficere *quadragenariam*, non vero decennalem (tom. 1, ad Const. unicam Honorii II, sect. 1, sub finem).

3° Si Archiepiscopus allegare nequeat longam consuetudinem, non poterit etiam illam *non coactam* suffraganeorum convocationem seu invitationem facere. « Cæterum, ait Car-
« dinalis Petra (loco cit., n. 141), si adesset consuetudo recens
« vocandi, quæ non sit quadragenaria, non esset locus nec
« dictæ vocationi, quia saltem resistit aliquo modo dicta con-
« ciliaris dispositio *(nempe cap. 2 sessionis 24 Trid.)*; et tunc
« non sufficit decennalis...Pro *coactione* nullum tempus sufficit,
« resistente dicta conciliari dispositione clara, et tollente
« quamcumque consuetudinem. »

PROPOSITIO VIIª. — *Hodiedum permanere videtur obligatio*

suffraganei, qui non fuit in Metropoli ordinatus, accedendi infra tres menses ad Metropolitanum, ejus monita recepturus.— 1° Quod talis olim obligatio exstiterit, constat ex canone *si quis* (8, dist. 65), in quo sic habetur : « Si quis in metropolitana civitate « non fuerit Episcopus ordinatus.., id optimum esse decerni« mus, ut postmodum statuto tempore, id est, impletis duobus « mensibus, se Metropolitani sui repræsentet aspectibus, ut « ab illo monitis ecclesiasticis instructus, plenius quid obser« vare debeat recognoscat. Quod si forte hoc implere negle« xerit, in Synodo increpatus a fratribus corrigatur. Et, si « forte infirmitate aliqua ne hoc impleat fuerit præpeditus, « hoc suis litteris Metropolitano indicare procuret. » Atque idem statuitur canone *cum longe* distinctionis 63.

2° Dictam obligationem non abrogavit caput 2 sessionis 24 Tridentinæ Synodi. Equidem ibi decernitur, ne in posterum suffraganei ad metropolitanam ecclesiam accedere inviti compellantur ; sed additur, *prætextu cujuscumque consuetudinis*. Ex quo doctores concludunt, a Tridentinis Patribus sublatam quidem fuisse illam obligationem accedendi ad Metropolitanum quæ *nonnisi consuetudine* fundatur ; non autem illam quæ *in jure scripto* fundamentum habet : alias dicendum foret Tridentinos Patres sustulisse etiam obligationem, ab ipsismet paucis ante lineis sancitam, accedendi ad provincialem Synodum, quod est absonum. Unde, cum obligatio de qua hic agimus jure scripto inducta sit, non censenda est per dictum Tridentinum decretum sublata.

3° Obligationem illam tanquam certam habet Cardinalis Petra (tomo 1, ad Const. unicam Honorii II, sect. 1, n. 130) : « Certum est, inquit, non fuisse abrogatum jus cogendi Epi« scopos comprovinciales in casu ordinationis Metropolitani, « juxta caput *si Archiepiscopus* (*de temp. ordin.*), licet sit casus « extra Concilium provinciale ; quoniam inviti cogi possunt. « Et cum Episcopus non fuerit ordinatus in metropoli, tenetur « accedere infra tres menses ad Metropolitanum, hujus mo« nita recepturus, canone *cum longe* dist. 63, et canone *si quis*

« distirctionis 65. Sicque Concilium (Tridentinum) non derogavit hujusmodi oneribus ex jure quomodolibet provenientibus, sed tantum ex consuetudine promanatis, ut in terminis docuerunt Fagnanus... »

4° Forte quis objiciet, id jamdudum non observari, et abiisse in desuetudinem. De hac desuetudine mihi compertum non est. De qua tamen nisi constet, haud probanda videtur agendi ratio suffraganei, qui extra metropolim ordinatus, ad invisendum Metropolitanum suum intra tres menses non accedit : eo vel magis, quod ipsa etiam urbanitatis lex, quæ ad fovendam mutuam charitatem tantopere confert, id officii præstandum indigitet.

Propositio VIII^a. — *Nequit Archiepiscopus inhibitiones facere suffraganeis in materia observationis festorum.* — « Ita declaravit S. Congregatio Episcoporum in una *Beneventana*, « 11 januarii 1622.» (Ferraris, V. *Archiepiscopus*, art. 2, n. 19.)

Propositio IX^a. — *Quando suffraganeus renuit aliquem subditum suum ordinare, nequit Archiepiscopus suffraganeum illum compellere ad dicendum quare renuat : sed tenetur dumtaxat suffraganeus Sacræ Congregationi Concilii causas recusationis aperire, si recusatus ad eam recursum habuerit.* — Quia nempe potest Episcopus extra-judicialiter seu ex informata conscientia ascensum ad ordines denegare ; et tunc non datur appellatio ad Metropolitanum, sed tantum recursus ad Sedem Apostolicam. Vide infra, parte 5, cap. 15, § 6.

Propositio X^a. — *Potest Archiepiscopus dispensare cum suffraganeis in eorum votis et juramentis, Sedi Apostolicæ non reservatis.* — Vide apud Ferraris, verbo *Archiepiscopus*, a. 2, n. 30.

Propositio XI^a. — *Potest Archiepiscopus suffraganeos ad provinciale Concilium vocare : et sub gravi tenentur suffraganei legitime factæ convocationi obsequi.* — Extra controversiam est; et constat, tum aliis juribus, tum præcipue capite 2 sess. 24 Tridentinæ Synodi.

Propositio XII^a. — *Potest et debet Archiepiscopus suffraga-*

neum, qui statuta Tridentina circa seminarium non servat, corripere, et ad ea servanda cogere. — Sic enim sancitum est a Tridentina Synodo, sessione 23, capite 18 : « Quod si cathe-« dralium et aliarum majorum ecclesiarum Prælati in hac se-« minarii erectione ejusque conservatione negligentes fuerint, « ac suam portionem solvere detrectaverint, Episcopum « Archiepiscopus, Archiepiscopum et Superiores Synodus « provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supradicta « cogere debeat. »

Propositio XIII. — *Non videtur ad servandas Tridentinas sanctiones circa seminaria cogi posse suffraganeos a Metropolitano per censuras, sed tantum per mulctas pecuniarias.* — Cum enim censuræ non ferantur nisi ob delictum, cogere suffraganeos per censuras, esset de causa eorum criminali cognoscere ac pronuntiare : porro Tridentina Synodus, sessione 24, capite 5, criminales Episcoporum causas omnes reservavit; majores nempe Sedi Apostolicæ, et minores provinciali Synodo. Dum ergo capite 18 sessionis 23 dictam *cogendi* potestatem Archiepiscopo tribuunt Tridentini Patres, coactio illa intelligenda est citra censuras. Nec dicatur veram Archiepiscopo non concedi *cogendi* potestatem, nisi censuris etiam uti valeat; nam ille veram censetur adhibere coactionem, qui aliis, præter censuras, pœnis animadvertit ; verbi gratia, mulctis pecuniariis. Est nempe dictum caput 23 stricte interpretandum : porro satis verificatur in Archiepiscopo dicta *cogendi* potestas, quamvis cogere nequeat nisi uno modo, et non alio.

Propositio XIV. — *Non videtur Archiepiscopo competere potestatem cogendi suffraganeos ad celebrandam diœcesanam Synodum.* — Contrarium docet Ferraris, (verbo *Archiepiscopus*, art. 1, n. 12) in hunc modum : « Potest ipsos compellere ad « faciendam Synodum quotannis : Concilium Tridentinum, « sessione 24, capite 2. » Sed in illo capite nulla talis coactiva potestas Archiepiscopo tributa legitur ; sed injungitur solummodo ut Episcopi diœcesanam Synodum quotannis celebrent. Cum ergo, ex regula superiori capite firmata, nulla

Metropolitani in suffraganeos agnoscenda sit potestas, præter eam quæ in jure reperiatur expressa, dicendum est Archiepiscopo non competere dictam potestatem, negligentes suffraganeos compellendi ad celebrandam diœcesanam Synodum. Ad Metropolitani autem officium pertinere videtur de istiusmodi negligentia certiorem facere Sedem Apostolicam, ut provideat.

Propositio XV[a]. — *Archiepiscopus aliquam habet potestatem in suffraganeos quoad urgendam residendi legem.* — 1° Ad terminos juris Tridentini nequit suffraganeus, etiam ex justa causa abesse, nisi causa illa in scriptis approbata fuerit, vel a Summo Pontifice, vel a Metropolitano, vel (absente Metropolitano) ab antiquiori provinciæ Episcopo. Ita disponitur a Tridentina Synodo, sessionis 23, capite 1. Excipitur tamen casus quo Episcopus abesse deberet propter aliquod reipublicæ munus; quia tunc causa excusans publicæ notorietatis est. 2° Suffraganeis sine causa legitima non residentibus, et hoc ipso fructus non facientibus suos, potest Archiepiscopus illos fructus fabricæ ecclesiarum aut pauperibus loci erogare. Constat eodem Tridentino capite. 3° Aliis autem pœnis in non residentes suffraganeos animadvertere nequit Archiepiscopus, nisi cum Concilio provinciali. Dum enim in præfato Tridentino decreto dicitur, *ad eumdem spectabit videre... ut pœnis canonicis errantes puniatur,* simul additur, *cum Concilio provinciali.*

Propositio XVI[a]. — *Potest Archiepiscopus vicarium capitularem deputare in ecclesia suffraganea, si cathedrale capitulum infra dies octo post sedis vacationem, aliquem non deputet, vel deputet non idoneum.* — Constat capite 16 sessionis 24 Tridentinæ Synodi. Vide quæstionem in meo tractatu *de Capitulis.*

Propositio XVII[a]. — *Si vacantia beneficia intra semestre non contulerit suffraganeus, quando collatio ad eum pertinet, poterit Archiepiscopus negligentiam supplere et illa beneficia conferre.* — Illa enim potestas Metropolitani in jure exprimitur (capite *licet*, 3, *de supplenda negligentia Prælatorum*). Vide apud Ferraris, verbo *Archiepiscopus*, art. 1, n. 26.

Propositio XVIII^a. — *Si præsentatos a patronis infra duos menses suffraganeus ex negligentia non instituat, instituere potest Archiepiscopus.* — Nam hæc etiam potestas Archiepiscopo expresse attributa reperitur in jure; nimirum Constitutione *in conferendis,* 16 mai 1587, sancti Pii V.

Propositio XIX^a. — *Non videtur generaliter tribuendum Metropolitano jus supplendi suffraganeorum negligentiam; sed dumtaxat in casibus in jure expressis.* — Apud Ferraris (V. *Archiepiscopus,* post art. 2), sub rubrica *novæ additiones,* sic adnotatur: « Circa jus supplendi negligentiam suffraganei in « administratione sui muneris, esse qui sentiant, non aliter « Archiepiscopis illud competere, nisi in casibus in jure nomi- « natim expressis, tradit Schmier. »

Propositio XX^a. — *Etiamsi suffraganeus delinquat in diœcesi Metropolitani sui, non videtur posse Metropolitanus in eum censuris animadvertere: et a fortiori non poterit quilibet Episcopus in cujus diœcesi delinquunt alii Episcopi, aut Archiepiscopi, hos censuris innodare.* — 1° Non desunt canonistæ qui putant posse quemlibet Episcopum in alios Episcopos atque etiam Archiepiscopos (excepto tamen proprio suo Metropolitano) censuras ferre, si in ipsius diœcesi delinquant. Dicunt nempe, *ratione delicti,* Episcopos ac etiam Archiepiscopos fieri subditos illius Episcopi, in cujus diœcesi delinquunt. Excipiunt tamen Archiepiscopum delinquentem in diœcesi suffraganei sui; quia cum sit superior quoad hunc suffraganeum, non potest, etiam ratione delicti, fieri ejus subditus. Vide apud Cardinalem Petra (tomo 1, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 92 et seq.).

2° Id tamen non videtur admittendum. Quamvis enim verum fuerit ante Tridentinam Synodum, certum est ab illa Synodo reservatas fuisse causas criminales omnes Episcoporum; majores scilicet Sedi Apostolicæ, et minores Concilio provinciali. Cum illa autem reservatione stare non potest ullius Episcopi potestas censuris alium Episcopum innodandi.

3° Et hoc extendendum etiam videtur ad Archiepiscopum in cujus diœcesi suffraganeus ejus delinqueret. Nam si ferret

censuram in illum Episcopum, de causa ejus criminali cognosceret; et prohibuerunt Tridentini Patres ne ullus præter Papam aut Concilium provinciale de causis criminalibus Episcoporum cognoscat.

4° Si tamen contraria sententia in rigore juris sustineri posse videatur, remanet semper vera conclusio quoad praxim; eo sensu nempe quod saltem non deceat, etiam in dicto casu, ut censuræ in Episcopum ferantur, inconsulta Sede Apostolica; prout adnotant canonistæ (vide Card. Petra, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5); qui et addunt esse stylum Romanarum Congregationum, ut hujusmodi censuras in Episcopos latas non approbent.

Propositio XXI[a]. — *Si Episcopus delinquendo in aliena diœcesi incurrat excommunicationem vel suspensionem a lege latam, posset, in rigore juris, Ordinarius illius diœceseos delinquentem declarare excommunicatum vel suspensum ; atque id posset etiam suffraganeus erga suum Metropolitanum.* — Supponamus, verbi gratia, Metropolitanum in diœcesi suffraganei sui absque licentia ejusdem Ordinarii ingredi clausuram monialium vel prædicare, vel aliquid aliud facere, pro quo statuta sit, sive a jure communi, sive a lege diœcesis illius, excommunicatio vel suspensio ipso facto incurrenda : poterit suffraganeus Metropolitanum declarare excommunicatum vel suspensum. Nam per talem declarationem nulla exercetur jurisdictio; ac proinde ut quis possit ejusmodi declarationem facere, necesse non est ut sit superior relative ad eum quem censura innodatum declarat. Unde nihil obstat quin possit fieri talis declaratio ab Episcopo contra Metropolitanum suum, et a fortiori contra quemlibet alium Episcopum aut Archiepiscopum. Hanc doctrinam tenent doctores communiter : « An possit Archi- « episcopus (ait Card. Petra) excommunicari ab ejus Episcopo « suffraganeo... Dicendum, nullam habere facultatem Epi- « scopum suffraganeum in suum Metropolitanum, cum ju- « stum non sit minorem posse majorem coercere... Unicus « tamen casus posset considerari, quando nempe agatur de

« censura lata a jure ; quia tunc cum Episcopus suffraganeus « tantum declaret Archiepiscopum incursum, nulla posset « considerari jurisdictio. » (Tomo I, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 98 et 106.)

Hic tamen notetur non incurri ab Episcopis censuras a jure latas, nisi de ipsis in lege fiat expressa mentio. Notetur insuper positum fuisse in thesi, *in rigore juris ;* quia minime decet talem declarationem contra ullum Episcopum fieri, et a fortiori a suffraganeo contra Metropolitanum. « Ego tamen pu« tarem, inquit citatus Cardinalis Petra, quod ob reveren« tiam, omnino suffraganeus abstinere se debeat a publica« tione cedulonum contra proprium Metropolitanum, sed « certioret Sedem Apostolicam, ut dixit Pignatellus. » (Loco cit., n. 109.)

CAPUT IV.

QUID POSSIT VEL NON POSSIT ARCHIEPISCOPUS QUOAD SUFFRAGANEORUM SUBDITOS ET DIŒCESES.

PROPOSITIO Iª. — *Nequit Archiepiscopus suffraganeorum subditos judicare in prima instantia : nec eorumdem causas coram suffraganeis pendentes ad se avocare : nec ante sententiam definitivam in prima instantia recipere appellationem ab aliqua sententia interlocutoria aut gravamine; aut inhibitionem ulterius procedendi suffraganeo, ejusve officiali facere, nisi forte gravamen tale foret ut non posset per appellationem a definitiva reparari, aut non posset ab ipsa definitiva appellari.* — Constat capite 1, sessionis 13, et capite 20, sessionis 24, Tridentinæ Synodi.

PROPOSITIO IIª. — *Si tamen causa in curia suffraganei intra biennium non finiatur, liberum est partibus, et uni etiam parti, Metropolitanum tribunal adire.* — Ita decrevit Tridentina Synodus citato capite 20, sessionis 24.

PROPOSITIO IIIª. — *Metropolitanus est judex competens quoad omnes suffraganeorum suorum subditos, in secunda instantia,*

quando ad ipsum legitime appellant. — Extra controversiam est. Vide apud Ferraris, verbo *Archiepiscopus*, art. 1, n. 9. Sed nota non dari appellationem a sententiis *ex informata conscientia;* quibus nempe suffraganeus extra-judicialiter suspensionis pœnam pronuntiat, aut ascensum ad ordines recusat. Tunc datur tantum recursus ad Sedem Apostolicam.

Propositio IVª. — *Quando suffraganeus a suo subdito rejicitur ut suspectus, debent eligi arbitri : potestque tunc Metropolitanus ad arbitros eligendos suffraganeum cogere.* — Vide meum tractatum *de Judiciis* (tomo 1, pag. 179 et pag. 517), necnon Cardinalem Petra (tomo 1, ad Constit. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 13).

Propositio Vª. — *Vicarius generalis suffraganei judicari et puniri potest a Metropolitano, si delinquat in officio suo ita ut lædat Metropolitani jurisdictionem : secus si delinquat extra officium, vel etiam in officio, sed absque læsione jurisdictionis metropoliticæ.* — 1° Aliqui auctores docent plecti posse a Metropolitano vicarium suffraganei, quoties delinquit in officio suo, etiamsi delictum Metropolitani jurisdictionem non respiciat nec lædat : inter quos sic Ferraris (v. *Archiepiscopus,* art. 1, n. 21) : « Potest Archiepiscopus excommunicare vicarium vel « officialem Episcopi suffraganei, causa rationabili existente « (capite *Romana, de officio vicarii,* in 6). Causæ autem ratio- « nabiles excommunicandi vicarium sunt quæ referuntur a « Glossa in dictum caput...; scilicet : quando vicarius im- « pedit causam appellationis ad Archiepiscopum : vel si delin- « quit circa officium commissum : vel si peccaret in his quæ « sunt jurisdictionis : vel si uteretur jurisdictione Episcopi « excommunicati : vel si non servet privilegia Sedis Aposto- « licæ : vel si sit criminosus et incorrigibilis. Exceptis tamen « his et similibus casibus, si vicarius delinquat extra officium, « non subjacet jurisdictioni Metropolitani, nisi in casibus a « jure expressis, sicut cæteri subditi suffraganeorum; sed « cognitio et punitio delicti a vicario extra officium pertinet « ad suum Episcopum, qui habet facultatem a jure, prout

« quivis alius magistratus coercendi officialem suum, appella-
« tione remota. »

2° Alii vero doctores tenent ut in propositione posuimus. Inter quos sic habet Cardinalis Petra (tomo 1, ad Const. 2, Leonis IX, sect. 5, n. 20) : « Quod vero pertinet ad vicarios « suffraganeorum, quotiescumque delinquant in officio respi- « ciente auctoritatem Archiepiscopi, possunt ab hoc puniri : « secus vero si extra tale munus, vel in delictis privatis et « causis civilibus propriis; tunc enim Episcopus erit judex, « reservata appellatione Metropolitano. » Ibi citat C. Petra plures auctores ita distinguentes, et quamdam declarationem S. Congregationis Episcoporum. Tum sic pergit : « Et sic non « sufficit quod sit intuitu officii delictum, sed ut sit delictum « influens in jus quod spectat ad Metropolitanum, vel con- « nexum in causa devoluta ad ipsum ratione juris metropo- « litici. »

Et notet lector, Cardinali Petra haud dubium esse, quin vicarius generalis a suo Episcopo punitus, appellare possit ad Metropolitanum. Quod enim dicit Ferraris, posse eum coerceri a suo Episcopo, *appellatione remota*, fundatum non videtur. Potest quidem Episcopus vicarium suum generalem ob officio suo removere, etiamsi nullius delicti reus sit : atvero si insuper aliis pœnis ob delicta in eum animadvertat Episcopus, non est cur vicarius generalis, sicut alii subditi ejusdem Episcopi, ad Metropolitanum appellare non valeat.

Propositio VI^a. — *Quamvis suffraganeus fuerit depositus, vel suspensus, vel excommunicatus, non ideo potest Archiepiscopus in ejus diœcesi jurisdictionem exercere.* — Id decisum fuit, decretali *Romana* (1, *de supplenda neglig. Prœl.* in 6), ab Innocentio IV, occasione cujusdam edicti Rhemensis Archiepiscopi. Nimirum « dum Archiepiscopus Rhemensis visitaret provin- « ciam Rhemensem, et non debito modo fuisset a suffraganeis « receptus, excommunicavit eos, et fecit proponi edictum « per totam provinciam Rhemensem, quod omnes subditi « ipsorum suffraganeorum adirent ipsum pro suis causis diri-

« mendis. Papa Innocentius revocat hoc edictum; et dicit, « quod licet ipsi suffraganei pro suis culpis excommunicati « sint, non tamen ad ipsum Archiepiscopum jurisdictio ipso- « rum devolvitur, cum id cautum non reperiatur in jure. » (Glossa ad dictum caput *Romana*.) In ipsa Decretali sic habetur : *edictum vero per Rhemensem provinciam publicatum... penitus revocamus : quia etiamsi tenerentur iidem Episcopi pro suis culpis vinculo excommunicationis adstricti, non tamen ex culpis ipsis (cum id non inveniatur a jure concessum) ad Rhemensem Archiepiscopum jurisdictio devolveretur eorum.* Hinc a glossatoribus et canonistis tanquam certa traditur regula hæc : ad Archiepiscopum non transit jurisdictio suffraganei *propter* hujus *delictum ;* sed dumtaxat *propter* ipsius *negligentiam.* Quod tamen *ob negligentiam* suffraganei transeat jurisdictio ad Archiepiscopum, intelligendum de solis casibus in jure expressis tenent multi, prout supra adnotavimus. Cæterum posita conclusio pro certa communiter habetur a doctoribus (vide Card. Petra, tomo I. ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 25).

Sed neque capto a Paganis Episcopo, devolvitur jurisdictio ad Archiepiscopum; « quia non est casus *ob negligentiam* Epi- « scopi. » (Card. Petra, ibid.)

Nota. — Hic forte lector sciscitabitur, ad quem transeat jurisdictio Episcopi in dictis casibus. Solutam quæstionem illam reperiet in meo tractatu *de Capitulis* (pagina 532 et seq.). Nimirum, si Episcopus depositus fuerit, vel factus notarie hæreticus, vel captus a paganis, jurisdictio transit ad capitulum, et elegi debet vicarius capitularis. At si Episcopus fuerit excommunicatus aut suspensus, neque ad Metropolitanum, neque ad capitulum transit jurisdictio; sed recurrendum est ad Sedem Apostolicam, quæ solet tunc Vicarium Apostolicum deputare, qui diœcesim administret. In casu tamen Episcopi notarie suspensi, permittitur clericis, pro suscipiendis ordinibus, adire *viciniorem* Episcopum : quæ specialis dispositio habetur capite 2 *de temporibus ordin.*, in 6.

Propositio VIIª. — *Quando in aliqua diœcesi nullum exstat*

cathedrale capitulum, et Episcopus fuit depositus, vel alio modo sedes vacat, jurisdictio transit ad Metropolitanum. — Id fuse probat Cardinalis Petra (tomo 1, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 36). Qui et citat sequentem declarationem S. Congregationis Concilii, in Hiberniensi 28 Augusti 1683 : *Secundo, an vacante suffraganea ecclesia, quæ capitulo careat, illius administratio et vicarii deputatio pertineat ad Metropolitanum? Et quatenus metropolitana ecclesia Pastore careat ; tertio, an pertineat ad capitulum ecclesiæ metropolitanæ, vel potius ad antiquiorem suffraganeum Episcopum?* Sacra Congregatio respondit : ad secundum *affirmative;* ad tertium, *ad capitulum metropolitanæ.*

PROPOSITIO VIII^a^. — *Nequit Archiepiscopus suffraganeorum diœceses visitare, nisi ex causa a Concilio provinciali cognita et approbata.* — Olim totam provinciam suam visitare poterat Metropolitanus, ut constat Decretali Innocentii IV, quam supra, propositione 6, transcripsimus, aliisque juris textibus. Sed Tridentini Patres (sessione 24, capite 3) statuerunt, ut non posset Archiepiscopus diœcesim aliquam suffraganeam visitare, nisi ex causa, a Concilio provinciali approbata.

PROPOSITIO IX^a^. — *Dum Metropolitanus, ex causa a Concilio provinciali approbata suffraganeorum diœceses visitat, 1° exigere potest a visitatis procurationem, id est, necessaria pro convenienti sustentatione; 2° potest suffroganeorum subditos in foro conscientiæ absolvere, etiam a casibus, per suos respective Episcopos reservatis ; idque non tantum per se, ast etiam per alios.* — Nam Tridentina Synodus prohibuit quidem ne fieret ejusmodi visitatio, nisi ob causam a provinciali Concilio approbatam ; sed posita hac approbatione, non sustulit jura quæ visitanti Archiepiscopo antea competebant : porro ante Tridentinam Synodum poterat visitans Metropolitanus ea peragere quæ in propositione recensentur (vide apud Ferraris, v. *Archiepiscopus*, art. 1, n. 32 et seq.).

PROPOSITIO X^a^. — *Quamvis Metropolitanus suffraganei alicujus diœcesim, approbante Concilio provinciali visitet, non videtur*

de criminalibus illius suffraganei causis cognoscere posse, nisi Concilium provinciale minores ejusmodi causas cognoscendas ac terminandas ei commiserit. — Nam causæ criminales Episcoporum absque distinctione fuerunt a Tridentina Synodo reservatæ. Sed cum *minores* reservatæ fuerint Concilio provinciali, bene poterit Archiepiscopus, quatenus ab eodem Concilio provinciali ad hoc deputatus, easdem judicare. Esset tamen tunc locus appellationi a delegato ad delegantem, id est, ad ipsam provincialem Synodum.

Nota. — De facto non viget praxis ut Archiepiscopus suffraganeorum suorum diœceses visitet; quia vix unquam contingit, ut provincialis Synodus ejusmodi visitationis peragendæ causam approbet; quæ tamen approbatio necessaria est, ut valeat Archiepiscopus dictam visitationem facere.

Hinc supplere solet Sedes Apostolica per Visitatores Apostolicos, quos deputat Summus Pontifex, sive per seipsum, sive per organum Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium, aut S. Congregationis Concilii.

Propositio XIª. — *Non potest Archiepiscopus absolvere excommunicatum a suffraganeo, nisi in casu appellationis : imo eum ab excommunicatione appellantem non potest statim absolvere; sed debet eum remittere pro absolutione ad Episcopum qui eum excommunicavit; qui si renuat absolvere, tunc solummodo poterit Archiepiscopus (recepto juramento de stando juri) eum absolvere.* — Vide apud Ferraris (v. *Archiepiscopus*, art. 2, n. 4 et 31).

Propositio XIIª. — *Potest Archiepiscopus tanquam suum delegatum constituere aliquem subditum suffraganei, si subditus ille velit delegationem acceptare : at nequit eum cogere ad delegationem acceptandam, aut ad exequendas metropolitanas sententias.* — Vide apud Ferraris, loco citato, n. 8.

Propositio XIIIª. — *Nequit Archiepiscopus sibi constituere officiales in diœcesibus suffraganeorum, pro causis quæ in futurum ad ipsius tribunal afferentur.* — Ita statuitur capite 1 tituli *de officio judicis ordinarii*, in *sexto*. Excipitur, nisi jus illud ex legitime præscripta consuetudine jam habeat.

PROPOSITIO XIVª. — *Causas appellationis judicare nequit Archiepiscopus nisi in sua civitate aut diœcesi, vel in diœcesibus in quibus fit appellatio, et ubi causæ consistunt.* — Ita in jure dispositum vide apud Ferraris, loco cit., n. 15.

PROPOSITIO XVª. — *Nequit Archiepiscopus, etiam dum suffraganeorum diœceses actu visitat, dimissorias eorum subditis concedere.* — Quia nempe non reperitur hoc in jure ipsi concessum (vide apud Ferraris, v. *Archiepiscopus*, art. 2, n. 23).

PROPOSITIO XVIª. — *Nequit Archiepiscopus in suffraganeorum diœcesibus, sine eorum licentia, ordines conferre, confirmationem administrare, degradare, decreta edicere, aut alia peragere quæ jurisdictionem denotent.* — Vide apud Ferraris, ibidem, n. 24 et seq.

PROPOSITIO XVIIª. — *Potest dispensare cum subditis suffraganei, quando suffraganeus denegat dispensationem, quæ tamen, attentis circumstantiis, est subdito debita.* — Ita cum multis aliis tenet Ferraris (loco citato, art. 1, n. 25).

PROPOSITIO XVIIIª. — *Potest in prima instantia cognoscere causas subditorum suffraganei sui, qui habent prædium in ipsius archiepiscopatu.* — Vide ibidem, n. 31.

PROPOSITIO XIXª. — *Archiepiscopus, etiam extra visitationis actum, potest indulgentias concedere per totam provinciam; sed nonnisi* 40 *dierum extra casum dedicationis Basilicæ, et unius anni in hoc casu, ad præscriptum Concilii œcumenici Lateranensis anni* 1216. — Vide id expressum capitibus 13 et 14 tituli *de pœnitentiis et remissionibus.* Vide etiam apud Ferraris (v. *Archiepiscopus*, art. 1, n. 35).

PROPOSITIO XXª. — « *Potest ante se facere deferri crucem in* « *tota sua provincia, etiam per loca exempta.* » — Ita Ferraris (loco cit., n. 45), id probans variis auctoritatibus. Est autem conclusio hæc communiter recepta apud doctores.

PROPOSITIO XXIª. — *Præsente tamen Legato Pontificio, vel Cardinali non Legato, vel Nuntio habente facultates Cardinalis a latere, jus non habet Archiepiscopus ut crux ante ipsum deferatur.* — Ferraris, ibidem, n. 46.

PROPOSITIO XXII^a. — *Potest Archiepiscopus populo benedicere per totam provinciam, etiam extra visitationis actum, et tam benedictione solemni quam simplici. At præsente Legato Pontificio id nequit, nisi Legatus annuat : præsente autem Nuntio, debet Archiepiscopus eum rogare ut benedicat; et Nuntius debet id remittere Archiepiscopo.* — Vide ibidem apud Ferraris, n. 47, ubi adducitur hac de re decisio S. Congregationis Rituum.

PROPOSITIO XXIII^a. — *Potest Archiepiscopus in tota sua provincia uti mozetta et rochetto discooperto : excepto casu quo præsens foret Legatus, vel Cardinalis.* — Ferraris, ibidem, n. 49.

PROPOSITIO XXIV^a. — *Pallio item uti potest in tota sua provincia.* — Ibidem, n. 49.

PROPOSITIO XXV^a. — *Item potest in tota sua provincia celebrare divina officia in pontificalibus.* — Ibidem, n. 50.

PROPOSITIO XXVI^a. — *Potest Archiepiscopus relegare ex tota provincia delinquentes in sua diœcesi : quæstores mittere per totam provinciam pro restauratione ecclesiæ metropolitanæ : prohibere ex justa causa munus prædicationis per totam provinciam.* — Id enim reperitur expresse a jure concessum Archiepiscopis. Vide apud Ferraris, verbo *Archiepiscopus*, post articulum 2, *novas additiones*, n. 30.

PROPOSITIO XXVII^a. — *Negligente suffraganeo crimina notoria in sua diœcesi coercere, ea potest coercere Archiepiscopus.* — Vide ibidem, n. 29.

PROPOSITIO XXVIII^a. — *Animadvertere etiam potest Archiepiscopus in suffraganeorum subditos, si injuriam ipsi vel suis inferant, aut jurisdictionis ipsius exercitium impediant.* — Vide ibidem, n. 30.

CAPUT V.

DE PALLIO.

Cum Archiepiscopi, licet confirmati et consecrati, antequam pallium receperint, ea exercere nequeant quæ sunt

archiepiscopalis jurisdictionis propria, manca foret de Metropolitanorum gradu ac dignitate disceptatio, nisi varias etiam circa Pallium juris dispositiones complecteretur. Pallii autem nomine intelligitur ornamentum quoddam Summorum Pontificum ex lana confectum; dignitatem ac jurisdictionem denotans; mysticis significationibus plenum; quod Patriarchis, Primatibus et Metropolitanis a Sede Apostolica traditur, cum restricta tamen ac determinata illud gestandi facultate; per cujus receptionem dicti Antistites liberum jurisdictionis suæ exercitium conseqnuntur; quodque tandem simplicibus etiam Episcopis quandoque honoris causa conceditur. Quo prænotato, dicemus 1° quam antiqna sit Pallii institutio, et quomodo huc usque in inquirenda ejus origine frustra eruditi desudaverint; 2° hodiernnm jus commune circa Pallium exponemus; 3° exquiremus breviter an et a quo tempore Orientis Patriarchæ Pallium a Romano Pontifice recipere debuerint.

§ I.

De Pallii antiquitate, et nondum certo cognita origine.

1° Esse antiquissimum Pallii usum unanimi ore fatentur eruditi. Anno 336 Ostiensi Episcopo Pallii usum permisit sanctus Marcus Papa (vide apud Moroni, v. *Pallio);* et quod septimo vel saltem octavo sæculo generalis jam evasisset disciplina ut omnes Archiepiscopi Pallinm reciperent, eruditis pariter explorata res est.

2° Quænam autem fuerit Pallii origo, huc usque iucompertum est, etsi quæstionem enodare quamplurimi eruditionis fama celeberrimi scriptores enixe aggressi sint. Equidem Petrus de Marca peremptorie probatum a se existimavit, repetendam esse Pallii originem ab imperatoribus, qui imperiale illud ornamentum Romanis Pontificibus primum concesserint. Ast ipsius systema exploserunt Garnerius (in sua editione *libri diurni,* adnot. ad caput 4), Ruinartius (operum posthumorum

Mabillonii, tomo 2, pag. 457), et alii; prout in recenti editione operis Lucii Ferraris adnotarunt Benedictini Cassinenses (verbo *Archiepiscopus*, art. 3, sub finem).

3° « Pallium antiquitus non omnibus Archiepiscopis Pontifices conferre consueverunt, sed paucis; et forte iis qui « vicarii Apostolici eligebantur. Quapropter olim soli Arelatensi in Gallia, Hispalensi in Hispania, Salonitano in Dalmatia, Ravennati in Italia, Syracusano in Sicilia, Calaritano « in Sardinia, Pallii privilegium tribuebatur. » (Editores Cassinenses operis Lucii Ferraris, loco citato.)

4° Ex eo quod assignari nequeat tempus, quo primum Pallii usus fuerit inductus, concludunt multi, semper constanterque Pallium, tum a Patriarchis tum a Romanis Pontificibus fuisse adhibitum (vide citatum locum Lucii Ferraris, in editione Cassinensium). Nos quæstionem eruditis disputandam relinquimus.

§ II.

Exponitur hodiernum jus circa Pallium.

QUÆSTIO I^a^. — *Quomodo conficiantur Pallia et quænam sint mysticæ Pallii significationes. Remissive.* — De agnellis super altare sanctæ Agnetis offerri solitis, e quorum lana, cum alia mixta, Pallia contexuntur; de benedictione eorumdem Palliorum a Summo Pontifice; de forma ipsorum, tum antiqua, tum recenti; et de mysticis significationibus; expositum reperies apud Moroni (*Dizionario*, v. *Pallio)*, necnon apud Ferraris (v. *Archiepiscopus*, art. 3).

QUÆSTIO II^a^. — *An et qualenus necesse sit Patriarchas, Primates et Archiepiscopos Pallio donari, ut jurisdictionis suæ exercitium habeant.* — 1° Ante Pallii receptionem licite nequeunt vocari Patriarchæ, Primates aut Archiepiscopi : item nequeunt Episcopos consecrare, nec convocare Concilium, nec Chrisma conficere, neque ecclesias dedicare, nec clericos ordinare.

Constat capitibus *significasti* 4, et *quod sicut* 28, *de electione* : capite *nisi specialis* 3, *de auctoritate et usu Pallii* : rubrica *Pontificalis*, parte 1, titulo *de Pallio* : capite 16, n. 1, libri 1 *Cæremonialis Episcoporum* : et tandem unanimi canonistarum doctrina.

2° Hinc, quoad exercendos prædictos actus, diversæ conditionis sunt simplices Episcopi. Nam hi post acceptas provisionis Bullas et captam diœcesis possessionem, statim possunt Synodum diœcesanam celebrare, clericos ordinare, aliaque præfata pontificalia exercere. Et verum id remanet, etiam quoad simplices Episcopos, quibus Pallii privilegium conceditur : expectanda nempe ab ipsis non est Pallii receptio, ut prædicta licite peragere valeant. Atvero Archiepiscopis id non licet, quamvis Pontificias Bullas habeant, et possessionem suorum archiepiscopatuum ceperint ; sed necesse est ut et Pallium receperint (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.* l. 2, c. 6, n. 4). Ratio discriminis est, quod Metropolitis non conferatur pontificiæ potestatis *plenitudo*, nisi per Pallium : *in quo* (ait Innocentius III, capite *nisi specialis* 3, *de auct. et usu Pallii) pontificalis officii plenitudo, cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur*.

3° « Potest tamen Archiepiscopus confirmatus, ante rece« ptum Pallium, ea quæ sunt ordinis episcopalis demandare « suis suffraganeis, qui licite de ejus mandato possunt talia « exercere ; textu claro in capite *suffraganeis*, 11 *de electione*. » (Ferraris, V. *Archiepiscopus*, art. 3, n. 15.)

4° « Si Archiepiscopus jam consecratus in Episcopum, ante « receptum Pallium faciat ea quæ sibi proveniunt ex Pallio « circa potestatem ordinis, chrismatis, etc., tunc ipsa sunt « *valida* ; sed Archiepiscopus peccat contra canones et jura. » (Ibidem, n. 16.) Et ita doctores tenent communiter. Est nempe receptio Pallii necessaria ad prædictorum liceitatem, non ad eorum validitatem.

5° Non conceditur Pallium Patriarchis et Archiepiscopis *in partibus* ; ac proinde isti Pallium petere non tenentur (vide

Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 13, cap. 15, n. 17).

QUÆSTIO III^a. — *Intra quod tempus teneatur Archiepiscopus Pallium petere?* — « Debet intra tres menses a die consecra- « tionis, si ante non fuit consecratus, vel a die confirmationis, « si jam ante fuit consecratus, cessante justo impedimento, « per se vel procuratorem petere Pallium; alias privatur « commissa sibi dignitate : capite *quoniam* 1, distinct. 100... « Hodie vero ex Tridentino (sess. 7, cap. 9) alii tres menses « dantur ad petendam consecrationem; qui etiam ad peten- « dum Pallium consequenter dari censentur. » (Ferraris, loco cit., n. 12.)

QUÆSTIO IV^a. — *Quomodo peti soleat Pallium?* — 1° Petitio et concessio Pallii fiunt in Consistorio. 2° Regula est ut non recipiatur postulatio Pallii ante expeditas provisionis Bullas; ac proinde non recipitur in ipso Consistorio in quo fit promotio; sed in aliquo subsequenti. Quia tamen multi Metropolitani petebant, ut in ipso Consistorio in quo promovendi erant, petitio Pallii reciperetur, data est Auditori Summi Pontificis facultas Archiepiscopos ad id habilitandi (vide apud Moroni, *Dizionario*, tomo 15, pag. 232). 3° Si Romæ præsens sit qui Pallium postulat, ipsemet in Consistorio (finitis scilicet aliis Consistorii negotiis et antequam Papa discedat) genuflexus et comitante aliquo advocato consistoriali Pallium postulat a Summo Pontifice. Absentes ab Urbe aliquem deputant procuratorem, qui ipsorum nomine Pallium in Consistorio postulent. 4° Formula postulationis est in hunc modum : *Beatissime Pater, ego N.... promotus ad ecclesiam N.... instanter, instantius et instantissime peto mihi tradi Pallium, de corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii, pro ecclesia N.., mihi commissa.* Si postulet procurator, formula est : *Beatissime Pater, ego N..., Reverendissimi N..., promoti ad ecclesiam N..., procurator, et procuratorio nomine, instanter, instantius et instantissime peto ei tradi et assignari Pallium de corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii, pro ecclesia N... sibi commissa.* Respondere solet Summus Pontifex : *Propediem*

dabimus (vide apud Moroni, *Dizionario,* verbo *Pallio,* tomo 51, pag. 61 et 62, edit. Venetæ 1851). 5° Nonnunquam contigit ut Papa concesserit Pallium, absque prævia postulatione (loco cit., pagina 63).

QUÆSTIO V^a. — *Quomodo tradi soleat Pallium.* — 1° Si Pallium recepturus sit Cardinalis Romæ præsens, illud ipsi imponit Summus Pontifex, in sua plerumque cappella secreta (vide apud Moroni, tomo 51, pag. 63). 2° Aliis si Romæ præsentes sint, Pallium tradit aliquis e Cardinalibus a Papa designatus; et traditio fieri solet in capella ipsius Cardinalis. 3° « In tradendo Pallio extra Romanam Curiam, consuetudo « ab immemorabili tempore est, ut Summus Pontifex uni aut « duobus Episcopis committat illius traditionem. » (*Cæremoniale Episcoporum*, libro 1, capite 16.) Totus ritus tunc observandus describitur, tum in citato loco *Cæremonialis Episcoporum*, tum in *Pontificali*, parte 1, titulo *de Pallio;* ubi etiam habetur formula juxta quam Pallium recepturus obedientiam Romano Pontifici jurare debet. 4° Formula vero traditionis est ista : *Ad honorem Omnipotentis Dei et Beatæ Mariæ semper virginis, ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Domini Nostri N... Papæ N..., et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon ecclesiæ N... tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii, cum patriarchalis* (vel *archiepiscopalis*) *nominis appellatione ; ut utaris eo intra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Cur Pallium dicatur de corpore Beati Petri sumptum, varie explicant eruditi. Vide apud Ferraris (verbo *Archiepiscopus*, art. 3, n. 2 et seq.).

QUÆSTIO VI^a. — *Quibus in locis Archiepiscopo liceat Pallio uti.* — 1° Solius Romani Pontificis prærogativa est Pallium quotidie et ubique deferendi. Cæteris nonnisi limitate quoad tempus et loca conceditur. Ita fit ad significandum residere in Summo Pontifice potestatis *plenitudinem,* aliis autem Prælatis particularem dumtaxat et restrictam jurisdictionem com-

petere. De quo sic Innocentius III (cap. *ad honorem*, 4 *de auctoritate et usu Pallii*) : « Sane solus Romanus Pontifex in « missarum solemniis Pallio semper utitur, et ubique : quo- « niam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, « quæ per Pallium significatur. Alii autem eo nec semper, « nec ubique, sed in ecclesia sua, in qua jurisdictionem « ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus : quo- « niam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitu- « dinem potestatis. »

2° Archiepiscopus uti potest Pallio intra quamlibet suæ provinciæ ecclesiam ; non extra provinciam, neque extra ecclesias provinciæ suæ (vide textus juris apud Ferraris, V. *Archiepiscopus*, art. 3). Proinde si celebret sub tentorio in castris, aut in domo privata, Pallio uti non debet. Item eo uti non debet in processionibus, aut alio quovis modo, quando ab ecclesia exit. Quod autem in aliena provincia Pallio uti nequeat, intelligendum est etiam in casu quo alterius provinciæ Metropolitanus consentiret (vide apud Ferraris, loco citato).

QUÆSTIO VIIª. — *Quandonam possit Archiepiscopus Pallio uti.* 1° Nequit eo uti extra missarum solemnia. 2° Nequit eo uti in omnibus missis solemnibus, sed dumtaxat in missis solemnibus eorum dierum qui in *Pontificali* (parte 1, titulo *de Pallio*) enumerantur, nisi ipsi specialiter aliqui alii dies concessi fuerint. 3° Quod tamen possit Pallio uti in Synodo, sive provinciali, sive etiam diœcesana, videtur communis doctorum sententia. 4° Pallio uti nequit in missa pro defunctis (quæ omnia probat Ferraris, verbo *Archiepiscopus*, art. 3).

QUÆSTIO VIIIª. — *Quid agendum sit Archiepiscopo, qui jam accepto Pallio ad aliam ecclesiam transfertur, vel archiepiscopatum resignat : et quid servandum post ejus obitum.* — 1° Si transferatur ad alium archiepiscopatum, indiget novo Pallio ; licet debeat etiam prius secum retinere, non autem eo uti in nova ipsi commissa provincia. 2° Si archiepiscopatum resignet, nequit jam Pallio uti in provincia in qua erat Archiepiscopus, neque alibi. 3° Archiepiscopus sepeliri debet Pallio indutus.

Quod si duo Pallia habeat, ob translationem ad alium archiepiscopatum, indui debet recentiori Pallio, et aliud capiti ejus supponi. 4° Si Pallium fuerit concessum et non traditum (verbi gratia, quia interim vita fungitur Archiepiscopus) debet comburi, et ejus cineres sacrario immitti. 5° Nequit Archiepiscopus Pallium suum alteri Archiepiscopo commodare. 6° Si Pallium amiserit Archiepiscopus, aliud petere tenetur (quæ omnia firmat Ferraris, loco citato). 7° Qua autem cura et reverentia debeat Pallium asservari, serico involutum, ac in capsula foris et intus ornata, commonet *Cæremoniale Episcoporum*, libro 1, capite 16, n. 7.

QUÆSTIO IX^a^. — *An privilegium Pallii alicui simplici Episcopo concessum, eum subtrahat a jurisdictione Metropolitani sui ?* — Respondendum negative ; quia Pallium non conceditur simplicibus Episcopis, nisi in meram honoris significationem. Vide Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 2, cap. 6 in fine).

§ III.

An et a quo tempore Orientis Patriarchæ Pallium a Romano Pontifice recipere debuerint.

I. *Ad id tenebantur saltem a tempore Concilii Lateranensis IV anni* 1215. — Nam dictum Concilium, sub Innocentio III celebratum, agens de quatuor patriarchalibus sedibus, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena et Hierosolymitana, sic decernit : « Ita quod postquam earum (patriarchalium « sedium) Antistites a Romano Pontifice receperint Pallium, « quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, præstito sibi « fidelitatis et obedientiæ juramento, licenter et ipsi suis suf- « fraganeis Pallium largiantur, recipientes pro se professio- « nem canonicam, et pro Romana Ecclesia sponsionem obe- « dientiæ ab eisdem. » (Labbe, tomo 11, parte 1, col. 153, edit. Parisiis 1671.)

Dicimus *saltem* a tempore Concilii Lateranensis IV. Non

enim arguunt citata verba, tunc primum necessitati recipiendi a Romano Pontifice Pallii subjectos fuisse dictos Patriarchas. An autem antea illi necessitati subjecti fuerint, et a quo tempore, eruditis explorandum relinquo. Non desunt anctores qui asserant, antiquitus sicut penes Romannm Pontificem, ita et penes Orientis Patriarchas stetisse jus deferendi Pallii; ita nempe ut hi adstricti non fuerint ad recipiendum illud insigne a Sede Apostolica : sed id mihi suspectum est donec probetnr.

II. *Cum citato Lateranensi decreto, haud cohærere videntur quæ narrat Benedictus XIV de mota suis temporibus quæstione, an catholicis Orientis Patriarchis dandum esset Pallium.* — Sic nempe habet laudatus Pontifex (*de Synodo diœcesana*, libro 13, cap. 15, n. 18) : « De Orientalibus Patriarchis catholicis alias « disceptatum fuit, an, si Pallium latinum exposcerent, id « eis indulgendnm foret.... Advocatorum consistorialium col- « legio adscripti, a Clemente XI Pontifice jussi fuimus rem « expendere. » Deinde narrat majorem opinantium numerum pro sententia negativa stetisse : at iterum disputata re in congregatione particulari, coram ipsomet Pontifice, prodiisse responsum affirmativum. « Et consequenter (inquit) Pontifex « latinum Pallium Patriarchæ Alexandrino concessit. »

Postea ut hanc sententiam veram probet citat nonnullas Pallii concessiones a sancto Gregorio factas Metropolitis Illyrici; tum et unam Innocentii III Joanni Armenorum Patriarchæ. At de supra citato decreto Concilii Lateranensis IV ne mentionem quidem facit. Fateor non intelligere me, stante illo decreto, quomodo in dubium vocari potuerit, an petenti Alexandrino Patriarchæ concedendum esset Pallium : item quomodo major pars advocatorum consistorialium pro negativa steterit : et præcipue quomodo Benedictus XIV, ad probandum concedi posse Pallium Orientalibus Patriarchis, non provocaverit, præcipue et ante omnia, ad illud Lateranense decretum.

III. Cur autem Patriarchis et Archiepiscopis *titularibus* seu

in partibus infidelium, non detur Pallium, exponit (ibidem n. 17) Benedictus XIV. « Usus enim Pallii, inquit, propriæ « cujusque provinciæ finibus circumscribitur... Hi autem « omnes extra provinciam suam commorantur. »

SECTIO III.

De Episcopis *in partibus* : Episcopis regularibus : Episcopis coadjutoribus : Majoribus Capellanis regiis : et Prælatis jurisdictionem quasi-episcopalem habentibus.

Etsi ejusmodi Prælatorum varietates ad *gradus episcopales* proprie dictos non pertineant, de iis tamen disceptationem hic adnectendam duximus. Et hinc est, quod præsentem tractatus partem non inscripsimus tantum *de episcopalibus gradibus*, sed addidimus, et *de variis Episcoporum speciebus*.

CAPUT I.

DE EPISCOPIS TITULARIBUS, SEU IN PARTIBUS INFIDELIUM.

I. *Quid sint Episcopi titulares, seu in partibus?* — « Omnibus « exploratum est, plerasque olim florentissimas episcopales « sedes, nunc infidelium jugo pressas, habitualem dumtaxat « retinere cathedralitatem. Notissimum pariter est, ne anti« quæ illarum dignitatis memoria penitus obliteretur, solere « Summos Pontifices, nonnullos quandoque Episcopos ad « earumdem titulum creare : qui, etsi veri Episcopi sint, ut « qui in consecratione episcopalem characterem et potesta« tem huic annexam receperunt, sunt tamen potestatis usu, « et jurisdictionis, si quam in ordinatione acceperunt, actu « et exercitio penitus spoliati. » (Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 2, c. 7, n. 1.) Ii porro Episcopi qui ad ejusmodi

antiquarum ecclesiarum titulos promoventur, *titulares* vocari solent, seu *anulares*, seu etiam Episcopi *in partibus* infidelium. (Confer ea quæ tradit Benedictus XIV, circa Episcopos *in partibus*, in sua Bulla *cum a nobis*, tomo 2 ipsius Bullarii, n. 36.)

II. *An novum in Ecclesia sit, et pro abusu habendum, quod in Episcopos nonnulli consecrentur, quibus nulla committatur regenda diœcesis?* — Haud defuere scriptores, qui pro infenso suo in Sedem Apostolicam animo, hanc ei praxim crimini verterunt, novitatem vocitantes atque abusum. Sed prorsus immerito.

1° Perperam objicitur novitas : « Neque absonum aut re« cens institutum est (inquit Benedictus XIV), ut Romanus « Pontifex aliquos ad episcopatum promoveat, quin ullius « specialis ecclesiæ actualem administrationem illis tradat. « Atque ut cætera prætereamus hujus rei vetustissima « exempla, congesta a Thomassino (*de Veteri et nova disciplina*, « parte 1, l. 1, c. 17), existimat Epiphanius (hæresi 27, n. 6) « cui alii plures adstipulantur (apud Coustant, *Epistolæ Roma« norum Pontificum*, tom. 1, pag. 3 et 6) Linum et Clementem « ita ab Apostolo Petro fuisse Episcopos ordinatos, ut nulli « tunc ecclesiæ fuerint alligati; sed unice ut Petro prout « opus esset in Ecclesiæ regimine adessent. Eodem fere « modo, in fine secundi sæculi, Caium ex romano presbytero « in Episcopum ordinatum, et nullius ecclesiæ curam illi « commissam, asserit Franciscus Blanchinus (tomo 2 *Anasta« sii*, in notis ad vitam S. Eleutherii, pag. 142); ubi contra « Pagium defendit, sæpius a Romanis Pontificibus ordinari « consuevisse ejusmodi Episcopos, quos vocant *Episcopos « gentium*, eo quod, data opportunitate, ad gentes mitteren« tur. » (*De Syn. diœc.*, l. 2, c. 7, n. 1.)

Iterum de eadem re agens Benedictus XIV in eodem opere (l. 13, c. 8, n. 12) sic habet : « Non desunt in ecclesiasticis « historiis aliquorum, qui consecrati Episcopi sunt honoris « causa, et ut magnis eorum meritis præmium aliquod repen-

« deretur, nullo peculiari ecclesiæ titulo ipsis tributo; sicuti « egregie advertit Christianus Lupus (in comment. ad can. 6 « Concilii Chalcedon.); et aperte habemus ex Sozomeno (*in* « *Hist. eccl.*, l. 6, c. 24) : *Adde his Barsen et Eulogium, qui* « *ambo creabantur Episcopi, non urbis alicujus, sed honoris cau-* « *sa, qui veluti vitæ pie anteactæ compensatio illis in propriis* « *monasteriis deferebatur*. Et ex Nicephoro Callisto (lib. 11, « c. 40), ubi sic legitur: *Exstitere præterea Barses et Eulogius,* « *qui ambo post longum monastici exercitii certamen Episcopi* « *sunt facti; non in urbe aliqua, sed honoris gratia in monaste-* « *riis suis episcopalem consecuti sunt consecrationem*.

« Hæc hodie immutata est disciplina; neque ullus conse- « cratur Episcopus, nisi ut certæ præficiatur ecclesiæ, vel « actualiter ab ipso regendæ, si pateat ad eam accessus, vel « saltem habitualiter, si ad eam sub infidelium jugo gemen- « tem accedere prohibeatur : cujus generis ii sunt episcopa- « tus, qui *in partibus* dicuntur. »

2° Non abusive, sed justissimis de causis praxis hæc perseverat. Una ex istis causis est ne penitus antiquarum ecclesiarum memoria obliteretur. Sed præter istam « aliæ justissi- « mæ causæ (ait Benedictus XIV) urgent Romanos Pontifices « ut ad nudum prædictarum cathedralium titulum aliquos « promoveant Episcopos; quarum præcipua est, ut sibi as- « sistant in Apostolico obeundo ministerio, atque eorumdem « opera in iis utantur, quæ nonnisi Episcopis decet commit- « tere; vel ut tanquam suffraganei (1) pastoralia expleant « munia in aliqua diœcesi, propter cujus amplitudinem pro- « prius diœcesis Episcopus alieno ministerio indigere videa- « tur. » (*De Syn. diœc.*, l. 7, c. 7, n. 1.) Episcopi *in partibus*

(1) Per *suffraganeum* ibi intelligas idem ac Episcopi *coadjutorem*. Nam aliqui auctores promiscue utrumque vocabulum usurpant. Proprie tamen *suffraganeus* (in sensu *coadjutoris*) non dicitur nisi de illo qui Episcopum *Cardinalem* coadjuvat. Si Episcopus non sit Cardinalis, qui eum coadjuvat, *coadjutor* vocandus est. De quo infra plenius dicitur.

creari etiam solent Nuntii, S. Congregationum secretarii, et Majores Capellani regum.

III. *Recensentur juris dispositiones, quæ titulares Episcopos respiciunt.* — 1° Ex eo quod quis ad episcopatum *in partibus* promoveatur, non vacat beneficium quod antea obtinebat. Verbi gratia, si canonicus erat ante promotionem, post promotionem canonicatum adhuc retinet (vide apud Ferraris, v. *Episcopus*, art. 7, n. 37).

2° « Episcopus titularis, canonicatum obtinens in ecclesia « cathedrali, potest et debet in ea uti habitu ordinario, quo « utuntur Episcopi in Romana Curia, id est, rochetto supra « subtanam, et mantelletto violacei coloris. S. Congregatio « Rituum, in *Compostellana* 11 junii 1617. » (Ferraris, v. *Episcopus*, art. 7, n. 33.)

3° « Debet præcedere omnibus aliis canonicis et dignitati« bus, tam quoad stallum, quam quoad functiones cantandi « missas, et omnia alia. S. Congregatio Rituum, in *Ragusina* « 22 junii 1592; in dicta *Compostellana* 11 junii 1617; et in « *Calaguritana*, 13 novembris 1621. » (Ferraris, ibid., n. 34.)

4° Episcopum titularem esse de jure vocandum ad Concilia generalia asserit Ferraris (ibidem, n. 38; et verbo *Concilium*, art. 1, n. 29); at nullis adductis auctoritatibus. Vide quod diximus supra, parte 1, sect. 1, cap. 8, § 2, n. 2.

5° « Episcopus titularis, qui est canonicus, subest visita« tioni Ordinarii ad instar aliorum canonicorum, et tenetur « ad observantiam legis diœcesanæ; aliter subjicitur pœnæ « (etiam excommunicationis) in ea contentæ. » (Ferraris, ibid., n. 35.) Idem vide apud Cardinalem Petra (tom. 1, ad Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 94).

6° Quoad Episcopum titularem et simul canonicum, in causa *Asculana*, 20 martii 1720, resoluta sunt sequentia : *primo*, post delatam per subdiaconum assistentem Episcopo locali pacem, non debet per eumdem subdiaconum deferri Episcopo titulari, antequam canonici assistentes in throno illam recipiant ab Episcopo locali. *Secundo*, in missis et vesperis canta-

tis cum assistentia Episcopi localis, tenetur Episcopus titularis discedere a stallo, una cum aliis canonicis, ad faciendos consuetos circulos in cœremoniali Episcoporum præscriptos. *Tertio*, pontificalia exercente locali Episcopo, et assistente capitulo in paramentis sacris, potest Episcopus titularis deferre pluviale. *Quarto*, et tunc cum pluviali deferre etiam potest mitram; lineam dumtaxat et de consensu localis Episcopi : et mitram in hoc casu ipse sibi imponit et amovet titularis Episcopus. *Quinto*, pro cantanda missa de turno ad quam teneretur Episcopus titularis tanquam canonicus, expedit ut aliquem sibi ordinarie subroget : eam autem absque licentia Episcopi localis cantare nequit utendo faldistorio et indumentis pontificalibus (vide apud Ferraris, v. *Episcopus*, art. 7, n. 41).

7° « Episcopis titularibus præcedunt Episcopi locales, etiamsi « posteriores sint consecratione. » (Ferraris, ibid., n. 43.) Unde si titulares ejusmodi Episcopi intersint provinciali Concilio, sedere debent post omnes Episcopos locorum ordinarios. Et idem servandum in Concilio œcumenico.

8° Episcopi titulares non possunt ordines sacros alicui familiari suo conferre commensalitatis titulo. Et generaliter titularis Episcopus aliquem ordinans absque proprii ipsius Episcopi consensu et dimissoriis, suspensionem ab usu pontificalium per annum incurrit ; et sic ordinatus suspensus manet quandiu proprio ipsius Episcopo videbitur. Ita sancivit Tridentina Synodus (sess. 14, c. 2).

9° « Episcopus titularis jurisdictionem exercere potest in « subditos ecclesiæ sibi assignatæ, si ad christianam religio« nem convertantur. » Ita apud Ferraris, verbo *Episcopus*, art. 7, n. 94 ; et fundatur Constitutione 36 Benedicti XIV, incipiente *cum a nobis*. Sed difficultatem facere videtur, quod ejusmodi regiones apud infideles sitæ, Vicariorum Apostolicorum jurisdictioni subjaceant. Forsan intelligendus Benedictus XIV de solo casu, quo regio intra nullius Vicariatus Apostolici fines comprehenderetur.

10° Circa obligationem Episcoporum titularium faciendi visitationem ad limina, sic habet Benedictus XIV *(de Syn. diœc.*, l. 2, c. 7, n. 2, editionis in libros 13 divisæ) :

« Jam vero cum Episcopi titulares actuali careant administratione ecclesiarum, ad quarum titulum sunt promoti et « consecrati, non obstringuntur lege lata a Sixto V, de sacris « Apostolorum liminibus visitandis, exhibendaque relatione « status suarum ecclesiarum, prout anno 1594 declaratum « fuit a Clemente VIII, et constat ex libro 8 *Decretorum*, pa- « gina 100. »

Sed laudatus Pontifex hac in re sibi haud constans fuit. Nam in eodem opere (l. 13, cap. 6, n. 5) contrariam opinionem amplectitur : « Complures sunt, inquit, Episcopi titulares, « de quibus libro 2 capite 7 a nobis est actum, qui scilicet « ordinati sunt Episcopi alicujus ecclesiæ in iis regionibus « constitutæ quæ ab infidelibus occupantur. Andreuccius (in « tractatu *de Episcopo titulari*, parte 4, § 1, n. 209) negat « hujusmodi Episcopos sixtina lege teneri ; utpote qui eccle- « siarum suarum statum plane ignorantes, illius relationem « facere nullomodo possunt. Verum Fagnanus (in citato ca- « pite *ego*, n. 82 *de jurejurando*) recte animadvertit quod, « cum in visitatione sacrorum liminum, præter venerationem « erga sanctorum Apostolorum cineres, debitæ Romano Pon- « tifici submissionis et obedientiæ actus contineatur, cumque « etiam Episcopus titularis, licet absens, et impeditus quominus ad suam ecclesiam accedat, de hujus tamen statu ali- « qua identidem cognoscere possit quæ Pontifici referenda « sint, et quorum occasione aliquid in ejusdem ecclesiæ uti- « litatem proponendum occurrat ; hic *affirmandum videtur*, « Episcopos quoque titulares ad Sixtinæ Bullæ observantiam « teneri : cui sententiæ adhæret etiam Thomassinus, *de Veteri « et nova disciplina*, parte 2, lib. 3, cap. 42, n. 12 et 13. »

Cum pro sententia negativa, quod nempe ad dictam visitationem non teneantur Episcopi titulares, stet S. Congregationis Concilii et Clementis VIII auctoritas, huic potius adhærendum

est. Unde tuti omnino in conscientia mihi videntur Episcopi titulares qui visitationem sacrorum liminum omittunt, etsi laudabiles sint si eam faciant.

CAPUT II.

DE EPISCOPO REGULARI.

De regularibus qui ad episcopatum assumuntur diximus in tractatu *de Jure Regularium*, tom. 2, pagina 65 et sequentibus. Hinc per simplicis duntaxat enuntiationis formam jus ipsos respiciens hic summatim describemus.

1. Certum est posse regulares ad episcopatum assumi; neque eorum promotioni obstare religiosum quem professi sunt statum (citato meo tractatu *de Jure regularium*, tomo 2, p. 65 et 66). Item possunt ad Cardinalatum et Summum Pontificatum evehi.

2. Ut religiosus ad episcopatum evehatur, requiritur ipsius superioris licentia; quam tamen is dare potest absque consensu capituli (ibid., pag. 67).

3. Factus Episcopus non desinit esse religiosus (ibidem).

4. Remanet obstrictus triplici substantiali voto: imo et aliis votis essentialibus, si quæ cum triplici dicto ex proprii instituti præscriptione emittantur; prout in ordine Minimorum votum abstinentiæ quadragesimalis per totum annum (ibid., pag. 68).

5. Religiosus post suam ad episcopatum promotionem, non tenetur prælato religionis suæ obedire, sed tantum Summo Pontifici. Ad parendum autem præcipienti Summo Pontifici tenetur, non tantum quatenus Episcopus, sed etiam quatenus religiosus superiori suo, ex vi voti obedientiæ (ibid., p. 68).

6. Remanet incapax acquirendi sibi ullius dominii, ob solemne paupertatis votum quod permanet in robore suo. Post promotionem autem ad episcopatum, jam non acquirit monasterio, sed ecclesiæ suæ. Et quoad usum rerum tempora-

lium, multo latiorem illum habet quam ante : ipsi nempe concessus censetur dictus usus, juxta episcopalis status exigentiam ac convenientiam.

7. A die confirmationis suæ in Episcopum, seu promotionis in Consistorio, solutus remanet ab obligatione et observantiis suæ regulæ (Ferraris, v. *Episcopus*, art. 7, n. 1).

8. Tenetur religionis suæ habitum retinere quoad colorem, non quoad formam. Excipiuntur canonici regulares sancti Augustini, qui indui possunt sicut Episcopi sæculares (Ferraris, citato articulo).

9. Si episcopatum, concedente Papa, dimiserit, aut ab eo dejectus fuerit, tenetur ad claustra redire, nisi facultatem extra claustra degendi a Sede Apostolica obtineat (vide meum tractatum *de Jure regularium*, tomo 2, pag. 70).

10. Postquam, dimisso episcopatu, ad suam religionem rediit, ejusdem religionis officia et dignitates obtinere nequit (Ferraris, v. *Episcopus*, art. 7, n. 20).

11. Quoad expositam doctrinam de Episcopis regularibus videri etiam potest sanctus Ligorius (l. 4, n. 2 et 3).

CAPUT III.

DE EPISCOPORUM COADJUTORIBUS, QUI ET SUFFRAGANEI QUANDOQUE VOCANTUR.

Qui Episcopis in coadjutores dantur, episcopalem consecrationem recipere solent. Hinc ad præsentem tractatum pertinet de ejusmodi coadjutoribus disceptatio. Dicemus 1°, quid sint et quænam variæ eorum species : 2°, quomodo legitime constituantur : 3°, quid tenendum circa eorum officium, potestatem et prærogativas.

§ I.

Quid sint Episcoporum coadjutores, et quænam variæ eorum species.

I. Coadjutor Episcopi ille est, qui a potestate legitima constituitur cum officio et facultate adjuvandi Episcopum in ipsius episcopatus administratione et regimine.

II. Alii sunt coadjutores in temporalibus dumtaxat : alii vero universaliter, id est, in spiritualibus et temporalibus. Nimirum contingere potest ut Episcopus coadjutore non egeat in spiritualibus; indigeat autem in administrandis ecclesiæ suæ bonis temporalibus, « quia, verbi gratia, Episcopus... est dilapidator. » (Ferraris, verbo *coadjutor*, n. 21.) Illos coadjutores pro solis temporalibus datos, necesse non est episcopali charactere insigniri. Sufficit eos esse fideles, probos et circumspectos viros. Et de his coadjutoribus, ad solam temporalium administrationem datis, hic non agimus. Coadjutores *in spiritualibus*, episcopali charactere insigniuntur, ut valeant exercere pontificalia. Etenim ad solam exercendam jurisdictionem sufficienter Episcopos juvare possent vicarii generales, nec ad id necesse foret illis dari coadjutores.

III. *Coadjutoris* et *suffraganei* vocabula sæpe ab auctoribus promiscue usurpantur. In strictiori tamen quodam sensu intercedit coadjutores inter et suffraganeos verum discrimen. Nam *suffraganei* proprie illi dicuntur qui ad coadjuvandum Episcopum Cardinalem deputantur : si vero Episcopus coadjutus non sit Cardinalis, ejus coadjutor, non suffraganei, sed *coadjutoris* nomine appellandus est. Ex consuetudine tamen quarumdam sedium, suffraganei nomen assumit coadjutor, quamvis harum sedium Episcopi non sint Cardinales. Ad officium autem quod attinet non datur discrimen coadjutores inter et suffraganeos. « Coadjutor, inquit Ferraris, fere coincidit cum suffraganeo, qui solet deputari pro ecclesiis Cardinalium, et pro aliis quæ consueverunt suffraganeum ha-

« bere. » (V. *coadjutor*, n. 23.) Hinc *suffraganei* denominatio in jure adhibetur duplici valde diverso sensu : 1° Nempe ad designandum alicujus Cardinalis coadjutorem, juxta modo dicta : 2° ad designandos cæteros, præter Metropolitanum, alicujus provinciæ Episcopos : hi nempe, relative ad Metropolitam suffraganei vocantur (vide Benedictum XIV, *de Synodo diœces.*, l. XIII, c. 14, n. 4 et seq.).

IV. Differt coadjutor ab *administratore Apostolico*. Nam hic « a Sede Apostolica dari solet Episcopis a suo episcopatu « legitime absentibus, vel personis principibus auctoritate « Apostolica cum dispensatione promotis ad episcopatum « ante legitimam ætatem. » (Ferraris, V. *coadjutor*, n. 22.) Atvero quando Episcopus adjuvaudus in sua diœcesi residet, sed ob senium vel adversam valetudinem explendo muneri suo impar est, non administrator Apostolicus, sed coadjutor illi datur. Hinc est quod in Gallia, obstante Restaurationis gubernio ne Cardinalis Fech, Napoleonis I avunculus, intra regni fines resideret, ei datus est *administrator Apostolicus*. E contra Episcopo Carnutensi Clausel de Montals, qui cœcus evaserat, quia in diœcesi sua remanebat, datus est *coadjutor*.

V. Præcipue autem attendenda est coadjutorum distinctio, in coadjutores *cum futura successione*, et coadjutores *sine futura successione*. Priores, qui etiam *perpetui* a canonistis vocari solent, mortuo coadjuto, statim evadunt proprii diœceseon Episcopi : ad eos nempe ordinaria episcopalis jurisdictio devolvitur. Posteriorum e contra potestas tota expirat, statim ac coadjuti diem supremum clauserunt. Et hi *temporalium* coadjutorum nomine a canonistis sæpe designantur.

VI. Coadjutoria, etiam cum futura successione, non est beneficium, sed simplex officium, ad instar vicariatus generalis. Id fuse probat Leurenius (tractatu *de Coadjutoriis*, quæstione 316). An autem Episcopus coadjutor vi solius coadjutoriæ habeat *prælaturam* et *dignitatem*, disputant canonistæ. Dicimus *vi solius coadjutoriæ* : nam cæteroquin certum est eum esse Prælatum et dignitatem, ratione characteris episco-

palis et etiam ratione sedis suæ episcopalis, in partibus infidelium consistentis. Non est tamen nec dici potest Prælatus illius ecclesiæ, in qua explendum coadjutoris officium recepit. Illius quippe Ecclesiæ verus Prælatus est Episcopus coadjutus, non autem coadjutor (vide Leurenium, loco cit., q. 317).

§ II.

De norma legitima Episcoporum coadjutores constituendi.

Quæstio I^a. — *Quid de ejusmodi coadjutoriis statuerit Concilium Tridentinum.* — Capite 7, sessionis 25, postquam statuerunt Tridentini Patres permittendum non esse accessum et regressum ad beneficia, ita subjunxere : « In coadjutoriis « quoque cum futura successione idem posthac observetur, « ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis per« mittantur. Quod si quando ecclesiæ cathedralis aut mo« nasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postulet « Prælato dari coadjutorem, is non alias cum futura succes« sione detur, quam hæc causa prius diligenter a Sanctissimo « Romano Pontifice sit cognita, et qualitates omnes in illo « concurrere certum sit, quæ a jure et decretis hujus sanctæ « Synodi in Episcopis et Prælatis requiruntur : alias conces« siones super his factæ, surreptitiæ esse censeantur. »

Quæstio II^a. — *Quis possit constituere coadjutorem Episcopi cum futura successione.* — Respondeo : solus Papa. Nam citatum Tridentinum decretum per modum *generalis* regulæ prohibet coadjutorias omnes cum futura successione : postea vero per modum exceptionis decernit, posse a Papa dari Episcopis coadjutores cum futura successione, certis concurrentibus conditionibus : ex quo aperte sequitur a nemine præterquam a Papa constitui posse coadjutores Episcoporum cum futura successione. Præterea idem sequitur a fortiori ex eo quod nullus præter Romanum Pontificem Episcopis dare possit coadjutores, etiam sine futura successione, prout se-

qnenti quæstione probatur. Cæterum extra controversiam omnem est conclusio hæc apud doctores.

QUÆSTIO III[a]. — *Quis constituere possit coadjutorem Episcopi sine futura successione?* — Respondetur : ex potestate ordinaria, solus Papa. Estque illa etiam conclusio extra omnem controversiam apud doctores (vide apud Ferraris, V. *coadjutor*, n. 7 ; et apud Leurenium, *de Coadjutoriis*, q. 331). Ejus autem probatio repetenda non est a Tridentinis decretis, quippe quæ de solis coadjutoribus cum futura successione statuerunt ; quoad alios autem jus commune antea vigens non mutarunt. Quo prænotato, couclusionem sic probamus: 1° etiamsi jus positivum hac de re omnino sileret, certum nihilominus foret soli Romano Pontifici competere potestatem dandi coadjutores Episcopis. Nam ejusmodi coadjutorum deputatio est proculdubio de *causis majoribus*, utpote a qua plurimum dependet recta vel nociva diœcesis administratio. Porro majores causas Romano Pontifici semper fuisse reservatas, idque ex ipso Romanorum Pontificum divinitus instituto jurisdictionis primatu necessario consequi, fuse probavimus in tractatu de *Concilio provinciali*.

2° Idem autem constat ex jure positivo, ante Tridentinam Synodum vigente, et quod huc usque vigere non desiit. Decrevit nempe Bonifacius VIII (capite unico *de clerico ægrotante* in 6) his verbis : « Declaramus atque statuimus coadjutorum « Episcoporum et superiorum Prælatorum dationem intelli« gendam esse de causis majoribus, et referendam ad Sedem « Apostolicam, ac ab ea, consuetudine non obstante contraria, « tantummodo postulandam. »

Objicies. — Juxta Decretalem Innocentii III quæ incipit *ex parte* (5, *de clerico ægrotante*), Arelatensis Metropolita uni ex suis suffraganeis coadjutorem dedit. Ergo non solus Papa, sed et Metropolitani coadjutores dare possunt.

Respondetur : Arelatensis Episcopus non dedit hunc coadjutorem ex propria potestate, sed ex mandato summi Pontificis ; ut patet ex toto Decretalis textu, præsertimque ex istis

verbis : *Mandamus quatenus illi coadjutorem associes*. Unde illa Decretalis thesim confirmat, nedum possit in contrarium allegari.

Diximus autem, *solus Papa ex potestate ordinaria ;* quia ex potestate a Romano Pontifice *delegata*, alii etiam aliquando possunt Episcopi coadjutorem constituere, prout nunc exponendum venit.

QUÆSTIO IV². — *An et qualenus, in casu difficilis recursus ad Summum Pontificem, ab aliis constitui possit coadjutor Episcopi sine futura successione ?* — Eadem ipsa Decretali *pastoralis (de clerico ægrot.)*, qua declaravit Bonifacius VIII, non posse alia quam Romani Pontificis auctoritate constitui Episcoporum coadjutores, quoad casum difficilis ad Sedem Apostolicam recursus, disposuit in hunc modum : « Verum ne... eccle« siæ, existentes præcipue in remotis, dispendia patiantur..., « hac generali Constitutione sancimus, ut Episcopus senio « aut valetudine corporali gravatus, vel etiam alias adeo im« peditus perpetuo, ut officium suum nequeat exercere, « possit de sui consilio et assensu capituli, vel majoris partis « ipsius, unum vel duos auctoritate Apostolica coadjutores « assumere ad dictum officium exequendum. Si vero Episco« pus demens fuerit, et quid velit aut nolit exprimere « nesciat vel non possit, tunc ejus capitulum vel duæ ipsius « partes eadem auctoritate unum aut duos coadjutores assu« mat idoneos, qui ejus officium exequantur. Si autem Epi« scopus senio aut incurabili morbo gravatus, vel perpetuo « impedimento detentus, ad sui executionem officii reddatur « inutilis, et coadjutorem assumere vel habere noluerit, « licet a capitulo requisitus proprio, se illius non indigere « suffragio forsitan asserendo, tunc nil per capitulum innove« tur, sed hoc casu, et etiam proximo, idem capitulum Epi« scopi et ecclesiæ suæ conditionem et statum, ac facti cir« cumstantias universi, quam cito poterit, fideliter et expli« cite referat ad notitiam dictæ Sedis ; recepturi humiliter « et efficaciter impleturi, quod super hoc per Sedem ipsam

« contigerit ordinari. » Ex qua lege ecclesiastica sic solvenda est proposita quæstio :

1° Data aliis potestas Episcopi coadjutorem constituendi, restringitur ad solum casum, quo diœcesis detrimentum pateretur, si expectandum foret donec Papa certior factus coadjutorem ipse deputaret.

2° In dicto casu, si Episcopus ob aliam quam amentiæ causam diœcesi administrandæ impar factus sit, ad ipsum pertinet sibi unum aut duos coadjutores assumere, dummodo tamen consentiat major pars capituli. Et tunc id potest Episcopus, non propria, sed *Pontificia* auctoritate, quæ ipsi per citatam Decretalem confertur.

3° Si Episcopus in amentiam inciderit, et diœcesi detrimentum immineat nisi coadjutor absque mora deputetur, unum aut duos coadjutores Pontificia auctoritate constituere potest capitulum : at sub his conditionibus : *primo*, quod in id consentiant duæ tertiæ partes capitulorum ; non enim sufficit in hoc casu majoris partis consensus : *secundo*, quod relatio de tota re quam primum ad Sedem Apostolicam expediatur a capitulo.

4° Si Episcopus ob aliam quam amentiæ causam indigeat coadjutore, et requisitus a capitulo, contendat se non indigere, debet capitulum id perferre ad notitiam Summi Pontificis.

QUÆSTIO V^a. — *An possit Papa, in iis Germaniæ diœcesibus, in quibus Episcopi electio ad capitulum pertinet, constituere coadjutorem cum futura successione, absque capituli consensu ?* — Respondeo id Papam non posse, nisi simul deroget dicto juri eligendi, et concordatis per quæ jus illud capitulis præservatum est. Nam mortuo coadjuto, pertinet ad canonicos, vi ejusmodi concordatorum, jus eligendi successorem. Ergo si Papa coadjutorem constitueret cum futura successione, capitulum privaretur jure suo, et infringerentur concordata. Ergo nisi Papa derogare velit dicto juri et dictis concordatis, coadjutorem cum futura successione in iis diœcesibus constituere nequit absque consensu capituli. Atque ita concludit,

inter alios, Leurenius (tractatu *de Coadjutoriis*, quæstione 355). Hinc in dictis diœcesibus, si Papa coadjutorem cum futura successione constitueret, non derogando expresse concordatis et dicto canonicorum juri, mortuo coadjuto, licitum foret capitularibus « procedere ad electionem, non obstante titulo coadjutoriali, tanquam nullo. » (Leurenius, loco cit.)

Equidem Cardinalis de Luca (*de Regularibus*, discursu 53) sustinet generatim non requiri capituli consensum : sed quatenus id applicaretur dictis Germaniæ diœcesibus, eum derelinquit Leurenius (*de Coadjutoriis*, quæstione 363, n. 2). Quæstionem autem, an et quo sensu Papa teneatur concordatis stare, vel possit eis derogare, intactam hic relinquimus. Eam expendimus in tractatu *de Principiis*.

QUÆSTIO VIª. — *Quænam sint causæ ob quas possit aut debeat Episcopo dari coadjutor* ? — I. Si agatur de coadjutore *cum futura successione*, ita disposuit Tridentina Synodus : 1° Constitui non debet talis coadjutor nisi id exposcat ecclesiæ *urgens necessitas aut evidens utilitas*. Non autem adest hæc necessitas aut utilitas, quando sufficienter provideri potest per coadjutorem sine futura successione. Hinc valde rari sunt casus, hodie præsertim, in quibus detur locus coadjutoriæ episcopali cum futura successione. Ejusmodi casus sunt, verbi gratia, si prævideantur orituræ lites ac graves dissensiones post mortem coadjuti, quando agetur de constituendo ejus successore : tunc enim ad præcavenda ista dissidia utiliter quandoque deputabitur coadjutor cum futura successione. Item quando valde utile est ut Episcopus coadjuvandus habeat pro successore aliquem clericum, qui, eo quod sit de stirpe regia, magnamve auctoritatem habeat, melius possit imminentia diœcesi pericula arcere. Is nempe, si nollet temporalem coadjutoriam acceptare, ad obtinendum dictum effectum utiliter constitui posset coadjutor cum futura successione. 2° Disposuit insuper Tridentina Synodus (sess. 25, c. 7), ut non constituantur ejusmodi coadjutores cum futura successione, nisi a Papa *diligenter cognita sit* dicta urgens

necessitas aut evidens utilitas. 3° Voluit præterea ut non constituantur dicti coadjutores cum futura successione, nisi habeant omnes qualitates pro Episcopis requisitas a jure et ab ipsius Tridentinæ Synodi decretis. 4° Hæ conditiones si desint, statuerunt Tridentini Patres pro subreptitia habendam esse deputationem coadjutoris cum futura successione.

Valde attendenda est hæc Tridentini Concilii dispositio. Quamvis enim œcumenicarum Synodorum decreta vim coactivam non habeant erga Summum Pontificem, immo quamvis ad derogandum Tridentinis decretis, necesse non sit ut Papa id exprimat, sed sufficiat decerni ab ipso aliquid hisce decretis contrarium (prout alias diximus), tamen si constituatur a Papa coadjutor cum futura successione, non intervenientibus enumeratis conditionibus a Tridentino requisitis, sequetur magni momenti effectus. Mortuo nempe coadjuto, poterit ab interesse habentibus in quæstionem vocari ac impugnari jus coadjutoris. Papa enim non præsumitur coadjutoriam cum successione concedere voluisse, nisi concurrentibus dictis conditionibus. Si ergo probetur has conditiones revera non adfuisse, merito concludetur Papam ex falsa relatione deceptum fuisse, ac proinde concessionem, utpote subreptitiam, irritam esse, et consequenter coadjutori non competere jus succedendi defuncto Episcopo.

II. Si agatur de coadjutore sine futura successione, causæ ob quas potest ac debet talis coadjutor Episcopo dari, sunt sequentes :

1° *Corporis infirmitas,* qua impar explendo muneri suo efficiatur Episcopus, et quæ simul stabiliter permansura prævideatur. Hinc morbus cujus sanatio cum probabilitate speratur, etsi gravissimus, non est causa sufficiens ad dandum coadjutorem. Pro infirmitatibus autem perpetuis, et ob quas dandus est coadjutor, præter alias, habendæ etiam sunt istæ : paralysis, si tanta sit ut jam recte officio suo fungi nequeat Episcopus : epilepsia : deperditio usus loquelæ : cœcitas : lepra : notabilis mutilatio,

2° *Senium :* quale autem esse debeat ut justam præbeat dandi coadjutoris causam, disputant canonistæ. Et revera id generali regula determinari nequit, cum pendeat a circumstantiis.

3° *Amentia :* etenim ex eo quod Episcopus in amentiam inciderit, non privatur episcopatu, sed ei datur coadjutor.

4° Si Episcopus merito suspectus sit de dilapidatione bonorum ecclesiæ, dandum ei esse coadjutorem docent canonistæ.

5° Etiam ob negligentiam et magnam remissionem Episcopi in explendo munere suo dandum ei esse coadjutorem plures existimant. Vide circa ejusmodi causas, textus juris sub titulo *de clerico ægrotante;* et canonistas ubi dictum titulum commentariis illustrant ; ac præcipue tractatum Leurenii *de Coadjutoriis*, quem reperies ad calcem ipsius *Fori beneficialis.*

Quæstio VII^a. — *Qua forma constitui soleant Episcoporum coadjutores.* — Sacræ Congregationi consistoriali committi solet examen causarum, ob quas dandus petitur aut proponitur coadjutor. Totoque negotio diligenter expenso, ac facta relatione Sanctissimo, coadjutoris deputationem, simulque ejusdem promotionem ad aliquam sedem *in partibus* pronuntiat in Consistorio Summus Pontifex. Et postea expediuntur Litteræ Apostolicæ, in quibus exprimi ac determinari solent facultates coadjutori concessæ.

Quæstio VIII^a. — *An possit aliquis religiosus dari in coadjutorem Episcopo?* — Respondendum affirmative, dummodo consentiat ipsius abbas seu superior regularis (vide Schmalzgrueber, ad titulum *de clerico ægrotante*, n. 24).

Quæstio IX^a. — *Quænam qualitates necessariæ sint ut possit quis dari Episcopo in coadjutorem?* — Distinguendus est finis ob quem datur coadjutor. 1° Quandoque datur in hunc tantum finem, ut succedat coadjuto, non autem ut eum juvet. Id non raro contigit erga filios principum. Etsi enim res salebrosa sit, et facile in abusum labilis, tales tamen dari possunt circumstantiæ, ut generale Ecclesiæ bonum suadeat annuendum hisce principum expostulationibus. « Constat (ait

« Schmalzgrueber, ad titulum *de clerico ægr.*, n. 21) ejus-
« modi coadjutorias cum futura successione in episcopatu,
« a Pontifice principum præcipue filiis sæpe concedi, etiamsi
« nec ætatem, nec litteraturam, nec alias qualitates requisitas
« habeant. » Quoad istos sufficiunt qualitates quas habent; quia in cæteris, quibus carent, Papa dispensat ex plenitudine potestatis suæ, derogando contrariis quibuslibet canonibus.

2° Si detur coadjutor ut Episcopum adjuvet in spirituali diœcesis administratione et regimine, debet habere qualitates ad episcopale officium requisitas. Nimirum necesse est ut annum 30 expleverit, ut sit doctor, in sacris constitutus, etc. Et tunc non censetur Papa coadjutoriam concessisse, deficientibus istis qualitatibus, nisi expresse dispenset. Unde si constaret defuisse qualitates illas, nec dispensasse Pontificem, deputatio pro subreptitia ac irrita haberi posset.

QUÆSTIO X[a]. — *An coadjutor sine futura successione, a Papa dari possit Episcopo invito et contradicenti?* — Respondendum affirmative. 1° Id aperte supponunt caput *ex parte* (5 *de clerico ægr.*) et caput *pastoralis* (ejusdem tituli in *sexto*); prout legenti facile patebit. 2° Idem firmat praxis, quam inter alios testatur Cardinalis de Luca mox citandus. 3° Hanc doctrinam tenent doctores communiter. Sat erit nonnullos adducere :
« Prælatus inhabilis propter morbum perpetuum et incura-
« bilem non potest compelli ad cedendum officio suo, sed
« tantummodo ad recipiendum coadjutorem, qui datur *etiam*
« *invito.* » (Fagnanus, ad caput *ex parte, de clerico ægrotante*, n. 3 et 4.) « Receptum est, quod ubi justa causa accedat,
« possit Papa (atque laudabiliter quandoque agat) Prælato
« quamvis non consentienti, imo invito, dare coadjutorem;
« juxta doctrinam Joannis Andreæ... Et merito : quoniam, si
« juxta veriorem sententiam Papa tanquam in beneficialibus
« ac spiritualibus supremus ac absolutus Dominus, tollere
« potest prælaturas, ac etiam ex justa causa cogere Episcopum
« ut dimittat episcopatum, ex collectis per Barbosam (*de Epi-*
« *scopo*, allegatione 113, n. 9)...; multo magis dare potest

« Prælato coadjutorem, etiam sine ejus consensu. » (Cardinalis de Luca *de Regularibus*, discursu 53, n. 16 et seq.) Consonat doctrina Leurenii (*de Coadjutoriis*, quæstione 363).

QUÆSTIO XIª. — *An possit Papa coadjutorem etiam cum futura successione dare invito Episcopo?* — Respondendum 1°: Est stylus (id est, constans praxis) Sedis Apostolicæ, ut ejusmodi coadjutorem non constituat sine prævio consensu coadjuti. De quo sic Leurenius (tractatu *de Coadjutoriis*, q. 363) : « In coad-« jutoria cum futura successione requiritur ille consensus...; « ita ut alioqui gratia coadjutoriæ sit ipso jure nulla... Necesse « est ut interveniat consensus coadjuti ad hoc ut illi dari « possit coadjutor, qui nunquam datur invito cum futura « successione (ut Rota, decisione 313, n. 27, partis 7 *recen-« tium*). Et in effectu, cum tempore Urbani VIII quidam « voluissent attentare coadjutoriam cum futura successione « pinguioris beneficii in comitatu Venayssino, nunquam voluit « Papa talem coadjutoriam futuramque successionem invito « beneficii possessore concedere. » (Leurenius, loco citato.)

Respondeo 2°: « Potest tamen Papa, ubi justa accedit causa, « quin et solet etiam laudabiliter quandoque, Prælato quam-« vis non consentienti, quin et invito, dare ejusmodi coadju-« torem (Cardinalis de Luca, loco citato). Tractat Cardinalis « de Luca expresse de coadjutore *perpetuo*. » (Leurenius, *de Coadjutoriis*, quæstione 363, n. 2.) Hinc dum auctores passim asserunt, irritam esse concessionem coadjutoriæ cum futura successione, nisi accesserit consensus coadjuti, intelligendi sunt de casu quo Papa contrarium non exprimit. Tunc enim, ob certum supradictum stylum seu praxim, non censetur Papa voluisse coadjutoriam cum futura successione concedere absque coadjuti consensu : unde si revera non adfuerit ille consensus, et Papa non dixerit expresse, velle se ut, nonobstante illa consensus denegatione, vim habeat concessio, pro subreptitia et irrita concessio habenda erit.

§ III.

De officio, potestate et prærogativis coadjutorum Episcopis datorum.

QUÆSTIO Iª. — *Undenam desumenda sit regula ad dignoscendum potestatem, prærogativas et obligationes coadjutorum Episcopis datorum?* — 1° Attendendus est tenor Litterarum Pontificiarum, quibus coadjutor deputatus est; quia in eis multa determinantur. « Potestas et facultas coadjutoris Episcopi et « Prælatorum (ait Leurenius) dependet a forma concessionis « coadjutoriæ, seu a tenore Litterarum, specialibusque præ- « rogativis in illis per Papam concessis... Unde ante omnia « inspiciendus est tenor Litterarum harum.» (*De Coadjutoriis*, q. 397.) « Quod attinet controversias, quæ nonnunquam ori- « untur inter coadjutum et coadjutorem, certum est imprimis « verba et clausulas in Litteris coadjutoriæ adhibitas atten- « dendas esse. » (Tondut. *Quæstiones beneficiales*, parte 2, c. 1, § 13, n. 23.)

2° Quoad cætera, quæ in Pontificiis Litteris non exprimuntur, ac etiam ad solvenda dubia, quibus obnoxius foret earum Litterarum textus, recurrendum est ad dispositiones juris communis circa hanc materiam, necnon ad resolutiones Sacrarum Congregationum, et ad communem doctorum sententiam.

3° Sub sequentibus quæstionibus, ex hoc posteriori fonte jus determinamus; abstrahendo nempe a particularibus dispositionibus, quæ in litteris Pontificiis quoad singulas concessas coadjutorias exprimuntur, et quæ non semper eædem sunt.

QUÆSTIO IIª — *Quænam sit potestas coadjutoris dati Episcopo in amentiam lapso, seu in totum inhabili.* — In hoc casu habet coadjutor totam episcopalem potestatem, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, sive etiam in beneficiorum collationibus. Unde tunc idem potest ac si ipse foret diœcesis Episcopus. Ita doctores unanimiter. « Videndum, inquit Schmalzgrueber, « an datus sit dementi, an vero seni et infirmo sed mentis

« compoti : si primum, generalem et liberam potestatem, « tam in spiritualibus quam in temporalibus habet, ita ut « etiam beneficia in diœcesi vacantia conferre, et resignationes « illorum possit recipere... Neque obstat quod collatio bene- « ficii sit quædam donatio, ac proinde species alienationis, « quæ coadjutori prohibita est : nam *alienationis prohibitæ* « nomine intelligi solum debet quæ est mere voluntaria ; non « autem quæ necessaria ; qualis est collatio beneficii, utpote « quod diu vacare non debet, ne periculum patiantur animæ « et diminutionem cultus divini. » (Ad titulum *de clerico ægrotante,* n. 26, ubi multos citat auctores.)

« Et tunc (ait Ferraris, v. *coadjutor,* n. 28) coadjutor po- « test solus administrare ; quia cum non possit Episcopus « coadjutus præstare rationalem consensum vel dissensum, « coadjutor libere exequitur. »

Veraque remanet solutio, sive cum, sive absque futura successione coadjutor constitutus fuerit.

Nota. — Sub sequentibus quæstionibus, jam non de casu illo coadjutoris dati Episcopo in amentiam lapso agemus, sed de cæteris, in quibus coadjutus supponetur sui compos, nec in totum inhabilis.

QUÆSTIO III^a. — *An coadjutor, invito coadjuto, ea peragere valeat, quæ coadjutus per seipsum potest et vult facere ; aut ea solus expedire, quibus idem coadjutus ex rationabili causa contradicit ?* — Respondendum negative. Id probat Fagnanus (ad caput *ex parte, de clerico ægr.*, n. 17 et seq.) etiam de coadjutore cum futura successione, et etiam quamvis in Bulla coadjutoriæ inserta fuerint verba (quæ revera inseri solent), *cum plena et libera potestate :* « Quæsitum fuit, an perpetuus « coadjutor datus Episcopo cum futura successione, et cum « *libera potestate administrandi,* etc., prout in Bulla coadjuto- « riæ, possit solus administrare quæ sunt jurisdictionis spiri- « tualis seu temporalis, ipso Prælato contradicente. » Postquam affirmative respondit Fagnanus pro casu coadjuti in amentiam lapsi, extra hunc casum ita quæstionem solvit :

« Non potest (coadjutor) solus exequi et expedire ea, quibus « Prælatus rationabiliter contradicit. Probatur *primo*, ex vi « nominis : nam dicitur coadjutor quia coadjuvat; ergo non « solus... *Secundo*, Prælatus cui datus est coadjutor, retinet « in habitu potestatem et jurisdictionem : at frustra retine- « ret, si causa suadente illius usum non haberet... *Tertio*, « quia reverentia, quæ inculpabiliter exhiberi debet Prælato, « cui constitutus est coadjutor (c. *frater*, 7, q. 1), non pati- « tur ut eodem Prælato invito omnia possit expedire coad- « jutor,in quem communicata quoad exercitium,et non trans- « lata est jurisdictio penitus quoad habitum.

« Non obstant verba generalia quæ consueverunt apponi « in Bulla coadjutoriæ, videlicet, *in coadjutorem perpetuum et* « *irrevocabilem... cum plena libera potestate... et futura succes-* « *sione*, quoniam restringuntur ad ea quæ pertinent de jure « vel consuetudine ad coadjutoris officium.

« Demum non obstat quod coadjutor detur etiam invito; « quandoquidem hoc non auget potestatem coadjutoris. »

Doctrinam illam confirmat postea Fagnanus auctoritate Sacræ Congregationis Concilii, in hunc modum : « Ex quibus « inferendum ex Congregatione, ut coadjutor datus Episcopo « ob senium aut ægritudinem de ejus consensu, cum futura « successione, et cum plena, libera et omnimoda facultate « in temporalibus et spiritualibus administrandi ea omnia, « quæ ad officium coadjutoris pertinent, minime possit se « immiscere in exercitio pontificalium, neque jurisdictiona- « lium, quibus defungi potest et vult ipse Episcopus; nec ea « solus expedire quibus ex rationabili causa Episcopus con- « tradicit. » Quod autem concludit Fagnanus de coadjutore cum futura successione, a fortiori concludendum est de coadjutore sine futura successione, ut patet.

Expositam autem doctrinam pro certa habent doctores communiter. Vide apud Ferraris (v. *coadjutor*, n. 29 et 30); Leurenium (*de Coadjutoriis*, quæstione 399); Schmalzgrueber (ad titulum *de clerico ægrotante*, n. 27 et 28).

Nota. — Diximus, coadjutorem non posse per se solum ea peragere, quibus sese opponit coadjutus *ex rationabili causa.* Nam si coadjutus *irrationabiliter* sese opponat, et res sit de iis quæ ex episcopali officio suo peragi debent, eam invito coadjuto facere poterit coadjutor; quia datur ad supplendum in iis, quæ facere deberet Episcopus, et quæ non potest aut non vult facere. Si quis parochus, verbi gratia, ita sese gerat, ut a parochia debeat removeri, et coadjutus (qui, ex hypothesi, ad hanc remotionem faciendam ex officio suo tenetur) ei sese opponat, eam decernere poterit coadjutor. In quibus tamen conflictibus, prudentis coadjutoris erit ad Sedem Apostolicam recurrere; quia tunc S. Congregatio Concilii aut Episcoporum, auditis coadjuti rationibus, si eas minime fundatas reperiat, providebit etiam pro futuro, ne irrationabiles ejusmodi oppositiones a coadjuto interponantur.

Quæstio IVª. — *An coadjutus alteri quam coadjutori delegare possit ea, quæ ipse non vult aut non potest facere, et quæ coadjutor peragere vult?* — Respondendum negative. Atque ita tenent doctores communiter inter quos sic Ferraris (v. *coadjutor,* n. 60) « cum Episcopus habens coadjutorem est impeditus, « non potest functiones alteri quam coadjutori delegare. Sacra « Congregatio Episcoporum, in *Fulginatensi* 28 mai 1628. » Idem tanquam certum tradit Fagnanus (ad caput *ex parte, de clerico ægr.*) : « Ea vero, inquit, quæ, Episcopo impedito, coad- « jutor exercere potest et vult per seipsum, non potest Epi- « scopus alteri delegare. »

Quæstio Vª. — *Quæ gessit in casibus sibi a jure permissis coadjutor, an possint a coadjuto revocari?* — Respondendum negative. De quo sic Fagnanus (ad caput *ex parte, de clerico ægr.*, n. 26) : « Quæ coadjutor in casibus prædictis et aliis sibi a jure et consuetudine permissis gessit et expedivit, Epi- « scopus revocare non potest. » Idem vide apud Leurenium (*de Coadjutoriis,* quæstione 399, sub finem, et 442).

Quæstio VIª. — *An possit Coadjutor conferre beneficia, quæ pertinent ad liberam collationem Episcopi?* — « Respondeo

« 1° in genere facultatem illam conferendi beneficia, reci-
« piendi resignationes, aliaque similia agendi in materia be-
« neficiali, dependere ex tenore litterarum coadjutoriæ et
« potestate in iis specialiter coadjutori concessa.

« Respondeo 2° : quod si ea potestas non exprimatur in « litteris, neque quicquam ei contrarium, attendendæ et dis- « tinguendæ sunt causæ dationis coadjutoriæ... Sic itaque « *primo,* si datus Episcopo coadjutor ob dementiam vel men- « tis debilitatem (intellige tantam ut ipse ea præstare non « possit), poterit coadjutor conferre beneficia, resignationes « recipere, permutantibus auctoritatem præstare, confirmare « electos, instituere præsentatos, beneficia erigere, unire, « dismembrare, aliaque omnia facere in hac materia, quæ « potest Episcopus sanæ mentis... Sic *secundo,* si datus coad- « jutor ob temporalia, sive quia Episcopus male administrat « temporalia, sicut nihil habet tunc coadjutor administratio- « nis circa cætera spiritualia, ita etiam nihil in materia bene- « ficiali... Sic *tertio,* si datus illi est quoad temporalia et spi- « ritualia..., ob senium, infirmitatem..., non potest sibi jus « aut facultatem collationis, aliaque in materia beneficiali « præstandi arrogare; sed debet illam prærogativam, tan- « quam specialiter juris auctoritate competentem et reser- « vatam, relinquere principali....

« Sed neque in hoc casu Episcopus tenetur beneficia cum « consilio aut auxilio coadjutoris conferre...

« Contrarium foret, si Episcopus non posset conferre sine « consilio et consensu coadjutoris (1).

« In hoc casu coadjutor cum consensu Episcopi conferre « posset. Quin et subsistunt collationes ab eo factæ cum ta- « cita Episcopi permissione. » (Leurenius, *de Coadjutoriis,* quæstione 410.)

Non miretur lector, coadjutorem datum infirmo Episcopo ad exercendam episcopalem *jurisdictionem* in spiritualibus et

(1) Nempe, si ita exprimeretur in Litteris coadjutoriæ; aut si datus esset coadjutor ob dilapidationem, malamve administrationem.

temporalibus, nihilominus non posse conferre beneficia. Sequitur ex illo principio, a doctoribus communiter admisso, potestatem beneficia conferendi, non pertinere ad ordinariam jurisdictionem Episcopi ; sed esse facultatem extra-jurisdictionalem, a lege ecclesiastica Episcopo concessam. Nimirum, quoties non constat ad alium pertinere jus conferendi aliquod beneficium, hujus beneficii collationem ad Episcopum spectare lex ecclesiastica voluit.

Cæterum in praxi non occurrere solet difficultas quoad illam coadjutorum potestatem circa beneficialia ; quia in ipsismet coadjutoriæ Bullis plerumque distincte exprimitur.

QUÆSTIO VIIª. — *An possit coadjutor bona ecclesiastica alienare ?* — Respondetur negative. Id enim expresse ipsi interdicitur Decretali *pastoralis* Bonifacii VIII (unica *de clerico ægrotante*, in *sexto*), his verbis : « Ab alienatione qualibet de « bonis ecclesiasticis Prælatorum ipsorum vel ecclesiarum « suarum quomodolibet facienda penitus abstinentes. » Ab ea tamen generali prohibitione excipienda est (in casibus sub præcedenti quæstione determinatis) collatio beneficiorum, licet sit species quædam alienationis.

QUÆSTIO VIIIª. — *An coadjutor habere possit tribunal separatum a tribunali coadjuti, seu justitiam reddere proprio nomine ?* — Respondetur negative : licet enim habeat ordinariam Episcopi jurisdictionem, illam non habet quatenus exercendam proprio nomine, sed nomine coadjuti. Unde quoad id est ad instar vicarii generalis. Vide apud Ferraris (V. *coadjutor*, n. 62), et Leurenium (*de Coadjutoriis*, quæstione 411).

QUÆSTIO IXª. — *An delinquens coadjutor puniri possit a coadjuto ?* — Respondetur negative : « Episcopus non potest coadjutorem punire, licet sit etiam canonicus, et sic nec ratione « beneficii. Sacra Congregatio Concilii, in *Posnaniensi*, 18 februarii 1623. » (Ferraris, V. *coadjutor*, n. 60.) Sequitur ex eo quod coadjutor consecrationem episcopalem et titulum *in partibus* habeat ; sicque veniat sub nomine Episcoporum ; et Tridentina Synodus Episcoporum criminales causas reserva-

verit, majores quidem Summo Pontifici, minores soli Concilio provinciali.

Quæstio Xª. — *An coadjutor teneatur visitare sacra limina?* — « Coadjutor Episcopi non tenetur visitare limina Aposto-« lorum, sed coadjutus. » (Ferraris, V. *coadjutor*, n. 56, ex decisione S. Congregationis Rituum 4 augusti 1609.) Potest tamen illam visitationem coadjutus facere per coadjutorem ; et sufficit ut fiat ab alterutro : ita decisum vide apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 13, c. 6, n. 5.)

Quæstio XIª. — *An coadjutor residere teneatur?* — Residere tenetur tum coadjutor, tum coadjutus. Vide apud Ferraris (V. *Coadjutor*, n. 57 et 63), et Leurenium (*de Coadjutoriis*, quæstione 435).

Quæstio XIIª. — *An possit coadjutor abesse sine licentia coadjuti?* — « Neque discedere potest absque consensu coadjuti, « vel licentia S. Congregationis. » (Ferraris, V. *coadjutor*, n. 57.)

Quæstio XIIIª. — *An coadjutor, requisitus a coadjuto, functiones obire teneatur?* — « Tenetur, quoties fuerit requisitus, « pontificalia et alias functiones obire, quamvis coadjutor « propria impedimenta non probet. S. Congregatio Episco-« porum, in *Fulginatensi*, 28 maii 1628. » (Ferraris, V. *coadjutor*, n. 57.)

Quæstio XIVª. — *An coadjutor, requisitus a coadjuto, teneatur eum comitari in diœcesis visitatione?* — Tenetur, expensis tamen coadjuti. Vide Leurenium (*de Coadjutoriis*, q. 382), et apud Ferraris (V. *coadjutor*, n. 59).

Quæstio XVª. — *An coadjutor diœcesim visitans ex commissione coadjuti, recusare possit assistentiam vicarii generalis, cum facultatibus illi vicario tributis a coadjuto?* — Negative respondet Ferraris (V. *coadjutor*, n. 59) ex quadam decisione S. Congregationis Episcoporum. Mihi tamen id videtur difficile cohærere cum principio ab omnibus recepto, quod nequeat coadjutus, ea quæ ipse non vult aut non potest peragere, alteri quam coadjutori committere, si coadjutor illa per seipsum explere velit.

QUÆSTIO XVI[a]. — *An coadjutus teneatur convenientem in suo palatio habitutionem, et omnia ad functiones episcopales necessaria coadjutori præstare?* — Affirmative. Vide apud Ferraris (V. *coadjutor*, n. 61).

QUÆSTIO XVII[a]. — *An coadjutor dispensare valeat in interstitiis?* —Negative, nisi habeat speciale mandatum a coadjuto (Ferraris, ibid, n. 78).

QUÆSTIO XVIII[a]. — *An coadjutor votum habeat quoad approbandos ad ordines?* — Negative, nisi sit ex numero examinatorum (Ferraris, V. *coadjutor*, n. 78).

QUÆSTIO XIX[a]. — *An et quibus teneatur coadjutor administrationis suæ rationem reddere?* — Decrevit Bonifacius VIII (c. *pastoralis, de clerico ægr.*, in 6) hisce verbis : « Rationem « non solum in districto examine, sed et Prælatis eisdem (si « sanæ mentis exstiterint) ac capitulis eorumdem, seu etiam « ipsorum Prælatorum successoribus (si hoc antea non fece- « rint) plenariam reddituri. » Ex illius legis tenore sic solvenda est proposita quæstio : 1° Tenetur coadjutor rationem reddere coadjuto, excepto casu quo in amentiam coadjutus incidisset. Atque id intelligendum est, sive cum, sive absque futura successione constitutus fuerit; quia neque lex distinguit, neque est ratio cur distinguatur. 2° Mortuo coadjuto, tenetur coadjutor, absque futura successione constitutus, rationem reddere capitulo; quod si novus Episcopus successerit, ante redditam capitulo rationem, huic novo Episcopo rationem reddere tenetur coadjutor. 3° Mortuo coadjuto, si coadjutor datus fuerit cum futura successione, nulli rationem administrationis reddere tenetur. Cum enim jurisdictio tunc non devolvatur ad capitulum, non tenetur ei rationem reddere. Item non tenetur rationem reddere successori, quia ipse est successor (vide Leurenium, *de Coadjutoriis*, q. 306).

QUÆSTIO XX[a]. — *De congrua portione coadjutori debitæ ex proventibus episcopalis beneficii; et quid in casu quo proventus ad simul sustentandum coadjutum et coadjutorem non sufficiant?* — Si redditus ad utrumque sustentandum sufficientes sint, de-

beri congruam portionem coadjutori, extra controversiam est apud doctores. Vide textus juris apud Ferraris (v. *coadjutor*, n. 31). Sin vero non sufficiant, quis sit præferendus controvertitur (vide loco citato). In praxi Summus Pontifex, antequam coadjutorem det, totum illud negotium componit: assignat nempe congruam, et unde sit desumenda determinat. Quando coadjutor constituitur, sive ab Episcopo, sive a capitulo (prout supra vidimus in quodam raro casu fieri posse), difficultates circa congruam pariter compouit Summus Pontifex, sive confirmando quod peractum est, sive illud alio modo statuendo.

QUÆSTIO XXI[a]. — *An coadjutor possit largiri indulgentias?* — Negative. Et si quas coadjutus concedere voluerit, ipsius nomine publicandæ sunt (Ferraris, v. *coadjutor*, n. 52).

QUÆSTIO XXII[a]. — *Quænam sint prærogativæ coadjutoris quoad præcedentiam et honorifica?* — 1° Ipsi non licet civitatem ingredi pontificaliter. Ita decisum a S. Congregatione Rituum vide apud Ferraris (verbo *coadjutor*, n. 43).

2° Non licet coadjutori Archiepiscopi uti cruce in divinis, nec in functionibus pontificalibus, neque dum incedit per urbem (apud Ferraris, ibid., n. 44).

3° Coadjutor in accessu ad ecclesiam cathedralem, et in recessu ab ea, deferre potest cappam pontificalem, quin tamen caudam cappæ sibi per alium deferre faciat; debet quippe ipsemet eam deferre sub brachio sinistro involutam (S. Congregatio Rituum, 6 septembris 1698, apud Gardellini, n. 3341, ad 2 et 3, *in Veliterna;* et 12 aug. 1722, Gardel., n. 3802, *in Sarsinaten.*).

4° Non potest uti mozetta super rochettum, nisi de Ordinarii licentia, sed manteletto (S. Congregatio Rituum, 23 sept. 1848, Gardel. 4979, ad 2, *in Liburnen.*).

5° Decet ut dignitates et canonici Episcopo suffraganeo ad ecclesiam venturo obviam procedant usque ad cubiculum (S. Congregatio Rituum, 22 aug. 1722, Gardel. 3802, ad 9, *in Sarsinaten.*). Non tamen ad id tenentur; sed satis est si

aliqui canonici ei obviam procedant usque ad portam ecclesiæ, et dignior ei aspersorium porrigat, eumque usque ad altare, vel locum ad celebrandum, seu alias functiones exercendas destinatum, associent (S. Congregatio Rituum, 1 sept. 1607, Gardel. 207, *in Bracharen.*).

6° Functiones si exerceat episcopales non apponendum est septimum candelabrum; non debet sedere in sede episcopali, sed in faldistorio; nec ei assistunt duo canonici ultra diaconum, subdiaconum, et presbyterum pluviali paratum ad librum (*Cæremoniale Episcoporum*, l. 1, c. 8, n. 2 et 4; Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 163, *in Cæsaraugustana*, 9 maii 1606; ibidem, n. 207, *in Bracharensi*, 1 septembris 1607; ibidem, n. 3802, *in Sarsinatensi*, 22 augusti 1722).

7° In dictis functionibus ipsi debetur assistentia canonicorum : in reliquis autem, velut in ordinationibus clericorum, in consecrationibus et reconciliationibus altarium et ecclesiarum, seu cœmeteriorum, et in similibus, dignitates et canonici ei assistere tenentur, nisi sint legitime impediti. Canonici assistunt in habitu canonicali, præter aliquos qui, ex necessitate officii, debent accipere paramenta (S. Congregatio Rituum, 20 martii 1604, Gardel., 92, *in Bracharen.*; 1 sept. 1607, Gardel., 207, *in Bracharen.*; 22 aug. 1722, Gardel., 3802, *in Sarsinaten.*).

8° Missæ solemni assistens, si cappa sit indutus, potest confessionem facere cum celebrante et in fine benedicere (Ferraris, v. *coadjutor*, n. 48 et 46). Sedet autem in primo stallo chori, nec debent canonici facere circulos (Sacra Congregatio Rituum, 22 aug. 1722. Gardel. 3802, ad 4, *in Sarsinaten*).

9° Coadjutor non debet uti pastorali baculo, nisi in ordinationibus vel aliis functionibus in quibus, juxta regulas libri pontificalis, eo uti necesse est (Sacra Congregatio Rituum, 1 sept. 1607. Gardel. 207, *in Bracharen.*).

10° Indulgentiam quadraginta dierum concedere non potest sine speciali facultate Apostolica (Sacra Congregatio Rituum, 22 aug. 1722. Gardel. 3802, ad 3, *in Sarsinaten.*)

11° Non celebratur anniversarium consecrationis coadjutoris cum missa cantata per capitulum et clerum, nec memoratur ejus nomen in canone per sacerdotes celebrantes (ibid., ad 5).

12° Coadjutori non licet perficere benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, ac fontis baptismalis in sabbato sancto, quin missam deinde celebret (Sacra Congregatio Rituum, 23 sept. 1848. Gardel. 4979, ad 8, *in Liburnen.).*

13° Ipsi non licet pastorales epistolas ad clerum et populum diœcesis dirigere (ibid., ad 1).

14° Potest, de licentia Ordinarii, benedicere populo, dum per civitatem incedit (apud Ferraris, verbo *coadjutor*, n. 50).

15° Non potest per civitatem uti mantello oblongo coloris violacei cum signis rubeis super vestem nigram interiorem, vulgo *Zimarra;* neque per eamdem civitatem sibi deferri facere et elevare umbellam sericam viridis coloris (Sacra Congregatio Rituum, 6 sept. 1698. Gardel. 3341, ad 6 et 7, *in Veliterna*).

Quæstio XXIII^a.— *Quomodo expiret potestas coadjutoris?* — 1° Si datus sit absque futura successione, potestas ejus expirat per mortem, depositionem ac resignationem coadjuti. 2° Si cum futura successione, expirat pariter in dictis casibus potestas ejus *quatenus coadjutorialis;* sed desinens esse coadjutor, evadit proprius diœcesis Episcopus; quia per verba *ex nunc prout ex tunc* quæ in talis coadjutoriæ Bulla inseruntur, statim ac vacat sedes, ei confertur episcopatus a Sede Apostolica (vide Schmalzgrueber, ad titulum *de clerico ægrotante*, n. 34 et 35).

CAPUT IV.

DE MAJORIBUS REGIIS CAPELLANIS, QUI ET MAGNI ELEEMOSYNARII NUNCUPANTUR.

1° Synopsim historicam de ipsorum institutione præmittemus; 2° agemus de eorum potestate ac juribus.

§ I.

De ipsorum institutione synopsis historica.

I. Diversum initio fuit apud reges Capellani et Eleemosynarii officium : diversa proinde utriusque dignitas. Præter documenta quæ ad id probandum adducit Ducange (verbo *Eleemosynarii regum Franciæ*), plura etiam reperies in nuper edito volumine sic inscripto, *Priviléges accordés à la Couronne de France*, Paris 1855.

Eleemosynarii dicebantur qui regis eleemosynas distribuebant. In Gallia jam a tempore sancti Ludovici occurrit de ipsis mentio. At vocabantur dumtaxat *eleemosynarii*, non autem *magni eleemosynarii*. Eorum seriem ac nomina refert Ducange ab anno 1311 usque ad 1500; quo tempore cœpit eis *magni eleemosynarii* nomen affigi. Tum et *magnorum* eleemosynariorum catalogum describit idem Ducange, usque ad annum 1756.

II. *Quomodo primum anno 1304 ab Ordinarii jurisdictione exempta fuerit capella regis Galliæ cum ipsius canonicis, capellanis et clericis.* — Pluribus quidem privilegiis jam antea donati fuerant, tum reges Galliæ, tum clerici ipsius capellæ addicti. Poterat, verbi gratia, rex Galliæ absolvi a capellano quem in confessorem elegisset. Dicti autem capellani ac clerici ordinari poterant a quocumque Episcopo, a rege ad id designato : item beneficiorum suorum fructus percipere poterant, quin tenerentur residere. Quæ privilegia vide in citato opere *Priviléges de la Couronne de France*, Paris 1855, pag. 7, 26, 69 et alibi passim. At, salvis dictis privilegiis, ordinariæ Parisiensis Episcopi jurisdictioni subjiciebantur Domus ac capella regia, necnon dicti capellani ac clerici, usque ad annum 1304. Exemptionem pronuntiavit Benedictus XI, Bulla 18 aprilis dicti anni, ad Philippum IV, cognomine *pulchrum*, directa, tenoris sequentis :

« Benedictus Episcopus, servus servorum Dei, charissimo « in Christo Filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem « et Apostolicam benedictionem. Licet omnes ecclesiæ per « universum orbem diffusæ, Sedi Apostolicæ, quæ super illas « obtinet principatum, disponente Domino, sint subjectæ, « sedes tamen eadem nonnullas ex ipsis aliquando specialiter « sibi subdit, eas ab aliorum quorumlibet eximens potestate, « ac statuens ipsas quadam honoris prærogativa fore liberas « et exemptas.

« Unde Nos ad capellam tuam, quam in civitate tua Pari- « siensi obtines, Apostolicæ considerationis intuitum conver- « tentes, illamque volentes, tui contemplatione, præsidiis « Apostolicis communire, ac gratiis honorare condiguis, ut « personæ degentes in eadem eo majori devotionis prompti- « tudine studeant venerari, quo ipsi et eadem capella fuerint « majori libertate donati; capellam prædictam, cum personis « in ea degentibus, præsentibus et futuris, a venerabilium « fratrum nostrorum Episcopi Parisiensis, loci diœcesani, et « Archiepiscopi Senonensis, loci Metropolitani, et successo- « rum suorum qui pro tempore fuerint, necnon quorumlibet « aliorum Ordinariorum potestate et jurisdictione, Apostolica « auctoritate prorsus eximimus et totaliter liberamus; distri- « ctius inhibentes ne Episcopus, Archiepiscopus, successores « et alii Ordinarii supradicti, in capellam et personas easdem « jurisdictionem aliquam exercere præsumant; decernendo « auctoritate prædicta capellam et personas easdem Nobis et « dictæ Sedi immediate subesse; ac irritum et inane, si secus « super hoc a quoquam contingeret attentari.

« Volumus insuper et eadem auctoritate statuimus ut The- « saurarius, qui pro tempore fuerit dictæ capellæ, omnium « canonicorum, capellanorum et clericorum chori ejusdem « capellæ, sollicite curam gerat, et jurisdictionem obtineat « in eosdem.... Datum Viterbii, XIV calendas maii, pontifi- « catus nostri anno I. » (Editam reperies hanc Bullam in opere citato *Priviléges de la Couronne de France*, pag. 105.)

Notatu dignum est, ibi *Thesaurarium* vocari eum cui in capellam et ejus clericos ordinaria jurisdictio confertur. Verisimile est Thesaurarium eumdem fuisse ac *Eleemosynarium*, qui nempe hoc quoque Thesaurarii nomine designari soleret. Cæterum ex illo Pontificio decreto hæc colligenda veniunt :

1° Ex tunc in Gallia regiæ capellæ Eleemosynarius seu Thesaurarius cœpit habere exemptionem a jurisdictione cujuslibet Episcopi, necnon jurisdictionem in aliquem clerum, et in aliquod territorium, videlicet in capellam regiam.

2° Proinde ad citatum Benedicti XI decretum referenda videtur in Galliis majorum Capellanorum seu magnorum Eleemosynariorum prima institutio, licet hoc nomine *magnorum* nonnisi postea decorati sint.

3° An autem vi citatæ Bullæ Eleemosynarius evaserit Prælatus vere *nullius*, disputari forsan posset. Nam ad veram qualitatem *nullius*, non sufficit ut Prælatus habeat exemptionem et jurisdictionem in clerum et populum certi territorii, sed necesse est ut illud territorium a diœcesi avellatur et separetur; ita ut jam non debeat dici esse *in diœcesi*. Porro ejusmodi avulsio ac separatio capellæ regiæ a diœcesi Parisiensi, in dicta Bulla clare non exprimitur.

4° Dictum autem privilegium non fuisse personale, sed *perpetuum*, ex ipso tenore plene constat.

III. *Quomodo dicta exemptio iterum concessa occurrat anno* 1317. — In favorem Philippi V occurrit Bulla Joannis XXII, 13 augusti 1317, ejusdem tenoris ac Bulla Philippo IV concessa, quam supra transcripsimus. Eam reperies in opere *Priviléges accordés à la Couronne de France*, pag. 149, edit. Paris 1855.

Miror ego ambas illas Bullas nonnisi inscriptione et data ab invicem differre. Sane cum jam capellam regiam et capellanos exemisset Benedictus XI, anno 1304, qui fieri potuit, ut Joannes XXII anno 1317 hac eadem formula usus sit, *prorsus eximimus et totaliter liberamus*, nullamque mentionem fecerit de jam existente exemptione? Dicta quippe formula exprimit, induci exemptionem nondum existentem, non autem confir-

mari existentem. Vereor ne minus accurate manuscripta expenderit dominus Tardif, dictæ compilationis auctor.

IV. Anno 1343 ab Ordinarii jurisdictione capellam Fontisbliaudi (Fontainebleau) et ejus capellanos, fratres nempe Sanctæ Trinitatis de redemptione captivorum, exemit Clemens VI (vide Bullam, in citata compilatione *Priviléges de la Couronne de France*, pag. 200).

V. Anno 1411 a jurisdictione Parisiensis Episcopi exemit Joannes XXIII hospitale Quindecviginti (des Quinze-Vingts), et illud, cum personis eidem addictis *Eleemosynario* regis, dummodo foret in aliquo sacrorum ordinum constitutus : alioquin *primo capellano* capellæ regis. Data est Bulla hæc, 8 novembris 1411. Habetur in compilatione *Priviléges de la Couronne de France*, pag. 271. Ibi videmus alium fuisse Eleemosynarium, et alium primum capellanum. Inde etiam colligitur majorem ex tunc Eleemosynarii dignitatem, quam primi capellani exstitisse.

VI. Subjectæ etiam fuerunt magno Eleemosynario moniales Galliæ, *hospitalares* nuncupatæ. Id constat Bulla Gregorii XV, 30 junii 1622, qua moniales istæ respectivorum Ordinariorum jurisdictioni redditæ sunt, exceptis tamen earumdem conventibus, in civitate Parisiensi, ac ejus suburbiis, existentibus. Rem postulaverat ipsemet magnus Eleemosynarius Cardinalis de la Rochefoucault.

VII. Exstabant olim multæ capellæ a regibus Galliæ fundatæ, in quas nullam jurisdictionem habebant locorum Ordinarii. Earum clericos Silvanectensi Episcopo subjectos fuisse a Bonifacio VIII, constat ex quadam hujus Pontificis Bulla, cujus *intitulatio* sic relata occurrit in compilatione *Priviléges de la Couronne de France*, page 316 : *Item, littera directa Episcopo Silvanectensi, pro puniendis clericis beneficiatis in capellis quas dominus rex suique prædecessores fundarunt; in quibus Ordinarii nullam jurisdictionem habent*

VIII. Attentis præmissis documentis, magnorum Eleemosynariorum Galliæ institutio sic describi potest : 1° Cum magni

Eleemosynarii præcipua ac propria prærogativa sit, ut jurisdictionem ordinariam seu episcopalem habeat in certas quasdam regias domos et capellas, necnon in personas iisdem domibus ac capellis addictas, hujusce dignitatis institutio referenda videtur ad annum 1304; quo nempe capellam regiam et ejus clericos ab Ordinarii jurisdictione exemit Benedictus XI, et Eleemosynario seu Thesaurario ejusdem capellæ subjecit. Ego saltem nullum reperio antiquius dictæ exemptionis et jurisdictionis documentum. 2° Eleemosynarii non fuerunt primum episcopali charactere insigniti. 3° Postmodum cœpere Eleemosynarii cum hocce munere aliquem simul ex episcopatibus Galliæ obtinere; prout constat ex catalogo a Ducange descripto (v. *Eleemosynarii regum Galliæ*). Imo cardinalitia dignitate condecorati sunt, et *magni* Eleemosynarii dicti.

IX. Sicut Galliæ, ita et alii reges suos jam ab antiquo majores Capellanos seu magnos Eleemosynarios habuerunt. Quorum institutio, quo tempore et qua forma, in singulis regnis inducta sit, brevitatis causa prætermittimus.

§ II.

De magnorum Eleemosynariorum seu Majorum Capellanorum auctoritate et juribus.

QUÆSTIO Iª. — *Quid sint magni Eleemosynarii seu majores Capellani?* — 1° Hoc nomine dicuntur Prælati qui episcopalem jurisdictionem obtinent, tum in quasdam regias seu imperiales capellas aut ecclesias, tum in clericos eisdem ecclesiis seu capellis addictos, tum in personas quaslibet in certis regiis imperialibusve palatiis ac domibus degentes, et ad familiam regiam aut imperialem pertinentes. Sunt proinde dicti magni Eleemosynarii seu majores Capellani aliqua species *Prælatorum nullius*, de quibus agitur sequenti capite.

2° Obtinuit jamdudum consuetudo, ut episcopali charactere insigniantur. Hinc nisi sint alicujus sedis residentialis Episcopi, creantur Episcopi *in partibus*. « Dignitatem episco-

« palem cum munere supremi Eleemosynarii, seu Capellani « majoris regalis sacelli jungi oportere, testantur Petrus « Galandius, in vita Petri Castellani Galliarum magni Eleemo- « synarii, his verbis : *Aulæ totius regiæ unicus Episcopus est : « quocumque in loco per totum regnum rex versetur, ab eo sacra- « menta petere solet.* » (Benedictus XIV, Bulla *cum a nobis,* 4 augusti 1747, tomo 2 ipsius Bullarii, n. 36.) Imo in hac Bulla expenditur quæstio an Cardinalis diaconus delle Lanze, cui majoris Capellani munus rex Sardiniæ demandaverat, possit ordinari Episcopus *in partibus,* et affirmative definit Benedictus XIV.

QUÆSTIO IIª. — *Quænam sit regula ad dignoscendam ejusmodi Prælatorum potestatem?* — Suprema regula est ipse tenor Pontificiarum Litterarum in quibus suæ ipsis facultates, jurisdictio et prærogativæ conferuntur ac determinantur. Nam ante constitutum majorem Capellanum, supradictæ personæ, non excepto ipso rege aut imperatore, necnon præfatæ regiæ domus et capellæ, respectivorum loci Ordinariorum jurisdictioni subjacent. Ergo ut ab ea eximantur, et majoris Capellani seu magni Eleemosynarii jurisdictioni subdantur, necesse est id a Summo Pontifice exprimi et decerni. Ergo id tantum potestatis et jurisdictionis habere censendus est magnus Eleemosynarius, quod in Litteris Pontificiis ei attributum reperitur. Et in dubio an hæc aut illa facultas ipsi concessa sit, standum est pro jurisdictione Episcopi loci; quia hæc possidet, donec constet de exemptione; et quia exemptiones ab Ordinario strictæ interpretationis sunt, prout tenent communiter doctores.

Circa quæstionem, an aliquid jurisdictionis acquirere valeant magni Eleemosynarii per præscriptionem, applicanda videntur quæ dicimus sequenti capite de Prælatis inferioribus, jurisdictionem quasi episcopalem obtinentibus.

QUÆSTIO IIIª. — *Postquam Summus Pontifex majori alicujus regni Capellano, ac ejus successoribus certam potestatem attribuit, an perseveret privilegium, etiam mutata in illo regno dynastia?*

— Solet Apostolica Sedes exemptionem et jurisdictionem majoris Capellani decernere et determinare, non tanquam privilegium *personale* (id est, cum persona illius cui primum hocce munus commissum est, extinguendum), sed tanquam privilegium *perpetuum*, ad ejus successores transiturum; quo nempe potiri debeant quicumque a rege vel imperatore ad idem munus deinceps eligentur; prout videre est, verbi gratia, in Bulla *convenit*, pridie nonas julii 1741, qua majoris Capellani in regno Neapolitano jura determinavit Benedictus XIV (apud Ferraris, edit. Cassinensis, verbo *capellanus militum*, post numerum 19); et in recentibus Bullis Pii IX feliciter regnantis, *quæ supremi*, et *consueverunt*, 31 martii 1857, magnum Galliæ Eleemosynarium concernentibus (in diario l'*Ami de la Religion*, 8 et 17 septembre 1857).

Cum autem ex bellis aliisque circumstantiis, haud raro contingat, ut dejectæ dynastiæ, quæ in aliqua regione summa rerum potiebatur, altera succedat, sive cum eadem sive etiam cum nova gubernii forma, oritur quæstio, an vi Bullarum, sub prioribus dynastiis concessarum, jurisdictionem consequi valeant majores Capellani, a rege vel imperatore novæ dynastiæ nominati?

Mihi quidem negative respondendum videtur. Nam Summus Pontifex ejusmodi privilegium merito præsumitur concedere, intuitu illius dynastiæ, cui illud concedit; etsi forte id in Bullis non exprimat. Est quippe gratia, in favorem regiæ aut imperialis familiæ illam deposcentis, concessa. Et dubium saltem foret, an intenderit Pontifex eadem gratia donare diversas quaslibet dynastias, aliquando orituras, et huic successuras. Porro in hocce dubio, prævalere debet jurisdictio Ordinarii loci, contra incertam magni Eleemosynarii exemptionem. Hinc post aliquam dynastiarum ejusmodi mutationem, si constituendus sit magnus Eleemosynarius, non videtur satis esse ut a novæ dynastiæ imperatore vel rege nominetur; sed novo Pontificio decreto opus est. Durante autem eadem dynastia, sufficere videtur regis aut imperatoris nominatio; quia

vi Pontificii privilegii, qui sic nominantur, hoc ipso expressam in dicto Pontificio privilegio potestatem acquirunt.

Nota. — Contingente dynastiæ mutatione, an magnus Eleemosynarius, a dejecta dynastia nominatus, exemptionem et jurisdictionem retineat, est quæstio cum præcedenti connexa. Si nempe in Pontificio privilegio subaudienda sit restrictio hæc, *quanto tempore præsens dynastia permanserit,* consequens est ut, dejecta dynastia, expiret magni Eleemosynarii ab ea nominati potestas.

QUÆSTIO IV[a]. — *An possit rex vel imperator, absque Pontificiæ auctoritatis interventu, magnum Eleemosynarium dejicere, et alium nominare?* — Respondendum negative. Nam potestas ecclesiastica huic muneri propria confertur a Summo Pontifice in perpetuum, non autem ad nutum regis vel imperatoris revocabilem. Ergo semel constitutus magnus Eleemosynarius jurisdictionem suam servat ad suum usque obitum, nisi a Summo Pontifice ea privetur, vel ipsemet muneri suo cedat. Nequit proinde magnus Eleemosynarius a rege vel imperatore invitus removeri, sed tantum a Papa.

QUÆSTIO V[a]. — *Quænam sint hodie jura et prærogativæ magni Eleemosynarii Galliæ?* — A Pio IX feliciter regnante constitutum est, ut magnus Eleemosynarius Galliæ, capituli sancti Dyonisii insimul primicerius existeret. Hinc ipsius prærogativas et jura describemus, tum ex Bulla *quæ supremi*, 31 martii 1857, qua denuo institutum est in Gallia magni Eleemosynarii munus; tum ex Bulla *consueverunt*, ejusdem diei, qua canonice erectum est Sandionysianum collegiale capitulum. Quæ utraque Bulla integre habetur in diario l'*Ami de la Religion* (8 et 17 septembris 1857). Pontificias eas Litteras *Bullas* nominamus, quamvis in forma *Brevis* datæ sint.

I *Excerptum ex Bulla* QUÆ SUPREMI. — « Galliarum in imperio supremus erit Eleemosynarius, sive imperialis sacelli « Capellanus major, inter Archiepiscopos et Episcopos ipsius « imperii a serenissimo imperatore deligendus. Supremo « eidem Eleemosynario aderit etiam alter Episcopus pro iis

« quæ episcopalis ordinis sunt, ipsius vice, si legitime impe-
« ditur, exercendis; necnon sacerdos qui vicarii generalis
« partes et munus expleat. Item præsto erit presbyter secre-
« tarii munere fungens, et alter qui prosecretarii officium
« obeat.

« Porro duodecim ad summum erunt capellani sacerdotes,
« qui in imperiali sacello Parisiis posito, in palatio vulgo *les*
« *Tuileries*, rem divinam faciant; sacrasque functiones pera-
« gant. Denique octo circiter clerici, aliæque eodem numero
« personæ, quæ dicto sacello inserviant.

« Jam vero supremus Galliarum Eleemosynarius, sive im-
« perialis sacelli Capellanus major, pro tempore existens, ab
« omni ordinaria jurisdictione immunis ac exemptus erit,
« prout auctoritate nostra Apostolica per istas Litteras eum-
« dem eximimus, et Apostolicæ huic Sedi immediate subjici-
« mus ac subjectum declaramus. Quod si episcopalis sive
« archiepiscopalis ecclesiæ regimini fuerit ipse præpositus, a
« residentiæ præscripto juxta canonicas sanctiones minime
« illum solutum volumus atque edicimus.

« Idem porro, quemadmodum Archiepiscopi, Episcopi,
« aliique locorum Ordinarii solent, vi Apostolicæ nostræ con-
« cessionis ordinariam jurisdictionem exercebit, tum in capel-
« lanos aliosque omnes et singulos imperiali sacello addictos,
« tum in imperialem familiam, aliasque omnes personas eidem
« actu inservientes vel addictas, ubicumque imperator ejus-
« que imperialis aula versetur, necnon in personas omnes
« cujusque ordinis, conditionis et sexus, quæ degant et com-
« moreutur in palatiis imperialibus, tum Parisiensi, tum Ver-
« saliensi, tum in illo quod exstructum est apud Saint-Cloud,
« sive in ædibus imperialibus quæ sitæ sunt in locis Fontai-
« nebleau, Compiègne, Rambouillet, denique in castris impe-
« rialibus de Pau, de Biarritz et de Strasbourg.

« Spectabit proinde commemorato supremo Eleemosynario
« cura et regimen celebrationis divinorum officiorum in sa-
« cello imperiali, necnon in omnibus ac singulis memoratis

« palatiis, sive ædibus, sacerdotem rite probatum præficere,
« qui parochialia munia suo nomine exerceat.

« Ad ipsum pariter pertinebit personis sibi subjectis primam tonsuram conferre, easdemque deinceps ad minores et sacros ordines, juxta sacrorum canonum præscripta, et Apostolicarum Constitutionum regulas promovere. Secus vero datis testimonialibus litteris de cujuscumque ætate, vita ac moribus, necnon de scientia ac titulo ordinationis, ipsum ad alios Autistites, cum Apostolica Sede communionem habentes, remittere rite ordinibus initiandum.

« Jam vero cum supremus Eleemosynarius seu Capellanus major tum imperialis familiæ, tum aliarum personarum superius descriptarum, et sub tecto imperialium domorum habitantium proprius ac legitimus parochus exstet constitutus, ad ipsum pertinebit natos ab eisdem personis et in memoratis locis infantes, seu per se, seu per alios a se deputandos et sacerdotes sacro baptismate lustrare, eisdemque sacramentum confirmationis conferre, itemque sive per se, sive per alios presbyteros seculares, aut quorumvis ordinum de suorum superiorum licentia regulares, prævio tamen examine ab ipso supremo Eleemosynario rite probandos, omnium prædictarum personarum sacramentales confessiones excipere, eisdemque sacramenta, etiam in mortis articulo ministrare, salva tamen facultate cuilibet ex memoratis personis proprium sibi confessorem eligendi ex presbyteris per eumdem supremum Eleemosynarium, vel per alium Ordinarium approbatis. »

Adscribitur postea magno Eleemosynario, quoad personarum sibi subjectarum matrimonia et causas fori contentiosi, eadem ordinaria potestas, qua potitur in diœcesi sua Episcopus.

Ad capellanos exercitus quod attinet, ita disponitur : quandiu remanebunt intra fines territorii gallici, Ordinariorum jurisdictioni subjicientur : dum autem exstiterint extra territorium imperii (excepta tamen ditione Pontificia), recipient a

magno Eleemosynario opportunas ad curam spiritualem militum facultates, quæ in Bulla determinantur.

II. *Excerptum ex Bulla* CONSUEVERUNT. — « Capitulum ad « officia divina in memorati Sancti-Dionysii templo celebranda « exstabit, quod ex canonicis conflatum erit duas in classes « distinctis; ex his nimirum qui episcopali dignitate fulgeant, « atque ex his qui presbyteralis ordinis sint... Unam tantum « dignitatem capitulum præferet, titulo *primicerii...* Porro « dignitatem primicerii perpetuo obtinebit supremus Galli- « arum imperii Eleemosynarius pro tempore existens..., « Canonicos autem, tum Episcopos, tum non Episcopos, alios- « que omnes e capitulo, ad majestatis suæ nominationem, « quæ in eamdem sancti Dionysii ecclesiam patronatus jure « potitur, eligendos esse denuntiamus; reservata nobis et « successoribus nostris canonica per Apostolicas Bullas insti- « tutione tum pro primicerio, tum pro Episcopis qui in « capitulum cooptentur; attributa primicerio auctoritate ad « illam nostro nomine conferendam canonicis qui ea dignitate « non fulgeant. »

Eximit postea Pius IX ab Ordinarii jurisdictione, tum ecclesiam Sancti-Dionysii, primicerium, canonicos, cæterosque clericos vel laicos ejusdem ecclesiæ et capituli servitio addictos, tum hospitale *Quinze-vingts,* tum imperialia gynæcea, apud Ecouen et Saint-Germain-en-Laye sita, cum personis in iis degentibus : confertque primicerio, id est, magno Eleemosynario, ordinariam in dicta loca et personas jurisdictionem. Ab ipso proinde deputandi sunt et approbandi presbyteri, qui parochialia in dictis locis munia obeant.

III. *Adnotantur nonnulla.* — 1° Triplex distinguitur exemptionis species : infima, media et suprema; prout initio sequentis capitis fusius traditur. Infima species est, quando ab Ordinarii jurisdictione eximitur aliquis Prælatus, cum corpore (ut dicitur) monasterii aut ecclesiæ suæ; sed quin ipsi conferatur jurisdictio in alicujus territorii clerum et populum. Media species est, quando ipsi insuper jurisdictio tribuitur

in clerum et populum alicujus territorii, sed quin territorium illud declaretur avulsum seu *separatum* a diœcesi in qua existit. Suprema est, quando ita constituitur Ordinarius alicujus territorii, ut territorium illud e diœcesi avulsum et separatum pronuntietur : quo casu Prælatus dicitur et est proprie *nullius* diœcesis. De quo vide caput sequens.

2° Hodiernus magnus Eleemosynarius Galliæ, sive quatenus talis, sive quatenus primicerius capituli collegialis Sancti-Dionysii, non videtur dici posse in stricto sensu Prælatus *nullius*, ac proinde non habet exemptionem supremæ speciei, sed tantum mediæ. Nam loca in quæ jurisdictio ipsi tribuitur, neque in Bulla *quæ supremi*, neque in Bulla *consueverunt*, e respectivis diœcesibus *avulsa* seu *separata* declarantur; quod tamen necesse foret ut conditionem Prælati *vere nullius*, et supremæ speciei exemptionem obtineret.

3° Certum est pertinere ad diœcesanum Episcopum jus visitationis quoad loca exempta quæ non sunt *proprie* nullius. Id vide probatum infra (parte 5, capite 2, § 3, quæstione 3).

4° Imo (ut ibidem probamus), quidquid nonnulli in contrarium dicant, etiam si ecclesiæ sæculares sint *proprie* nullius, id est, in territorio a qualibet diœcesi avulso et *separato*, jus visitandi pertinet ad viciniorem Episcopum, ad eum nempe cujus cathedralis est proximior.

5° Hinc nisi in præfatis Pii IX litteris expresse disponatur, ab Episcopo diœcesano visitari non posse loca magno Eleemosynario et primicerio Sandionysiano subjecta, adhuc remanere censenda sunt loca hæc respectivorum Ordinariorum visitationi obnoxia.

6° Porro expressa hæc dispositio reperitur quidem in Bulla *consueverunt* his verbis : « Primicerio jus reservamus visitandi... ecclesiam resque ad illam pertinentes ; adempta « cuilibet alteri auctoritate visitationis ibidem peragendæ : » quæ dispositio postea extenditur ad gynæcea quæ exstant in locis *Saint-Denys, Ecouen, Saint-Germain-en-Laye*, et ad hospitale *Quinze-Vingts*. At dicta dispositio non reperitur in Bulla

quæ supremi quoad imperiales ædes *les Tuileries*, et alias quæ exstant in locis *Versailles*, *Saint-Cloud*, *Fontainebleau*, *Compiègne*, *Rambouillet*, *Pau*, *Biarritz*, et *Strasbourg*. Unde aliquando forsan movebitur quæstio, num hæc posteriora loca, respectivorum Ordinariorum visitationi de jure obnoxia remaneant, quandiu Sedes Apostolica contrarium novo decreto non statuerit.

CAPUT V.

DE PRÆLATIS INFERIORIBUS.

Quia inter eos Prælatos, qui *inferiores* dicuntur episcopalem jurisdictionem aliqui obtinent, in præsenti tractatu *de Episcopo* varias quoad ipsos juris dispositiones exponendas duximus : eo vel magis quod non raro exoriantur ipsos inter et Episcopos de respectivis juribus disceptationes. Dicemus 1° quid sint et quotuplicis speciei Prælati inferiores : 2° Juris quæstiones quæ hujusmodi Prælatos respiciunt breviter expendemus.

§ I.

Quid sint et quotuplicis speciei Prælati inferiores.

I. « Prælatus inferior dicitur ille qui non est Episcopus, « sed est in aliqua dignitate inferiori constitutus, ac obtinuit « a Sede Apostolica quædam jura episcopalia, majora vel mi- « nora. » (Cardinalis Petra, tomo 5, ad Constitutionem 4 Callisti III, sectione 1, n. 2.)

« Optima ratione nuncupantur hi (qui non ex natura, sed « privilegio obtinent quædam episcopalia jura) *Prælati infe-* « *riores*, habita ratione ad gradum Episcoporum. Cum etenim « potestas ordinis a charactere procedat, incommunicabilis « est non Episcopis : sed potestas jurisdictionis, hoc est jus « episcopalis jurisdictionis, communicatur a Summo Pontifice, « jurisdictionis ecclesiasticæ fonte, istis inferioribus Prælatis,

« Et quia hujusmodi jura fuerunt concessa ut plurimum « Abbatibus, ideo quæstiones istæ jurisdictionales frequentius « excitantur cum Abbatibus *nullius*, scilicet sub nullius jurisdictione episcopali. Sed omnes si qui sunt (sub quocumque « dignitatis nomine nuncupati, præpositi, archipresbyteri, « priores, abbates, archimandritæ) veniunt sub nomine *Prælatorum inferiorum* Episcopis. » (Cardinalis Petra, loco citato, n. 5.)

II. Triplex distinguitur Prælatorum inferiorum species : infima, media et suprema.

III. *De specie infima Prælatorum inferiorum.* — Ad hanc speciem pertinent, qui præsunt quidem certo generi personarum, intra ambitum alicujus ecclesiæ vel monasterii degentium, vel huic ecclesiæ aut monasterio addictarum, et sunt exempti a jurisdictione Episcopi, sed non habent (præter dictas personas) ullum populum clerumve sibi subjectum. Tales sunt multi superiores regulares, et etiam nonnullarum ecclesiarum Prælati sæculares. Ex recepto loquendi usu, tales Prælati dicuntur habere tantummodo *exemptionem passivam cum corpore monasterii* seu *ecclesiæ*. Quæ voces, *exemptio passiva*, non indicant eos non posse jurisdictionem exercere in personas sui monasterii aut suæ ecclesiæ; sed dumtaxat ipsis non subjacere, præter dictas personas, ullum populum aut clerum. Unde *passiva* vocatur eorum jurisdictio per oppositionem ad alios Prælatos, qui habent insuper populum ab episcopali jurisdictione exemptum, ita ut ipsis competat in hunc populum episcopalem jurisdictionem exercere. Hujusce infimæ speciei Prælati nequaquam sunt, nec dici possunt *Prælati nullius*, etiam in minus stricto sensu mox exponendo. Dicuntur existere *in diœcesi*; et ratione hujus existentiæ in diœcesi, remanent sub jurisdictione universali ac diœcesana Episcopi. Ratione tamen *passivæ* eorum jurisdictionis, inhibetur Episcopo ne in eos jurisdictionem exerceat. At servat Episcopus jus *territoriale ac diœcesanum*, vi cujus multa exigere potest reverentiæ obsequia, et varios dignitatis actus exercere. Imo et

ex jure præsertim Tridentino jurisdictionem in ejusmodi exemptos multipliciter exercere potest Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus

IV. *De specie media Prælatorum inferiorum.* — Hujus speciei Prælati ii sunt, « qui habent jurisdictionem etiam activam in « populum et clerum certi loci ; sed sunt in diœcesi ac terri- « torio Episcopi, a cujus diœcesi locus ille non dicitur avul- « sus ac abscissus. » (Cardinalis Petra, tomo 5, ad Constitutionem 4 Callisti III, sect. 1, n. 6.) Differunt hi a prioribus, in eo quod habeant populum et clerum jurisdictioni suæ subjectum, et ab Episcopi jurisdictione exemptum. Differunt etiam a prælatis supremæ classis, quia in ipsorum privilegio non declaratur, *avulsum* fuisse *a diœcesi* territorium, in quo exstat populus eorum jurisdictioni subjectus. « Isti autem Præ- « lati secundæ speciei, improprie, ficte et intellectualiter « tantum nuncupari possunt, et de facto nuncupari solent « *nullius :* non tamen proprie sunt tales, quia non sunt *extra* « *diœcesim* cujuscumque Episcopi, quod notat verbum *nullius,* « scilicet diœcesis. » (Cardinalis Petra, loco cit., n. 15.) Hinc juris dispositiones quæ respiciunt veros et proprie dictos Prælatos *nullius*, perperam applicarentur præfatis speciei mediæ prælatis, quamvis et ipsi *nullius* quandoque improprie vocentur.

V. *De suprema Prælatorum inferiorum specie.* — « Tertia « tandem species Prælatorum inferiorum, omnium præcla- « rissima, est eorum qui habent jurisdictionem activam in « clerum et populum alicujus loci, oppidive, seu plurium ; « quæ loca et oppida fuerint per Papam a diœcesi in qua « erant, avulsa ac sejuncta ; constituta separatim diœcesi « quadam seu territorio, cum omnimoda jurisdictione ordi- « naria, quasi episcopali, sub dicto inferiore Prælato ; qui « *semi-Episcopus* dicitur, quia caret potestate ordinis, et assi- « milatur in omnibus Episcopis quoad potestatem jurisdi- « ctionis ; ita ut præter actus dependentes a potestate ordi- « nis, cujus est incapax, reliqua omnia quæ Episcopus facere

« potest in diœcesi, ille exerceat in sua jurisdictione. Et « isti Prælati proprie dici debent *nullius diœcesis.* » (Cardinalis Petra, tomo 5, ad Const. 4 Callisti III, sect. 1, n. 16.)

VI. Hanc triplicis speciei Prælatorum inferiorum distinctionem, esse tum Synodo Tridentina, tum aliis juris textibus fundatam, probat Cardinalis Petra, citata sectione.

§ II.

Expenduntur juris quæstiones quæ Prælatos inferiores respiciunt.

QUÆSTIO I[a]. — *Quibus modis jurisdictionem ac exemptionem acquirere possint Prælati inferiores?* — 1° Ejusmodi Prælatorum exemptio ac jurisdictio distinguitur in *nativam*, *dativam* et *præscriptivam*, prout illam obtinent vel titulo originis, vel titulo privilegii, vel ex præscriptione.

2° Prælatis infimæ et mediæ speciei non competit exemptio *nativa*, seu ex titulo originis. Nam illi Prælati, necnon loca ipsorum jurisdictioni subjecta, dicuntur esse, et sunt revera *in diœcesi* alicujus Episcopi : alioquin isti Prælati non essent infimæ aut mediæ speciei, sed supremæ; essent nempe *nullius* in stricto sensu. Jam vero ex hoc ipso quod illi Prælati, non obstante exemptione, sint et remaneant *in diœcesi* alicujus Episcopi, concludendum est eos initio fuisse huic Episcopo subjectos. Nulla enim alia assignari potest ratio cur, post exemptionem, reperiantur adhuc esse *in* tali *diœcesi*, nisi quia primitus non fuerunt exempti, sed subjecti hujus diœcesis Episcopo. Ergo ipsorum exemptio ac jurisdictio exordium sumpsit ab aliquo privilegio, vel ex præscriptione. Ergo exemptio hæc non est *nativa*. Excipiendus tantum videtur casus, quo Prælatus olim fuisset, et quidem ab initio, vere *nullius*; et postea, sive auctoritate Pontificia, sive contra ipsum præscribente Episcopo, redactus fuisset ad conditionem mediæ vel infimæ speciei : tunc nempe quod ipsis remanet exemptionis, *nativum* aliquo sensu dici posset.

QUÆSTIO II^a. — *An Prælati* NULLIUS, *tales ab initio esse potuerint, id est, an potuerint aliqui ex ipsis exemptionem* NATIVAM *habere, aut de facto habuerint ?* — Quæstio hæc controvertitur. Qui negant, hoc nituntur fundamento : statim ab Apostolicis temporibus factam fuisse totius orbis in diœceses divisionem, ita ut nulla regio remanserit acephala, seu alicui rectori ecclesiastico non subjecta : alienum autem prorsus fuisse ab eorum temporum disciplina, ut aliquis constitueretur ab Episcopi loci jurisdictione exemptus : hinc primos qui exstiterunt Prælatos *nullius*, territorium aliquod separatum ab omni diœcesi habere non potuisse, nisi ex privilegio; vi cujus nempe territorium illud, ad diœcesim aliquam antea pertinens, fuerit ab ista diœcesi avulsum, et huicce Prælato subjectum.

Sed ratio hæc vim non habet. Illa enim totius orbis in diœceses divisio, statim ab initio facta, nedum certa probetur, ab eruditis merito rejicitur. Sane quando Americanæ regiones detectæ sunt, nullorum Episcoporum jurisdictioni subjiciebantur. Potuit ergo Summus Pontifex, antequam ullas ibi diœceses erigeret, aut etiam eo ipso tempore quo illas erigebat, aliquod territorium nulli Episcopo subjicere, sed alicui inferiori Prælato illud regendum committere ; quo casu Prælatus ille nativam procuIdubio exemptionem habuisset. Porro eamdem fuisse conditionem illarum septentrionalium regionum, ad quas Evangelii face illustrandas octavo sæculo missus est sanctus Bonifacius, merito existimatur. Ibi nempe tunc exstitisse territoria, nulli adhuc diœcesi adscripta, et nulli Episcopo, etiam regionario, subjecta, merito præsumitur; siquidem facta est sancto Bonifacio facultas constituendi diœceses per illas regiones, quas ab infidelitate ad fidei lumen adduxisset. Et hoc modo sensim, ac variis temporibus, non autem statim eodem tempore, distributas in diœceses fuisse varios mundi tractus, evincunt monumenta historica. Non ergo repugnat, sed e contra satis a priori verisimile est, aliquos exstitisse (ex Abbatibus præsertim monasteriorum) Prælatos *nullius*, qui *nativam* exemptionem habuerint.

Hanc sibi competere Abbas Fuldensis contendebat, anno 1711; asserens constitutam a sancto Bonifacio fuisse Fuldensem abbatiam, ante erectam diœcesim Herbipolensem, quod tanquam certum admittit Thomassinus. Sed probare insuper debuisset dictus Abbas, ante Herbipolensis diœcesis erectionem, nullum ibi exstitisse Episcopum *regionarium* (1), cui Fuldense territorium antea subjiceretur. Id Rota non habuit tanquam satis concludenter probatum; unde *nativæ* exemptionis prætensionem rejecit (vide Cardinalem Petra, tomo 5, ad Constitutionem IV Callisti III, sect. 2, n. 5 et seq.).

Quæstio IIIa. — *An et quatenus Prælati inferiores exemptionem dativam seu per privilegium acquirere valeant?* — 1° Certum est Summo Pontifici competere potestatem aliquem Prælatum eximendi a jurisdictione diœcesani Episcopi. Potest nempe Summus Pontifex, vel eximere dumtaxat Prælatum et personas ad ejus monasterium aut ecclesiam pertinentes; vel insuper ipsi dare jurisdictionem in clerum et populum alicujus loci, remanente loco illo *in diœcesi;* vel tandem potest istam jurisdictionem ita ipsi conferre, ut simul territorium illud a diœcesi avellat ac separet, sicque Prælatum constituat cum qualitate *nullius*. Hanc Romani Pontificis potestatem negare, erroneum foret atque schismaticum, prout certum hic supponimus.

2° Poterat olim ipse etiam Episcopus, accedente consensu capituli, passivæ exemptionis privilegium alicui Prælato ipsiusque monasterio aut ecclesiæ concedere : ita ut ille Prælatus a jurisdictione hujus Episcopi et successorum ejus in perpetuum eximeretur; prout tradit Cardinalis Petra (loco cit., n. 11), indicans Decretales quæ disciplinam illam testantur. Diximus, privilegium exemptionis *passivæ,* id est, absque jurisdictione in aliquem populum : non enim poterat Episcopus exemptionem cum jurisdictione activa in aliquam diœcesis suæ plebem ulli tribuere.

(1) Tales dicebantur, qui præerant toti alicui regioni, quin essent ulli certæ sedi, id est, cathedrali ac civitati, affixi.

3° Postmodum autem prædicta Episcopi potestas exemptionem *passivam* tribuendi, sublata est; et necessarium fuit Indultum Sedis Apostolicæ. Constat capite *cum personæ*, et capite *si Papa, de privilegiis*, in *sexto;* et extravaganti *ambitiosæ, de rebus ecclesiæ non alienandis :* jusque illud etiamnum perseverat. Unde hodie solus Papa exemptionem ab Ordinario tribuere potest, sive Prælatis regularibus, sive sæcularibus.

QUÆSTIO IV[a]. — *Quale esse debeat Apostolicum Indultum, Prælato alicui concessum, ut concludi possit hunc Prælatum esse vere* NULLIUS? — 1° Non sufficit in eo exprimi exemptionem ab Episcopi jurisdictione, sed necesse ut illi Prælato tribuatur jurisdictio in clerum et populum alicujus territorii. Alioquin Prælatus nedum *nullius*, seu supremæ speciei, ne mediæ quidem Prælatus foret, sed dumtaxat infimæ.

2° Sed neque sufficit concessio jurisdictionis in clerum et populum certi territorii; nisi simul clare exprimatur territorium illud a diœcesi *avelli* et *separari*. Si enim avulsio seu separatio hæc in Indulto expresse aut æquivalenter non enuntietur, territorium hoc censetur remanere *in diœcesi;* ac proinde Prælatus erit mediæ dumtaxat speciei, non autem erit aut dici poterit *nullius*, in proprio seu stricto sensu.

3° In dubio an verba privilegii *separatum* a diœcesi territorium decernant, non censenda est facta separatio; quia territoria diœcesis de jure præsumuntur in diœcesi remanere, donec contrarium probetur. De quo vide Cardinalem Petra, citata sectione, ubi tota illa materia expenditur.

QUÆSTIO V[a].—*Quænam esse soleat formula Indulti Apostolici, ad constituendum verum Prælatum* NULLIUS? — Anno 1710, cum voluisset Clemens XI territorium quoddam, *Fortalitium Urbanum* nuncupatum, Cardinali Legato Bononiensi pro tempore exstituro, tanquam Prælato *nullius* subjicere, demandata est particulari Congregationi cura expendendi qua formula uti opportunum foret. Quæ Congregatio votum suum emisit in hunc modum :

« Die 22 martii 1710, Congregatio particularis.... censuit « expedire, ut idem Sanctissimus, motu proprio (procedat), « prævia separatione totius territorii in quo est situm tantum « Fortalitium nuncupatum *Urbanum*, quod est de dominio « temporali Sanctæ Sedis Apostolicæ, a territorio et diœcesi « tam Bononiensi quam Nonantulana, aliaque quacumque « parochiali ecclesia; talcque territorium sic abstractum una « cum omnibus tam laicis quam ecclesiasticis personis in dicto « Fortalitio pro tempore existentibus, omnesque capellas, « ecclesias et capellanos in eodem Fortalitio existentes, sub- « jiciat Eminentissimo Domino Cardinali Legato Apostolico « Bononiensi pro tempore, et sub omnimoda et plenaria au- « ctoritate ejusdem Eminentissimi Legati, tanquam Ordinarii « ejusdem territorii, cum facultate exercendi jurisdictionem « in dicto loco, in ecclesias et personas; necnon in causis « matrimonialibus; concernentibus curam animarum, aliis- « que causis ecclesiasticis et spiritualibus quibuscumque; ac « cum facultate deputandi parochum aut capellanos pro cura « animarum in eodem Fortilitio existentium, qui exerceant « omnes et quoscumque actus parochiales in personas ibidem « existentes; ac ut idem Eminentissimus Legatus exercere « valeat omnes et quoscumque actus jurisdictionis, uti verus « et nativus Ordinarius ejusdem Fortalitii; ac quoque priva- « tive quoad alios quoscumque Ordinarios, etiam quoad juris- « dictionem delegatam. Quo vero ad ordines et sacramentum « confirmationis recipiendum, præfati existentes pro tem- « pore in dicto Fortalitio, adire debeant Eminentissimum « Archiepiscopum Bononiensem pro tempore; et quoad ordi- « nes, cum litteris dimissorialibus præfati Eminentissimi « Legati pro tempore Bononiensis; et tandem cum apposi- « tione clausularum, *etsi Eminentissimus Archiepiscopus Bono- « niensis et Eminentissimus Abbas Nonantulanus, aliique omnes, « non fuerint auditi;* necnon cum decreto irritanti, et clau- « sula, *sublata.* » (Apud Cardinalem Petra, loco citato, nu- mero 14.)

Juxta hanc circiter normam, mutatis mutandis, fiunt Pontificia decreta, quibus veri Prælati *nullius* constituuntur.

QUÆSTIO VI[a]. — *An et quatenus conditio et jura veri Prælati* NULLIUS *per præscriptionem acquiri valeant?* — Disceptationem generalem de modo quo valeant Prælati inferiores *vi præscriptionis* exemptionem et jurisdictionem acquirere, in duas quæstiones sejungimus : sub præsenti nempe, rem expendimus dumtaxat quoad Prælatos supremæ speciei, seu *nullius :* sub quæstione sequenti eam expendemus quoad duas alias Prælatorum species.

« Famigerata est quæstio proposita (ait Cardinalis Petra), « an et quomodo qualitas propria *nullius,* tertiæ et supremæ « speciei, scilicet cum vero separato territorio, præscriptione « acquiri valeat? » (Tomo 5, ad Constitutionem 4 Callisti III, sect. 3, n. 1.)

Quæstionem illam ibi fuse expendit citatus auctor. Resolvenda autem est in hunc modum :

1° Ad acquirendam qualitatem *nullius* proprie dictam, id est, cum territorio separato, non sufficit præscriptio quadragenaria etiam cum titulo colorato.

2° Ad acquirendam dictam qualitatem *nullius* cum territorio separato, requiritur, aut privilegium Apostolicum, aut consuetudo *immemorabilis.*

3° Ita omnino tenendum est, non obstantibus antiquis doctorum controversiis. Nam hæc ipsa juris quæstio in dicto sensu decisa est a Congregatione particulari, ad hoc specialiter deputata; et ejus decretum confirmavit ac publicari jussit Clemens XI. Quod decretum tenoris est hujuscemodi :

« In Congregatione particulari a Sanctissimo Domino no« stro die 3 augusti 1718 specialiter deputata...; ut in ea vi« delicet examinaretur an ad tramites sacrorum canonum, sa« crique præsertim Concilii Tridentini, possit inferior Præla« tus territorium separatum et jurisdictionem ordinariam et « quasi episcopalem in clerum et populum, cum ipsius Epi« scopi exclusione, in aliquo speciali loco acquirere per qua-

« dragenariam præscriptionem una cum titulo colorato : « prædicti Eminentissimi Domini et Reverendi Patres, par« ticularem Congregationem constituentes, insimul congre« gati..., die 3 januarii hujus anni 1721, post maturum et « diligentissimum materiæ examen, unanimiter responderunt: « non posse; sed pro acquisitione territorii separati prædictæ« que jurisdictionis omnino requiri, aut clarum et undequa« que subsistens Apostolicum privilegium, aut consuetudinem « immemorabilem cum suis omnibus requisitis rite probatam, « per quam Apostolicum privilegium de jure præsumi va« leat... Factaque per me prædictorum omnium Sanctissimo « Domino nostro relatione, die 14 januarii hoc anno 1721, « Sanctitas Sua approbare dignata est, et præsens decretum « publicari mandavit. » (Apud Cardinalem Petra, tomo 5, ad Const. 4 Callisti III, sect. 3, in fine.)

QUÆSTIO VII^a. — *An et quatenus Prælati infimæ et mediæ speciei, exemptionem et jurisdictionem vi præscriptionis acquirere valeant?* — 1° Acquirere valent per præscriptionem quadragenariam, cum titulo colorato; estque id omnino certum. 2° Acquirere nequeunt per præscriptionem minorem quadragenaria, aut carentem titulo colorato, id est, qui aptus sit ad probandam bonam fidem præscribentis. Hæc solide probata reperies apud Cardinalem Petra (tomo 5, ad Constitutionem 4 Callisti III, sectione 3, n. 15 et seq.).

Nota. — Jus unicuique Prælatorum inferiorum speciei competens restrinxerunt quoad plures materias Tridentini Patres. Hinc sub sequentibus quæstionibus materias illas recensemus, indicando quid juris unicuique dictorum Prælatorum speciei competat.

QUÆSTIO VIII^a. — *Quodnam sit jus Prælatorum inferiorum quoad causas matrimoniales?* — 1° Non movetur quæstio quoad Prælatos infimæ speciei; siquidem hi jurisdictionem non habent in ullum populum; sed tantum ipsi sunt a jurisdictione Episcopi exempti cum suo monasterio aut sua ecclesia. 2° Prælati mediæ speciei, qui nempe jurisdictionem habent in ali-

quem clerum et populum, at sine territorio separato, non sunt legitimi judices in causis matrimonialibus, nisi habeant speciale quoad id privilegium, vel præscriptionem immemorabilem; nec sufficit præscriptio quadragenaria cum titulo putativo. Fundatur solutio hæc capite 20, sessionis 24 Tridentini Concilii, in quo sic habetur : *Causæ matrimoniales... Episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquantur... Nonobstantibus privilegiis, indultis, concordiis (quæ suos tantum teneant auctores), et aliis quibuscumque consuetudinibus.* Per hæc verba causarum matrimonialium cognitionem prædictis etiam mediæ speciei Prælatis ademptam fuisse, pluries a Sacris Congregationibus decisum est. Possent tamen dicti Prælati causas matrimoniales cognoscere, vi privilegii Apostolici hanc eis facultatem largientis, et post Tridentinam Synodum obtenti; non enim exclusit dicta Synodus nisi privilegia anteriora. Item id possent vi præscriptionis *immemorabilis ;* quia hæc non censetur exclusa per clausulas Tridentini decreti. At quadragenaria cum titulo colorato per illas clausulas aperte excluditur. Quæ omnia probata vide apud Cardinalem Petra (tomo 5, ad Constit. 4 Callisti III, sect. 2, n. 32 et seq.) 3° Prælati *nullius*, id est habentes sibi subjectum clerum et populum cum territorio separato, jus habent cognoscendi matrimoniales causas. Non enim excluduntur a citato Tridentino decreto. « Et declaravit pluries Sacra Congregatio Concilii, cognitio« nem causarum matrimonialium pertinere ad hujusmodi « Prælatos vere *nullius*.» (Vide Cardinalem Petra, loco citato, numero 37.)

Quæstio IXa. — *An Prælatis inferioribus, habentibus jurisdictionem in causas matrimoniales, exequendæ committantur a Dataria dispensationes matrimoniales.* — 1° Infimæ et mediæ speciei Prælatis non diriguntur dictæ dispensationes, quamvis jurisdictionem in causas matrimoniales ex speciali privilegio, vel ex immemorabili haberent; sed committuntur officiali seu vicario Episcopi, in cujus diœcesi est locus exemptus. 2° Prælatis autem supremæ speciei, seu vere *nullius*, diriguntur

istæ dispensationes. 3° At non diriguntur horum vicariis (vide Card. Petra, loco cit., n. 38 et seq.).

QUÆSTIO Xª. — *An Prælati inferiores, jus habentes cognoscendi de causis matrimonialibus, dispensare valeant in omissione denunciationum matrimonialium.*—Respondetur negative quoad Prælatos infimæ et mediæ speciei : affirmative quoad Prælatos supremæ speciei, seu vere *nullius* (ibid. n. 42 et 43).

QUÆSTIO XIª. — *An Prælati inferiores criminales causas cognoscere valeant?* — Sicut matrimoniales, ita criminales causas Episcopo reservatas voluit Tridentina Synodus, capite 20 sessionis 24. Quo attento decreto, ita solvenda est quæstio proposita : 1° Infimæ et mediæ speciei Prælati nequeunt dictas causas cognoscere, nisi speciale privilegium vel immemorabilem possessionem habeant ; 2° at Prælati supremæ speciei seu vere *nullius*, illam potestatem habent. Probatum vide apud Card. Petra (tomo 5, ad Const. 4 Callisti III, sect. 2, n. 47 et seq.).

QUÆSTIO XIIª. — *An Prælati inferiores sæcularium confessiones audire valeant, et aliis dare facultatem eas audiendi?* — Loquimur dumtaxat de confessionibus *sæcularium*. Nam ad confessiones regularium quod attinet, certum est posse ab eorum superioribus deputari confessarios cum facultate eas audiendi. Quæ potestas extenditur etiam ad confessiones sæcularium qui monasterio inserviunt et in eo degunt : de quo vide tractatum meum *de Jure regularium*. Quo prænotato, solvenda est proposita quæstio in hunc modum : 1° Infimæ et mediæ speciei Prælati non possunt sæcularium confessiones audire, aut ad eas audiendas confessarios approbare : sequitur ex capite 15, sessionis 23 Tridentini Concilii. Et sublata est quoad hoc consuetudo etiam immemorabilis. 2° At Prælati supremæ speciei, id est, vere *nullius* cum territorio separato, possunt dictas confessiones audire, et aliis facultatem illas audiendi impertiri. Vide apud Cardinalem Petra (loco citato, sect. 2, n. 51 usque ad 57).

QUÆSTIO XIIIª. — *An Prælati inferiores concionandi facul-*

tatem impertiri valeant? — Respondetur negative quoad infimam et mediam ejusmodi Prælatorum speciem, ob caput 4, sessionis 24 Tridentini Concilii : affirmative quoad Prælatos *nullius* cum territorio separato. Vide probatum a Cardinali Petra (loco cit., n. 57 et seq.).

QUÆSTIO XIV^{a}. — *An Prælati inferiores pro suscipiendis ordinibus dimissorias subditis sæcularibus concedere valeant?* — 1° Negative quoad Prælatos infimæ et mediæ speciei : dictas nempe dimissorias concedere tunc pertinet ad diœcesanum Episcopum. 2° Negative etiam quoad Prælatos vere *nullius* : et tunc dimissorias concedere pertinet ad Episcopum *viciniorem* (loco cit., n. 66 et seq.).

QÆUSTIO XV^{a}. — *An Prælati inferiores possint subditis suis sæcularibus minores ordines conferre?* — 1° Id nequeunt infimæ et mediæ speciei Prælati; sed horum jurisdictioni subditos sæculares ordinare pertinet ad Episcopum diœcesis. 2° Neque id etiam possunt Prælati *nullius* cum territorio separato; sed eorum jurisdictioni subjectos sæculares ordinare pertinet ad *viciniorem* Episcopum. Id ex jure Tridentino probatum vide apud Cardinalem Petra (loco cit., n. 66 et seq.).

QUÆSTIO XVI^{a}. — *An Prælati inferiores possint minores ordines conferre subditis suis regularibus?* — 1° Eis minores ordines conferre possunt Abbates benedicti, sive sint Prælati *nullius*, sive non. 2° Idem possunt Abbates non benedicti, si privilegium Apostolicum receperint hanc eis potestatem tribuens. Ejusmodi autem privilegium quoad suos Abbates non benedictos obtinuerunt plures religiosi ordines. Ita solvendam propositam quæstionem satis patebit ex his verbis Cardinalis Petra (tomo 5, ad Constitutionem 9 Pii II, sectione unica, n. 34) : « A Sacra Congregatione Concilii resolutum fuit : *Licere « Abbatibus benedictis (vel quibus a Sede Apostolica concessum sit « privilegium, ut possint omnia ea facere quæ possunt Abbates « benedicti)tonsuram minoresque ordines suis subditis (regularibus « tantum) conferre*... Quæ resolutio fuit confirmata a Clemen« te VIII per litteras in forma Brevis anno 1596, 2 augusti. »

QUÆSTIO XVII^a^. — *An possint Prælati inferiores quem maluerint Episcopum vocare, ut ipsorum subditis confirmationem vel sacros ordines ministret?* — 1° Id uon possunt, absque licentia diœcesani Episcopi, Prælati infimæ et mediæ speciei, id est, qui non sunt vere *nullius*. Colligitur ex capite 5, sessionis 6, Tridentini Concilii; et fuit decisum a S. Congregatione Concilii (vide Cardinalem Petra, tomo 5, ad Constit. 4 Callisti III, sect. 2, n. 83 et seq.). 2° Id possunt, quoad sacramentum confirmationis, Prælati *nullius*, habentes nempe jurisdictionem in aliquem clerum et populum, cum separato territorio. Unde nequit vicinior Episcopus confirmationem in territorio *nullius* ministrare, invito hujus territorii Prælato (vide probationem apud Cardinalem Petra, loco cit., n. 90). 3° Pro ordinandis sæcularibus tenetur Prælatus *nullius* recurrere ad viciniorem Episcopum, nec potest alium ad id vocare (ibid., n. 140).

QUÆSTIO XVIII^a^. — *A quo Episcopo sanctum oleum recipere teneantur Prælati inferiores?* — 1° Prælati vere *nullius*, illud a quocumque maluerint Episcopo recipere possunt. 2° Cæteri accipere tenentur a suo diœcesano Episcopo, seu ab ipsius cathedrali (vide loco citato).

QUÆSTIO XIX^a^. — *An et quatenus Prælati inferiores possint sibi casus (quoad sacramentum pœnitentiæ) reservare?* — 1° Hanc potestatem sibi casus reservandi habent Prælati vere *nullius*, perinde ac si forent Episcopi. 2° Cæteri Prælati nequeunt sibi reservare casus pœnitentium *sæcularium*, suæ jurisdictioui subditorum; sed hoc pertinet ad diœcesanum Episcopum. 3° *Religiosorum* suorum casus sibi reservare possunt supremi superiores ordiuum, servando tamen normam a Clemente VIII præscriptam (vide apud Cardinalem Petra, loco cit., n. 91).

QUÆSTIO XX^a^. — *An ad Prælatos inferiores spectet indulgentias et jubilæa publicare?* — 1° Affirmative quoad Prælatos vere *nullius*. 2° Negative quoad alios : tunc uempe publicatio hæc exclusive pertinet ad diœcesanum Episcopum, licet ab ipsius jurisdictione exempti sint dicti Prælati (loco cit., n. 96).

QUÆSTIO XXI^a^. — *An Prælati inferiores valeant indulgentias*

concedere? — Respondendum negative, etiam quoad Prælatos vere *nullius;* et etiam (probabilius) non obstante contraria consuetudine. Rationes vide apud Cardinalem Petra (tomo 5, ad Const. 4 Callisti III, sect. 2, n. 9).

Quæstio XXIIa. — *An Prælati inferiores jus habeant celebrandi Synodum?* — 1° « Pro jure convocandi Synodum, in « Prælato inferiore certum est quod requirantur copulative « tria requisita, scilicet territorium vere separatum, cum « jurisdictione quasi-episcopali in clerum et populum, et spe« ciale Indultum Apostolicum. » Ita Cardinalis Petra (loco cit., n. 114); qui id probat multis auctoritatibus.


2° Ergo Prælati vere *nullius,* diœcesanam Synodum celebrare nequeunt, absque speciali quoad hoc Sedis Apostolicæ facultate.

3° Ergo neque cæteri Prælati, id est, mediæ et infimæ speciei, Synodum convocare possunt : utpote qui carent utroque præfato requisito.

Quæstio XXIIIa. — *An et quatenus Prælati inferiores ad Synodum diœcesanam accedere teneantur?* — 1° Si Prælatus vere *nullius* jus ipse habeat celebrandi Synodum, clarum est ipsum non teneri ad Synodum diœcesanam ullius Episcopi accedere. 2° Si tale jus non habeat, eo quod nempe speciali quoad id requisito privilegio careat, tenetur accedere ad Synodum *vicinioris* Episcopi; non quidem ex littera Tridentini Concilii, sed ex ipsius *mente,* per S. Congregationem ejusdem Concilii interpretem, declarata. Plures ejusmodi declarationes adducit Cardinalis Petra (loco cit., n. 117). 3° Cæteri Prælati qui non sunt vere *nullius,* tenentur ad Synodum diœcesani Episcopi accedere, si habeant curam animarum sæcularium (ibid., n. 109). 4° Accedere pariter iidem tenentur quamvis animarum sæcularium curam non habeant, et quamvis sint exempti, si non subsint alicui capitulo generali (ibidem, n. 108). 5° Si sint exempti, et animarum sæcularium curam non habeant, et subsint generali capitulo, non tenentur ad Synodum accedere.

QUÆSTIO XXIVª. — *An et quatenus Prælati inferiores concursum pro conferendis ecclesiis parochialibus vacantibus celebrare valeant?* — Ut concursus legitime fiat, examinari debent concurrentes ab examinatoribus in Synodo electis. Hinc 1° Prælatus vere *nullius*, qui privilegium habet Synodum celebrandi, poterit et concursum celebrare, quia non carebit examinatoribus synodalibus. 2° Si vero careat privilegio celebrandi Synodum, neque poterit indicere concursum, utpote legitimis carens examinatoribus. Et tunc concursus fieri debet coram Episcopo *viciniore*. 3° Cæteri Prælati, qui non sunt vere *nullius*, cum nequeant Synodum habere, neque possunt celebrare concursum : unde quoad parochias ipsis subjectas, faciendus est concursus coram Episcopo diœcesano. Hæc probata vide apud Cardinalem Petra (tom. 5 ad Const. 4 Callisti III, sect. 2, n. 135 et seq.).

QUÆSTIO XXVª.—*An et quatenus Episcopo diœcesis, vel Episcopo viciniori competat jus visitandi ecclesias sæculares Prælatis inferioribus subjectas?* — 1° Si Prælati non sint *nullius* cum territorio separato, eorum ecclesias visitandi jus pertinet ad diœcesis Episcopum. 2° Si Prælati sint vere *nullius*, an visitatio hæc pertineat ad viciniorem Episcopum, controvertitur. Vide apud Ferraris, verbo *visitare*, *additiones ex aliena manu*, n. 1 et sequentibus. Quæstionem illam expendimus infra (parte 5, capite 2).



INDEX

JUXTA MATERIARUM ORDINEM.

FINIS TOMI PRIMI.

Atrebati, — Ex Typis A. Rousseau-Leroy, via vulgo dicta Saint-Maurice 36.

PARIS. — IMP. SIMON RAÇON ET COMP., RUE D'ERFURTH, 1.

